NICOLAI ABRAHAMI

FRAMBESARII

VEROMANDVI, CONSILIARII

& Medici Regij, Militiæque Gallicæ

Archiatri

OPERA MEDICA.

W. 2.

BIBLIOTECA CENTRALE

Quibus continentur:

I. CANONES ET CONSVLTATIONES MEDICINALES, medendis omnibus partium corporis affectibus Animalium, Vitalium & Naturalium, veram Medendi Methodum & Praxin sex prioribus libris exhibentes.

II. CANONES CHIRVRGICI curationem Methodicam exteriorum corporis affectuum & interiorum tribus posterioribus libris proponentes.

III. APOLOGIA pro veritate & innocentia Medicamentorum Chymicorum aduersus Criminatores.

IV. LAVREA ACADEMICA FRAMBESARIANA.

V. DE Præseruatione Pestis.

FRANCOFVRTI, Apud GVILIELMVM FITZERVM, Anglum.

Anno M. DC. XXIX.

DZZiS 2014

Pingitur hûc pingit qui FRAMBESARIUS *Orbem:*
Qui ſanos Homines tutatur, liberat ægros:
Qui facit inſuper illuſtres ratione, diſertos
Eloquio, nec—non et Moribus ornat honeſtis.

Ob. 7. II 3199
Biblioteka Uniwersytecka Toruniu

SVMMO

DOMINO DOMINORVM, REGIQVE REGVM DEO, OPT. MAX.

NICOLAVS ABRAHAMVS FRAMBESARIVS.

Suarum in Medendi arte excolenda Lucubrationum primitias dedicat, consecratque.

CVm mentis meæ aciem acrius intendo, ad opera tua præclarissima accuratè contẽplanda (summe rerum omnium Domine) immensam bonitatem, sapientiam, potentiamque tuam non possum vehementer non admirari, & ad nominis tui gloriam perpetuo celebrandam inflammari. Ecquis enim pulcherrimum omnibus suis partibus mundum lustrans, tanti opificij authorem ac moderatorem summis laudibus non efferat? Nonne cœli vndique syderibus ornati, immutabiles astrorum ordines, dispares conuersiones, & multiplices cursus continenter laudes tuas prædicant, & vniuersos mortales ad cultum & venerationem numinis tui mirabiliter accedunt, omnesque nationes cogunt esse gratas? Nonne diei noctisque vicissitudines, alterna accretio & diminutio, perpetuaque constantia, clamant atque testantur tantorum operum laudem fortunæ ac temeritati non esse tribuendam?

ſed aliquem præeſſe qui hæc vniuerſa ab initio conſtituerit,&ſempiternis ſeculorum ætatibus omnia moderetur atque conſeruet? Quid Sole ſyderum cunctorum duce præclarius, quid pulchrius, quid iucundius,quid vtilius? qui candore ſuo ſplendidiſſimo tenebras fugat,rebus caducis, ſalutarem & maximè vitalem calorem cunctas naturas augentem,nutricantem, ſenſuque afficientem largitur,terras exhilarat,& inſatiabili quadam lætitia & voluptate omnium animantium oculos atque animos complet? Cuius circumuectio tanta celeritate ab extremo oriente fertur ad extremum occidentem, atque inde ad dexteram cœli regionem reuoluitur, vt vno integro circuitu diem noctemque conficiat,modo ſublimis pulcherrimos radios nobis oſtentans: modo ſub pedibus ab oculis noſtris obliteſcens? An non incredibilis ſapientiæ bonitatiſque tuæ monumentum eſt ſempiternum, ad gloriam tuam per vniuerſas terrarum oras infinitis ſeculorum ætatibus longè lateque propagandam? Cum vero hominem ſublunarium omnium principem attentius conſydero, nihil illo admirabilius, nihil præſtantius,nihil perfectius, nihil denique diuinius in toto terrarum orbe animaduerto. Tu quippe illum ad tui nominis effigiem condidiſti,adeo vt tua in eo conſpiciatur ſculptura, non aliter atque in numiſmate charagma Cæſaris: illumque in hoc medio mundi globo tanquam mortalem aliquem Deum collocaſti, vt oculos vndique circumferens ad conſiderandum tanti ædificij artificium, architectum ſuſpiceret ac veneraretur: atque omnia quæcumque cœli & terræ complexu coercentur, ſub eius poteſtatem ditionemque ſubiunxiſti. Quin & cœlum ipſum & admirabiles illos ſyderum fulgores, nedum ea quæ gignuntur in terris,ad illius vſus & commoditates creauiſti, eiuſdemque imperio & poteſtati permiſiſti tot genera tamque diſparia beſtiarum cicurum ferarumque, & omnes aerias animantes, & quæ fluminibus & mari beluæ occultantur. Imo & in eo magni iſtius mundi formam tanquam in ſpeculo aut parua tabella adumbratam oculis ſpectandam propoſuiſti. Vnde non immerito μικρόκοσμος à veteribus eſt nuncupatus. Neque ſolum homini animam præſtantiſſimis facultatibus præditam, corpuſque variis ad quaſque animæ functiones ſubeundas ordinis ſagaciſſimè conſtructum tribuiſti, ſed eius etiam ſaluti ac commodis tanta benignitate conſulis ac prouides, vt nihil illo tibi charius,nihil maiori curæ fuiſſe videatur. Cum enim humana natura ob fœdam peccati luē primi

paren-

parentis culpa contractam, esset vinculis & compedibus vitiorum obstricta, mortique sempiternæ addicta, ac asperrimo Diaboli imperio subiecta, vnigenam filium tuum IESVM CHRISTVM è cœlo in terram demisisti mortalitatem nostram induendum, flagitiaque nostra sacrificio sui corporis & purissimi sanguinis effusione expiandum, vt immortalitatem suam nobis impertiret, nosque à densis scelerum tenebris, ac crudelissima Diaboli tyrannide liberatos, ad beatissimam regni sui lucem ac libertatem traduceret. Et quoniam corporis natura fragilis & caduca, variisque morborum generibus obnoxia est, ne protinus succumberet ac corrueret, vitaue misere & calamitose transigeretur, cum cæteras artes vitæ humanæ necessarias, tum Medicinam imprimis tua singulari beneuolentia mortalibus concessisti, ad corporis salutem tuendam, ac morbos infestissimos humani generis hostes propulsandos, vitamque incolumen ab omni ærumna & languore liberam quam diutissime tutandam. Nec modo præclara quondam ingenia ad præstantissimam medendi artem instituendam suscitasti, sed noua in dies accendis ad illam excolendam perpoliendamque. Etsi enim multi olim medici industrij & solertes, optime de vniuerso mortalium genere merendi desiderio ducti, in inueniendis singularibus remedijs, ac salutaribus medendi præceptis in artem redigendis plurimum elaborarunt, recentiores tamen nostra tempestate plurimi in arte magnificentius augenda & exornanda egregiam nauarunt operam. Quorum vestigia sequutus, quantum mihi otij à quotidiana praxi impetrare licuit, id totum ad theoriæ studium, scribendique operam contuli, vt aliquod laboris mei monumentum, Reipublicæ salutiferum posteritati relinquerem. Verum enimuero si quid in eo minus ornatum, nec satis elaboratum sit, id omne mentis meæ tenuitati assignandum: si quid prædicatione & commendatione dignum, id totum liberalitati tuæ attribuendum. Quæcumque enim bona, pulchra, vtiliaque sunt in omnibus rebus, ab vberrimo tuæ benignitatis fonte promanant, nihilque nos recte agere, aut loqui, aut animo cogitare possumus, quod optimo iure non sit referendum tibi bonorum omnium authori ac largitori acceptum, nihilque propterea nostræ prudentiæ, virtuti, viribusque nostris temere arrogandum. Tu quippe rationis vim ad res quasque cognoscendas, ac loquendi facultatem ad exprimenda animi sensa nobis impertisti. Tu mentem nostram spiritu tuo illuminas, voluntatem in-

in flammas, vireſque ſuppeditas, eoque tanquam manu nos ducis, dum quid boni molimur, adeo vt ſine tuo auxilio omnes noſtri conatus atque labores irriti ſint. Quæ cum ita ſe habeant, nonne conſentaneum eſt, vt omnia ſtudia, operaq; noſtra ad tui nominis gloriam dirigamus? Quocirca labores ad illuſtrandam medendi methodum à me exantlatos, tuo auguſtiſſimo numini conſecrandos eſſe putaui, tuoque auſpicio in lucem proferendos, vt animi nec ingrati nec immemoris & gratia & memoria perſpecta ſit atque cognita. Et cum exploratiſſimum habeam, eam ſemper fuiſſe bonitatem tuam, vt nunquam eos deſtitueres qui ad te ſuppliciter confugiſſent, & in præſidio tuo omnes ſpes ſuas collocaſſent, ego me vltro, ſcriptaque mea in tutelam tibi trado, & in clientelam committo, beneuolentiaque tua tanquam ſcuto firmiſſimo quæ miſericordiæ tuæ credidi te protecturum, & à ſicophantarum calumnijs vindicaturum eſſe ſpero. Confidant alij viribus ſuis, amicorum opibus & gratia nitantur, ego certe in te vnum ſpecto, te vnum inuoco, te mihi omnium mearum rerum defenſorem, propugnatoremq; adopto, nec aliud vllum me puto habere perfugium, cum cætera omnia præſidia pro nihilo ducam. Ne quæſo Domine ſpes me fallat, quam in tua clementia fixam & locatam habeo, neue permitte, vt irrideant me inimici mei ope tua deſtitutum. Tu me iuuandum, tuendum atque ornandum perpetuo ſuſcepiſti, nunquam ſupplices manus tetendi ad fidem tuam humiliter implorandam, quin aures attentas ad preces meas adhibueris. Itaque tam firmo præſidio munitus, tamq; ſalutare & propitium numen expertus, deponam omnem animi curam & ſolicitudinem, & quieta atq; tranquilla mente conſiſtam, neque me Zoilorum obtrectationes vnquam territabunt. Tu Domine qui iam ſeruo tuo benigne facere cœpiſti, adde mihi animum, quandiu in hoc terrarum orbe lucis vſuram dabis, ad te munificentiſſimũ parentem, dominumq; noſtrum ſingulari reuerentia adorandum, ſumma pietate colendum, totis viribus diligendum, & ad ſummas laudes tuas ſingulis diebus lingua labijſq; meis celebrandas, immortaleſq; gratias pro tuis innumerabilibus in nos beneficijs agendas referendaſque, & ad aliquid perpetuo moliendum, quod ad gloriam tuam, ac mortalium omnium ſalutem ſit redundaturũ, vt mihi tandem pateat aditus ad domum illam tuam cœleſtem omnibus bonis & gaudijs affluentem, vbi tecum habitans beatus æuo fruar ſempiterno.

N. AB.

N. AB. FRAMBESARII
IN MEDENDI LEGES
à se descriptas
PRÆFATIO.

Ad clarissimum virum, Andream Laurentium, FERRERIÆ Dominum, Regis Consiliarium, primariumq; Medicum ac Monspelliensis Academiæ Cancellarium.

COGITANTI *mihi sæpenumero & attento animo perpendenti, qua ratione ad Apollinaris quam profiteor artis summum perfectionemque perueniatur, in mentem subiit illud præclarè à Galeno proditũ c.6.l.9.methodi medendi:* ἐχ οἷόντ' ἐστὶ τέχνης ἐδεμίας ὅπτιοῦν μὴ κτήσασθαι, χωρὶς τῆς μέθοδον μή τινα διὰ τῶν καθόλου λεγομένων θεωρημάτων, ἄσκησιν ἢ διὰ τῶν ἐν μέρει λαμβάνειν παραδειγμάτων. ὅτε γὰρ οἷόντε χωρὶς τῆς γυμνάσασθαι πολυειδῶς ἐν τοῖς κατὰ μέρος ἐπὶ τὸ καμνόντων ἃ χρὴ πράττειν, οὔτ' αὐτίκα τὴν γυμνασίαν ἐγχωρεῖ γίγνεσθαι προσηκόντως ἄνευ τῆς τῶν καθόλου γνώσεως. ἐν ἐκείνοις μὲν γὰρ ἡ μέθοδος. ἡ δ' ἄσκησις, ἐν τοῖς κατὰ μέρος. ὥσπερ ἔνιοι βαδίσαι τινὰ ὁδὸν ἐθέλοντες, τοῖς σκέλεσιν ἀμφοτέροις ἐν μέρει χρῶνται, θατέρῳ δ' ἑτέρῳ σκάζοντες μόνῳ χρῶνται, πάμπολλόν τε χρόνον καὶ μετὰ τοῦ σφάλλεσθαι πολλάκις ἄνυσιν τὴν πορείαν, οὕτως ὅστις ὁπτιοῦν τέλος ἡσυχαίως ἀφικέσθαι τέχνης ἐθέλει, χρηστέον αὐτῷ τοῖς δύο τούτοις οἷονπερ σκέλεσιν ἢ ὀργάνοις, ἢ ὅπως ἂν τις ὀνομάζειν βούλεται. μεθόδῳ μὲν ἐν τοῖς καθόλου θεωρήμασιν· ἀσκήσει δ' ἐν τοῖς κατὰ μέρος. *Non licet vllius artis scientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris per vniuerſalia vocata theoremata, & in particularibus exemplis te exercueris. Cum neq; fieri poſſit, vt ſine multiplici in ægris ſingulis exercitatione quod ex vſu ſit facias, nec ſine vniuerſalium cognitione probe exercitatio procedat. quippe cum in vniuerſalibus methodus, in particularibus exercitatio conſiſtat. Quemadmodum igitur qui iter aliquod ingredi ſtudent, vtroq; inuicem vtuntur crure, qui altero claudus, vno duntaxat vtitur, & longo ſpatio & ſæpe errans viam peragit; ita ſane & qui finem cuiuslibet artis conſequi parat, duobus his veluti cruribus vel inſtrumentis vel quomodocumq; appellaſſe libet, vti debebit, in vniuerſalibus theorematis, methodo: in particularibus exercitatione.*

Quod

Quod cum perſuaſiſſimum haberem, in eo omne ſtudium collocaui, vt omnibus veterum & recentiorum monumentis accurate excuſsis, quæcumque ab optimis quibuſque tum Græcis, tum Latinis, tum Arabibus generatim præcepta ad medendi vſum conducere diuturna meditatione obſeruaueram, non minus perſpicua, quam compendiaria methodo perſtringerem, eademque exacte quotidianis conſultationibus meis in praxim traducta ſcriptis mãdarem, ne præſentibus modo hominibus, ſed & poſteris conſuluiſſe, nec mihi ſoli, ſed & philiatris omnibus profuiſſe videar, adeo vt opus medicum à me inſtitutum (magnum profecto atque arduum, verumtamen dignum in quo omnes neruos ætatis & induſtriæ meæ contenderem) in duos tomos totum digeſſerim, quorum primo aphoriſticam medendi methodum Catholicis theorematis ex Archiatron decretis conſtitutam, ſecundo methodicam in particularibus exemplis, quæ variis ægrotantibus inuiſendis mihi videre contingit, exercitationem tradidi: ſicque expeditiſsimam tutiſsimamque viam demonſtraui, qua medicus vtriſque cruribus innixus nequaquam claudicare, ſed recta ad artis finem peruenire queat, vt nec κοινότητας tantũ contemplans, Methodicus Theſſali ſectator, nec ἐμπειρίαν ſola in particularibus exemplis vtens Empiricus, ſed vtraque ſcientiæ adipiſcendæ organa, rationem & experientiam adhibens, Dogmaticus iure poſsit appellari. Totum opus libros nouem continet, quorum primo communem medendi rationem: conſequentibus vero propriam ſingulis ſingularum corporis partium affectibus complexus ſum. Ab ijs originem duxi, qui caput Principum animæ facultatum domicilium obſident, ad eos ſubinde vergens, qui oculos, aures, nares, aliaque ſenſuum organa infeſtant. Tum ad morbos progreſſus, qui cor, pulmonem atque thoracem, vitalium facultatum ſedem inuadũt; ad eos deinceps perrexi qui hepar, ventriculum, inteſtina, lienem, renes, veſicam, teſtes atque vterum, facultatum naturalium inſtrumenta adoriuntur. Hinc ad articulorum dolores tranſij. Externa tandem corporis vitia (in quibus Chirurgi occupantur) perſecutus, tumores præter naturam imprimis, mox vulnera & vlcera, poſtremo fracturas & luxationes deſcripſi. Sub ſingulis autem titulis leges ad ſingulos morbos propellendos neceſſarias ante expoſui: his conſentaneas conſultationes, ad morbidos in ſuam priſtinam valetudinem reſtituendos inſtitutas proxime adiunxi: adeo vt primum de ægritudine, deinde de ægrotis vbique diſſeruerim. Sic primo libri ſecundi titulo de phrenitide & phreniticis: ſecundo de mania & maniacis: tertio de melancholia & melancholicis: quarto de lethargo & lethargicis: quinto de vertigine & vertiginoſis, deq; ephialte & ἐφιαλτώδεσι: ſexto de conuulſione &c. conuulſionis: ſeptimo de epilepſia & epilepticis: octauo de apoplexia & apoplecticis, deque paralyſi & paralyticis: nono de catarrho &

κατὰρ-

καταῤῥοιζομένοις: decimo de cephalalgia & cephalalgicis. Primo libri tertij titulo de ophthalmia & ophthalmicis: secundo de amaurosi & ἀμαυρωμένοις: tertio de suffusione & suffusis: quarto de surditate & surdastris: quinto de hæmorrhagia & αἱμορραγέσι: sexto de dysodia & δυσωδέσι: septimo de synanche & sinanchicis. Primo libri quarti titulo de febribus & febricitantibus: secũdo de asthmate & asthmaticis: tertio de peripneumonia & peripneumoniacis: quarto de hæmoptysi, & hæmoptoicis: quinto de phthisi & phthisicis: sexto de pleuritide & pleuriticis: septimo de empyemate & empyis. Primo libri quinti titulo de hydrope & hydropicis: secũdo de ictero & ictericis: tertio de cholera & cholericis: quarto de cœliaca & cœliacis: de linteria & lientericis: de diarhœa & διαῤῥοιζομένοις, deque dysenteria & dysentericis: quinto de colica & κολικευομένοις: sexto de ileo & iliosis: septimo de hæmorrhoidibus & hæmorrhoicis: octauo de splenis tumore & splenicis: nono de calculo & calculosis: decimo de stranguria & στραγγελίσι: vndecimo de gonorrhœa & γονορῥοίοις: duodecimo de immodicis vteri fluoribus & ῥοϊκαῖς γυναιξὶ: decimo tertio de mensium suppressione & ἀκαθάρτοις mulieribus: decimo quarto de vteri suffocatione & hystericis. Sic libro sexto de arthritide & arthriticis: libro septimo de ἀποσήμασι & ἀποσηματίαις: libro octauo de vulneribus & vulneratis; deque vlceribus & vlceratis: libro nono de fracturis & fractis; deque luxationibus & luxatis: atque ita primum de affectibus indefinite, deinde de personis affectis, pro varia temperamentorum, ætatum, regionum, temporum, victuum, cæterarumque circumstantiarum ratione, definite tractaui.

Cumque ad Medicinam via & ratione faciendam, affectus qui proponitur, diagnosis imprimis habenda, dein exitus Prognosis assidentibus prædicenda, tum aggredienda eius Therapia sit, omnes omnium titulorum leges, in tres ordines distinxi, quorum primo Diagnosticas quibus affectus species, causa, sedesque internoscuntur: secundo Prognosticas, quibus morbi euentus præsagitur: tertio Therapeuticas quæ in curatione agenda iubent, prohibentque contraria, concinne disposui.

Has autem Leges, iampridem Gallice editas, ac nunc iterum Latine redditas, duplici nomine tibi offero, (Medicorum Coryphæe) vno vt meam pro tua singulari in me beneuolentia perpetuam in te obseruantiam testificarentur, altero vt tuam in clientelam commissæ Momi lucernam haud vererentur. Siquidem dignitatis tuæ splendore potes obscuri liuoris tenebras momento depellere, authoritatisque quæ clypeo venenatos obtrectatorum aculeos retundere, ac suggillatores mordaces prosternere. Non est tandem quod aduersarios nostros reformidem, cum patronum habeam & doctrina & authoritate clarissimum. Sic enim famam tuis monumentis extendisti, vt vix vllis terrarum oris Laureatum nomen iam ignotum

notum putem. Siquidem tanta fide, facilitate ac diligentia expressam nobis reliquisti corporis humani fabricam, vt omnibus cum vetustioribus tum recentioribus rei Anatomicæ scriptoribus palmam præripueris. Prætereo illam Medicinæ partem quæ de Crisibus agit, multis antea difficultatum inuolucris implicitam, eximia ingenii dexteritate luculenter à te enodatam. Vt & luculentissimos Tractatus de strumis, de visus nobilitate, de Melancholia & Catarrho, de Senectute, de Podagra, de Lepra, de Lue Venerea, Annotationes itidem in Artem standam Galeni, & Consilia Media. Adeo vt nihil mirum, si nunc in aula Regia tanquam Medicorum sydus fulgentissimum prælucere videaris. Itaque (quod reliquum est) abs te supplex peto, vt hoc munusculum tanquam mei perpetui in te obsequii pignus, æquo animo accipias: quin & memoriam nostri tuam vt conserues, non quod de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Regi nostro, tibi, ac nobis viue diu felix. Vale. Parisiis. Calend. Iun. anno 1608.

AD

AD LECTOREM.

Si quis forsitan in re leui & commentitia operam me impendisse existimet, audiat doctissimum Fernelium præclaris demonstrationibus docentem,

NATVRÆ LEGIBVS MEDICINÆ LEGES esse consentaneas.

VNiuersalia illa mundi natura, omnia continens atque per singula meabilis, vt Solis & Lunæ reliquorumq; syderum cursus & conuersiones, temporumque vices & tempestatum commutationes atque Oceani æstus reciprocationesq; moderatur: ita & hanc rerum immensitatem ordine certo & constantia regit immutabili. Nec vero tam sapienter & vniuersa gubernare & singula fouere posset, nisi diuina quadam mente architectatrice & conseruatrice vteretur: quæ consilio & recta ratione omnia prudenter administret, & prouidenter tutetur. Hæc autem ipsius ratio, lex est naturæ, summa quippe vis insita in natura, qua administrantur omnia atq; existunt & conseruantur singula, ceu imperium quoddam cui cuncta pareant & sine quo nec rerum natura, nec mundus ipse consistat. Atq; hæc quidem lex vna cum mundo nata, è summa est mente Deique numine profecta. Nam, vt inquit Plato, quum Deorum sator mundum naturamq; conderet, huic simul leges fatales indixit. Iam vero quicquid aut animantium, aut stirpium, aut metallorum genere continetur, inferiore hac mundi regione comprehensum, id peculiari quoq; quadã natura (quæ sua est rei cuiusq;) constat, quæ quod genuit, tuetur & regit. Hæc rursum peculiaris cuiusque natura, propria lege eaque stabili & rata ducitur, qua actiones omnes perficit, illaque tota est obediens & subiecta vniuersæ naturæ, eiusque propria lex summæ legi: vt omnia vna quasi consensione & sympathia iussis supremæ legis obtẽperent. Itaq; quicquid habet naturæ imperium, id perpetua constantia rectaq; ratione & conuenienti lege sustinetur. Hæc si ad nostram medicãq; contẽplationem referemus, quicquid in homine præter cognitionem & voluntatis arbitrium inest, id omne administratur naturæ legibus. Ad huius autem similitudinem effictum simulachrum quoddam est Medicina, quæ naturæ legem semper intuens, in eamque defixa, ad ipsius imitationem, studium & opus omne dirigit,

vt homini firmam minimeque morbis obnoxiam valetudinem conseruet & tueatur, lapsam vero & affectam erigat & in integrum restituat, vitamque ipsam saluam & incolumem quam potest fieri longissime producat. Illa quidem nata aut potius æterna, hæc vero scripta naturæ lex est: illa archetypus & primarium exemplar, hæc solida & expressa quædam est eius effigies. Has nulla vis humana, nulla regionum locorumue mutatio, nulla temporum decursio peruertit: sed inuiolatæ, stabiles & omni sæculorum æternitate immutabiles & perpetuæ manent. His vel inuiti (quia mors omnibus communis) colla submittunt, qui omnium gentium populos sibi subijcere & legibus adstringere contendunt. His imperatores summique reges parent, aut certe non impune refragantur. Hæ legum omnium præstantissimæ, omnium gentiū peræque communes, prorsus necessariæ & immutabiles. Quū igitur sit tanta earum necessitas, tanta præstantia, enitendum omnino vt integræ, puræ & castæ hauriantur è saluberrimis & purissimis naturæ fontibus: non eæ quidem arctæ & rigidæ, sed blandæ ac mites, quæ morbis grauiter afflictos erigant, recreent & reficiant: eos vero qui earum ope Medicinam sint facturi, magna dignitatis commendatione apud omnes extollant, fiantque tandem suasori honorificæ, morigero & obtemperanti frugiferæ, toti denique humano generi salutares.

Ι. ΓΑΥΤΗΡΙΟΥ ΤΕ-

ΤΡΑΣΤΙΧΟΝ.

Τᾶ'σδε σοφὰς στελίδας νηλεὴς γνὺς Αϊδωνεύς,
Χαῖρε κρᾶτ' νεκρῶν ἐκδακρύων ἐνέφη,
Τῶν γ' Ασκληπιαδῶν εὐθὰκτως ἡγεμονῆνθας,
Καὶ νέκυας στήσων, ἦγαγε Λεβέκαμ'.

IDEM.

Si Enserat in lucem, Pluto, hos migrare libellos,
Et mea, collachrymans, regna valete, refert.
Frambesarius en Medicûm prima agmina ducens,
Solem etiam extinctis reddere promptus, adest.

EIVSDEM.

AD

AD D. FRAMBOESARIVM REGIS CONSILIARIVM, MILITIÆQVE GALLICÆ ARCHIATRVM,

ANAGRAMMATISMVS.

QVot FRAMBOESARI, Cœlo depromis ab alto,
Mellifluas dotes, Ambrosiasq; dapes:
Mellis & Ambrosiæ torpandis in Orbe medelas,
Quot seris hic libros, tot geris ipse fauos.
Dumque tot è diuûm solio solatia quæris,
Humanæ genti, FERS mel & AMBROSIAM.

C. PALLIOTIVS Paris.

ΛΟΣ
ΤΟΠΟΝ ΙΑΤΡΩ.
ΑΥΤΟΝ ΓΑΡ ΕΚΤΙΣΕ ΚΥΡΙΟΣ
ΚΑΙ ΠΑΡΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΗΨΕΤΑΙ ΔΟΜΑ
ΕΚΚ.

IN PRÆCLARAM N. AB. FRAMBESARII METHODVM

medendi præceptis & exemplis traditam.

ODE.

IN ſanientis quod ſapientiæ
Ritus profanos quis medicus probet,
Et gentis humanæ parentem
Neſciat, orbis & Architectum,
Quod talè portentum ordo ſalutifer
Sua Medentûm proferat è ſchola,
Non credo: quod quis Lucianus
Hippocratis bene norit artem,
Si quando dicunt, tum mihi Sequanam
Retrò relabi, nare ſuper vada
Rupes leuatas, lata montes
Currere in æquora fabulantur.
Non ſi neganti à Principe Galliam
Hanc temperari clara reclamitat
Quam cerno Maieſtas, & auro
Lilia texta, nitenſque ſceptrum,
Dogma vt negandi Diagoræ impium
Compago neruorum, ipſa rotunduli
Symmetria oſſis, turbinatum
Cor, geminumque flabrum refutat.
Quot membra toto corpore diſſecat,
Tot exaratos ars pia codices
Euoluit, impreſſoſque libros,
Dædalam vbi legit, & potentem
Hæc molientis cuncta Dei manum.
Quis mille cum miracula perſpicit,
Quæ teſta gyro claudit arcto,
Non flagrat intus, & obſtupeſcit?

Quis

Quis nil videnti ſacrilegus Deæ
Tam cæcus illum deferat ordinem?
Tantamne vim Fortuna, tantum
Ingeniumne habet atque numen?
At ſanitatis pollicitæ loco
Eſt portitorem qui premit inferum
Veſpillo, maturatque diræ
Clinicus ora, manuſque Parcæ.
Vtramque FRAMBESARIVS hanc notam
Terget ſalubrique Ordine decutit.
Quam dat docendo, & quam medendo
Qui facilem methodum ſequetur,
Et prouidentem ſuſpiciet DEVM:
Et reddet ægris lumen amabile,
Quos iam ſepultos nocte longa
Tartareus Phlegethon premebat.

Ioannes Morellus Scholæ Rhemenſis in Academia Pariſienſi Gymnaſiarcha.

TETRASTICON.

ATtulit è Cœlis quæ FRAMBESARIVS *orbi.*
Terrarum fundit Nectar & Ambroſiam;
Protrahat vt ſanum miſeris mortalibus ævum,
Depellens mortem longius arte noua.

PONTIVS PRIVATVS,
armati Regis Med.

Arthri-

Arthritidis conqueſtus

HEu me; quæ cunctos ridebam ſola medentes
Arthritis, venit nunc mihi ſumma dies.
Frambeſarius en Medicûm Coryphæus acerbus
Depulit è caſtris, proh dolor! arte meis.
Amphitryoniades ſic quondam contulit Hydram
Ferro, ſed peior ſors mea ſorte ſua:
Spumoſam tantum cognouerat illa paludem,
Me Venus & Bacchus continuere ſinu.

H. Bollanus Rethel.

AD. D. FRAMBOESARIVM.

AMBROSIAM *qui* FERT, *hauſit de Niuere Lymphan,*
Lympha dein claram præbuit Ambroſiam
Pocula quæ noſtris fert immortalia tellus,
Immortale tuum nomen ad aſtra velut.

Antonius du Fouilloux Medicus Niuernenſis.

Petri Penæ Medici Regii HEXASTICON.

PErtractat varias dum FRAMBESARIVS artes
Et ſua ſcripta libens ſpargit in ora virum,
Inſignis Medicuſque, ſophuſque, è corpore noſtro
Morborum omne genus, pellit, & ex animo.
Principis hoc etiam indulſit fortuna, quod aucta
Hoc Chirone nouo gratuler Aula tibi.

N. ABRA-

N. ABRAHAMI

FRAMBESARII

MEDICI REGII,

De Peſtis curatione & præcautione
Libellus.

EDITIO VLTIMA.

FRANCOFVRTI,
Apud Matthæum Kempffer, Impenſis Wilhelmi Fitzerij,

M. DC. XXIX.

N. AB. FRAMBESARIVS VIRO DOCTISSIMO AC IVRIS VTRIVSQVE PERItissimo Antonio Delouenio Propræsidi Ripemontensi.

S. D.

QVemadmodum ij magnũ Reipublicæ adferunt emolumentum, vir egregie, qui cum ipsa ab inimicis opprimitur arma ad vim illatam repellendam, aut dum fame perit victus ad famem subleuandam suppeditant: sic nunc cum pestilentia pluresiam Picardiæ nostræ locos occupauerit, operæpretium me facturum esse duxi, si veram curandæ & profligandæ pestis rationem conscriberem. Quidam ante hac doctißimi viri aduersus vetustiores Medicos pestem certis antidotis nõ sanguinis missione aut purgatione propellẽdam esse firmis rationibus cõtenderunt, monueruntq; omnes Medicos ac chirurgos, vt nunquã pestiferi sanguinem mitterent aut purgarent, nisi prius antidotis è corpore

peſtifera lues propellatur. Sed cum adhuc antiquo more initio morbi ſanguinẽ ac protinus vitam ab ignaris chirurgis quotidie detrahi videamus, ego veram peſtilentiæ curandæ methodum certis ac firmis rationibus & fœlici experientia fultam paucis verbis conſcripſi, & in medium prodidi, vt hanc omnes & medici & chirurgi cognoſcerent, & cognitam obſeruarẽt, ac ſuo pernicioſo curandæ peſtilentiæ more abſtinerent, ne ægrotantes dum ſanare putant occidiſſe videantur. Quare cum tuam ſummam erga nos beneuolentiam & amicitiã ſemper cognouerim, vir doctiſſime, hunc libellum clariſſimo nomini tuo dedicare volui, vt & noſtræ erga te amicitiæ & beneuolentiæ teſtimonium darẽ. Quod ſi hoc munuſculum te hilari fronte accepiſſe intellexero, dabo operam vt aliquando maiora in tuo nomine appareant. Deus Optimus Maximus te tuoſq; omnes diu ſeruet incolumem. Vale Lutetiæ Pariſiorum anno 1579. Cal. Decemb.

N. ABRA-

N. ABRAHAMI

FRAMBESARII DE PESTE LIBELLVS.

CAPVT I.

De Peſtis definitione.

PESTIS eſt morbus contagioſus & veneneſus in ſpiritibus primum, deinde in humoribus & tota corporis ſubſtantia ſitus, ab aere venenato & contagioſo aut malignorum aſtrorum configuratione aut vaporibus putridis, ortus.

CAPVT II.

De peſtilentiæ cauſis.

PEſtis ſi quidem ab aere corrupto & venenato, qui ſine ſenſu intra corpus per os & nares ſpirando, & per poros meatuſq; corporis ſe inſinuat gignitur. Huius corruptionis & veneni duæ ſunt cauſæ: vna ſuperior, inferior altera. Cauſa ſuperior eſt influentia cæleſtis & diuina quæ aerem alterat, corrumpit & veneno inficit, & dicitur Epidimia. Cauſæ vero inferiores ſunt vapores & halitus venenoſi è terræ viſceribus orti, aut ex aquis lutulentis & deſidentibus hauſti, aut paludibus, ſtagnis aridis, cœnis retentis, latrinis, ſpeluncis, antris, cadaueribus, rebus nimiũ calidis & humidis, & huiuſmodi rebus putrefaciẽtibus, quæ aerem corrumpunt. Hæ cauſæ endimiæ vocantur. Facilius autẽ iis euenit peſtis qui cacochymia, id eſt vitioſis & corruptis humoribus abundant & nimium replentur, quiq; improba victus ratione vt cibis corruptis & mali ſucci, vino aut alio potu infecto vtuntur. Hæc peſtilentiæ cauſa, pandemia nuncupatur.

CAPVT III.

De peſtis ſymptomatibus & ſignis.

PEſti adiuncta febris eſt. Quum autem peſtis in ſpiritu vitali duntaxat conſiſtit, calor febrilis mediocris eſt, pulſus pene naturalis, niſi quod languidus, parum frequens & aliquando inæqualis exiſtit. Vrina proba, laudabilis, recte colorata & ſimilis homini ſano & recte temperato, eo quod humores nondum putrent in vaſis, & facultas naturalis nondum læditur, ſed ſpiritus vitalis. Et tamen ſubito & inopinato ſine aliquo doloris ſenſu ægrotantes moriuntur. At cum peſtis non ſolum in ſpiritibus, verumetiam in humoribus & in tota corporis ſubſtantia ſita eſt, febris vehemens & putrida eſt, & inde ſitis ingens inſequitur, cibi faſtidium, aliquando ſomnus ingens, dolor & grauitas capitis, aliquando phrenitis, & delirium, interdum difficultas ſpirandi, interdum animi deliquium, vomitus, fluxus ventris, vrina cruda, turbida & graueolens. Pulſus languidus, obſcurus & varius eſt. Carbunculus aut alia eiuſdem generis apoſtemata ſuperueniunt.

CAPVT IV.

De peſtilentiæ iudiciis.

VBi aliquis peſte correptus eſt, ſi noctu dormit, ſi cibum concupiſcit, ſi ex facili ſpirat, ſi febris continua non vehemens eſt, ſi tumor peſtilens craſſus & latus, coloreq; ruber vel citrinus exiſtit longeq; abeſt à corde, ſcire licet hæc ſecundæ valetudinis futuræ indicia eſſe.

At cum frequentes vomitus virides, vel nigri, vel rubri accidunt, frequens animi deliquium, defectus & fœtor anhelitus, hydropiſis ſubita, ſudor frigidus & fœtidus circa caput & collum, cibi faſtidium, febris vehemens & qui diu durat, carbunculus niger & ſiccus: & qui ſuppurari non valet, aut qui intus retrahitur, naſi, aures plumbo velut obditæ, diuerſæ mutationes coloris in facie, ſanguinis aut per nares, aut os, aut naturale profuſio, vrina turbida, fœtida, nigra, plumbea, excrementa liquida, pinguia, & graue olentia ſunt. Hæc mortifera ſigna ſunt, ſi quidem mortem ſubeſſe denunciant.

CAPVT

CAPVT V.

De prima peſtis curandæ indicatione.

PEſtis porro curandæ indicationes ſunt tres. Prima eſt vt aer venenatus & contagioſus qui peſtem procreauit vitetur aut corrigatur. Optimum eſt igitur peſtiferos ex peſtilenti loco cõmigrare aliquo vbi aer ſit purus & ſanus, cubiculumq; ſæpenumero mutare, vt aer peſtiferus fugiatur. Si nõ poteſt vitari peſtilens aer, corrigẽdus eſt igni, vento, irrigatione idoneorum liquorum cum aromaticis herbis in pauimẽto domus facta, thymiamatibus, & pomis aromaticis. Ignis ex iunipero aut alio idoneo ligno arido nocte dieq; intra & extra domos, in vicis, in areis, & plateis faciẽdus eſt. Ventus Aquilonius optimus eſt, Auſtralis contra peſſimus: itaq; domicilij ianuæ & feneſtræ quæ verſus Septentrionem ſunt aperiendæ, modo ex eo peſtilentia non proueniat.

Irrigatio aceti, aquæ roſaceæ vel cõmunis cum roſis, violis, florib. & foliis nenupharis, vitis, iuncis, ſantaliis, caphura & huiuſmodi æſtiuo tempore conuenit. Irrigatio vini odoriferi cui paulum aceti adiectum ſit, cum roſmarino, ſaluia, maiorana, hyſſopo, mentha, meliſſophyllo, gentiana, iride florentiana, ruta, radice valerianæ, cortice citrei mali & huiuſmodi, hieme idonea. Thymiamata fiunt ex thure, maſtice, ſtyrace ladano, ligno ſicco & baccis iuniperi, xilaloe, ſantalis, nuce moſchata, caryophil. cinamomo, calamo aromatico, moſcho, cortice citrei mali, iride florentiana, ſaluia, maiorana, roſmarino, foliis lauri, & huiuſmodi.

Poma aromatica cõficiuntur ex radice angelicæ, valerianæ, gentianæ, ellenij, ſtyrace calamita, cortice citrei mali, caryophillis, nuce moſchata, ladano, xilaloe, caphura, ambra. Ex his aliiſq; eiuſdẽ generis in puluerem redactis, & ſerico obductis, vel cũ ſtyrace liquida vel tragachanta in liquore ſtillatitio roſarũ ſolutis fingũtur poma odorifera.

CAPVT VI.

De ſecunda peſtis curandæ indicatione.

SEcunda peſtilentiæ curandæ intentio eſt, vt peſtis per tutiora loca, ac per poros & orificia corporis per quæ intus illata eſt, eiiciatur & excutiatur. Expellitur autem peſtis medicamentis alexipharmacis ſiue antidotis quæ ſpecifica & occulta proprietate vim habẽt & cõfirmãdi, corro-

corroborandi(ac vt ita dicam)armandi cor, cæteraſq; nobiles partes, vt ad ignobiles & minime periculoſas partes venenum eiiciant atque propellant,& ſudores ciendi & proritandi vt per poros & meatus per quos iniuit,virus eliciatur & extrahatur. Antidota ſimplicia aduerſus peſtem propria ſunt angelica, valeriana, gentiana, inula,ſcabioſa,tormentilla,pimpinella,zedoaria, ariſtolochia, dictamus,carduus benedictus,ruta,oxalis agreſtis, quæ Gallice dicitur *vinette*,granatum, malum citreum, nuces virides, bolus armenius, os cordis ceruini, ſcobs eboris. Ex his ſimplicibus multa cõfingi poſſunt compoſita antidota. Sed inter cætera duo præſtantiſſima &maxime experta proponam.Primum hoc modo paratur:

℥.radicum angelicæ veræ,
tormentillæ, pimpinellæ,
gentianæ, valerianæ,
zedoariæ, dictami cretenſis,
ellenij ſingulorum vnc.2.
foliorum oxalidis ſylueſtris, rutæ.
ſcabioſæ ſingul.manip.2.
baccarum iuniperi drach.3.
ſeminum *oxalidis ſylueſtris* vnc.2.
citrei mali vnc.1.
nucum viridium numero decem.
glebæ armeniæ vnc.2.
ſcobis eboris drach.3.

Hæc omnia ſimul in lib. decem liquoris ſtillatitij oxalidis agreſtis macerentur aliquandiu, tum deſtillentur per deſtillatorium commune aquæ vitæ. Poſtea in hac aqua adiiciatur

cinamomi. gingiberis.
nucis moſchatæ.
garyophillorum leniter contritorum ſingulorũ vnciæ ſemis,

& rurſus deſtilletur per alembicum vitreum in Balneo mariæ, aut ſuper cineres calidos poſitum. Doſis huius aquæ eſt ab vnc.4.ad vnc.6.

Aliud antidotum tutum & expertum.

℥.radicis angelicæ. tormentillæ.
pimpinellæ. zedoariæ. radi-

radicis vel foliorum dictami cretensis singul.d. ach.1.
gentianæ drach.2.semis. seminum citrei.
oxalidis sing.drach. 2.
glebæ armenij veri drach.1,semis.
scobis eboris cinnamomi
santali rubei sing.drach.1.
Addi etiam pro ditioribus potest
foliorum auri, margaritarum,
saphiri,singul.drachma vna.

Singula tenuissime trita misceãtur. Datur hic puluis à drach.vna ad scrup.4.cum aqua scabiosæ,buglossi,melissophilli, aut cum conditis rosarum,buglossi,scabiosæ, aut cum syrupo è limonibus aut oxalide. Datur etiam cum vino albo hyeme. Theriacam quoq, optimum esse antidotum aduersus pestem affirmat Galenus. Datur à drach. dimidia ad drach.1. & semis. cum conditis aut aquis oxalidis, scabiosæ, buglossi,rosarum,aut cum syrupo è limonibus,è granatis acidis aut eiusmodi. Danda autem theriaca non est pueris, mulieribus grauidis,infirmis, quibusq; vehemens febris & ingens calor internus ineſt. Ac cum sæpe ea vtendum est miscenda cum quibusdam conditis aut pulueribus alexipharmacis hoc modo:

℥.theriacæ veteris scrup.semis.
angelicæ. gentianæ.
aristolochiæ. glebæ armeniæ sing. scrupul. semis.
conditi è rosis drach.2.& cum vino vtitor.

Aliud antidotum è theriaca.

℥.theriacæ veteris vnc.1.semis.
seminis citrei mali.
scobis eboris singul.drach.semis.
boli armenij veri.
sacchari rosacei sing.drach.1. (scabiosæ.

Misce.Datur à drach.1.ad drach.1.semis. cum vino albo aut aqua

Hic autem vnum præcipiendũ nobis est, homini peste correpto in principio intra viginti quatuor horas antequam venenum iam spiritus corruperit & in partibus nobilibus insederit, antidota subito esse assumenda,ac iis vtendum esse quinquies aut sexies,nempe bis in die,

hora matutina ieiuno & veſpertina longe à paſtu, neceſſariumq; eſſe quotieſcunq; æger antidotum ſumpſerit, vt in lecto collocetur, recte tegatur, ac trium horarum ſpatio inſudet, poſtea vt pluribus linteis calidis ſudor fœdus & putidus extergeatur. His ita confectis in duobus vel tribus diebus venenum eiicietur.

CAPVT VII.

De tertia peſtis curandæ indicatione.

TErtia peſtilentiæ curandæ intentio eſt, vt febris peſtilens extinguatur, cæteraq; peſtilentiæ ſymptomata curentur. Ad febrim igitur extinguendam vtendum victu conuenienti, vt ex oleribus oxalide, intybo, lactuca, chærephyllo, bugloſſo, borragine, ſchabioſa, pimpinella. Ex fructibus, malis granatis, malis acidis coctis ac ſaccharo conditis, prunis in aqua cum ſaccharo coctis, vuis, damaſcenis, ceraſis ſaccharo conditis. Propter animi etiam deliquium, vomitum, fluxum ventris, maximam debilitarem, & eiuſmodi ſymptomata veſcendum carnibus boni ſucci & concoctu facilibus, vt pullis gallinaceis, columbis, gallinis, caponibus perdicibus, phaſianis, & aliis eiuſdem generis auibus, vitulis, veruicibus, capris, leporibus, & eiuſmodi, item cremore ptiſanæ. Pro potu vtendum ptiſana, aqua oxalidis, ſcabioſæ & huiuſmodi. At quibus *febris vehemens non eſt, ingenſq; vomitus, animi deliquium, fluxus ventris, virium proſtratio & alia huiuſmodi* accidunt, vinum album optimum eſt. Ad febris etiam feruorem arcendum ſerapia & zulapia refrigerantia maxime conducunt.

Quum vero venenum humores ac totam corporis ſubſtantiam infecit & corrupit extracto veneno, ipſi humoris ac ſubſtantiæ corporis corruptioni & putrefactioni à veneno derelictæ ſanguinis miſſione ac purgatione ſuccurritur. Sed hic diligenter notandum eſt peſtifero prius antidota eſſe aſſumenda, quam ſanguis ei detrahatur aut purgetur. Ob eamq; cauſam antidota in morbi initio aſſumenda eſſe dixi, nunc autem initio nunquam ſanguinem mittendum, nec purgatione vtendum dico. Siquidem nec ſanguinis miſſio, nec purgantia medicamenta peſtilentiam è corpore extrahendi propriam & ſpecificam facultatem non obtinent, ſed aliam propriam vim nempe euacuandi humores habent. Quare nec phlebotomia nec purgatio initio peſtilentiæ conuenit.

Adhæ

Adhæc in huius morbi initio venenum in ſpiritibus duntaxat, non autẽ in humoribus conſiſtit, vt ex vrina proba & laudabili conſtat. Quapropter principio ſanguinis detractio & purgatio inutiles ſunt.

Præterea cum venenum in corpus per os, nares & poros introeat per eadem loca eiiciendum eſt, non per phlebotomiam. Nam vt recte Hipp. 21. Aphor. inquit. Quo natura vergit, eo ducere oportet. Quare ad eliciendum venenum ſanguinis ademptio non molienda eſt.

Tantum enim abeſt vt ſanguinis detractio ad extrahendũ virus conducat, quin potius multum noceat. Nam cum ſanguis bonus è corpore extrahitur, facultates vitales, animales & partes nobiles alimento deſtitutæ debilitantur, ipſiſq; vires detrahuntur, ſic vt non poſſint amplius ab ipſis repellere venenum.

Præterea per phlebotomiam ſanguis ſanus qui quietus erat multum commouetur, agitur & turbatur, & ideo multo magis veneno inficitur. Quemadmodum enim in aqua quieta & dulci ſi ſal aut fel iniiciatur, ea multo potius ſalſa & amara erit cum agitata, cómota & turbata fuerit. Quare cũ nec ſanguinis miſſione nec purgatione venenum extrahi poſſit, initio morbi abſtinendum eſt ab ipſis, ſed prius antidotis virus eximendũ eſt, poſtea ſi illud humores corruperit ad quartum vel quintum diem ſanguinis miſſione & purgatione euacuandi erunt.

Ad curandos autem abſceſſus peſtilentes vt carbunculos & huiuſmodi ante omnia venenum extrahendum eſt, aut cucurbitulis aut certa via ſcalpello vel nouacula facta, aut cauterio, aut medicamentis cauſticis. Quale eſt quod ex cantaridibus & calce viua cum oleo nucis mixtis conſtat. Et quod recipit

fermenti veteris & acris.
radicis lilij cocti.
farinæ fenugreci ſingul. vnc. 1.
ſalis ammoniaci. calcis viuæ.
calcitidis ſing. ſcrup. 2.
mellis quod ſatis eſt.

Item quod accipit

calcis viuæ, drach. 3.
ſaponis nigri & craſſi vnc. ſemis.
fermenti acris vnc. 1.

ſalis gemmæ drach. 2.
axungiæ vnc. ſemis.
Item fermentum cum melle & ſale tritum.
Sinapi, mel & ruta ſimul trita.

Præterea tumori ſuperimponenda medicamenta ſunt quæ ſimul & ſuppurent & attrahant. Quale medicamentum eſt quod recipit

ficuum numero decem.
radicis ireos. ceparum.
liliorum alborum ſing. vnc. 2. ſinapi.
ammoniaci.
bdelii ſingul. vnc. ſemis.
galbani vnc. 1.
fermenti vnc. 1. ſemis.
ſtercoris columbini. dictami.
Tormentillæ ſing. drach. 1. ſemis.
butyri quod ſufficit ad emplaſtrum formandum. Item folia oxalidis in linteo madido inuoluta & inter cineres calidos cocta, quibus paulum axungiæ veteris adiectum ſit. Aperiunt & attrahunt virus ſimul cepa & folia rutæ cum theriaca ſimul linteo inuoluta & inter cineres cocta, & calidà tumori ſuperimpoſita. Item ſcabioſa cum axungia aut per ſe trita. Item liſimachia trita.

Poſtea apoſtema medicamentis catharticis eſt expurgãdum. Expurgatum ſarcoticis carne implendum eſt, & epuloticis cicatrice tegendum. Atq; hactenus vera peſtis curatio eſt expoſita: Peſtis vero præſeruatio eadẽ atq; curatio eſt. Nam prima cuiuſuis præſeruandi à peſte intentio eſt vt aerem venenatum & contagioſum vitet, aut certe ipſum igni, vento aquilonio, irrigatione, thymiamatibus, pomis aromaticis corrigat: Secunda vt antidotis cor, cæreraſq; nobiles partes corroboret ac armet ad inhibendam, impugnandam & propellendam peſtem: Tertia vt victu idoneo ad peſtem & peſtis ſymptomata auertenda vtatur. Sed qui cacochymia, id eſt vitioſis humoribus abundat, & plethora, id eſt plenitudine laborat, ante omnia ſanguinis miſſione & purgatione euacuandus eſt.

FINIS.

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTATIONUM Medicinalium LIBER PRIMVS,

Quo methodus medendi partium animalium affectibus continetur.

TITVLVS I.

De recta medendi ratione, in vniuersum.

Distinctio 1. de Dignoscendi ratione.

CANON I.

ΠΡΟΣ τὸ ἰᾶσθαι ὀρθῶς πρῶτον μὲν διαγνῶναι χρὴ τί ποτὲ ἐστὶ τὸ πάθος, δεύτερον δὲ προγνῶναι τι μέλλον ἔσεσθαι, εἶτ' ἐπιχειρεῖν αὐτὸ θεραπεύειν. Ad bene medendum imprimis quisnam sit affectus dignoscere oportet, deinde qualis futurus sit prænoscere, tum aggredi ipsum curare. Ex Galeno com. in l. 1. de diæt. acut. morb. & alibi. Nam πᾶν τελῶς ἡ θεραπεία τῇ διαγνώσει τε καὶ προγνώσει συνέπεται. διαγνῶναι μὲν γὰρ χρὴ τὰ πάροντα, προγνῶναι δὲ ἐξ αὐτῶν τὰ γενησόμενα τὸν μέλλοντα χρήσεσθαι βοηθήματι θεραπευτικῷ, curatio vbique dignotionem, prænotionemque consequitur. Si quidem & dignoscat quæ præsentia sunt, & prænoscat quæ ex illis futura sunt oportet, qui velit efficaci remedio vti. *Gal. cap. 6. lib. 10. meth. Therap.* Præsens quippe morbi constitutio quam primum

Medendi methodus quibus constet.

Quare necessaria Diagnosis ac Prognosis ad Therapium.

percipienda, vt conueniens illi possit adhiberi remedium: futura vero præuidenda præsagiendaq;, vt si salutis spes affulserit, curatio protinus instituatur, sin mortis metus subsit, mature prædicetur, vel si lethalis prorsus fuerit, omnino non suscipiatur curandus. Si quidem ἐχρὴ κεκρατημένοις ἐγχειρεῖν ἀλλ' ἀφίεσθαι δηλονότι προσαγορεύσαντα μόνον ὅτι τελευτήσει τὸ νόσημα, deploratos non oportet aggredi curare, sed relinquere, & morbi finem tantum modo prænunciare. *Gal. in aph. 29. l. 2.*

Ἐφ' ᾧ μὲν γὰρ ἀνέλπιστος ἡ σωτηρία, μάταιον ἂν εἴη διαβάλλειν τοῖς ἰδιώταις τὰ πολλὰς σώζοντα βοηθήματα. In quo enim deplorata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuere saluti. *Gal. c. 9. l. 11. Meth. Therap.*

Est igitur prudentis hominis eum qui seruari non potest, non attingere, ne videatur occidisse, quem fors ipsius peremit. Si quæ tamen auxilia experiri placeat, quod admirabiles naturæ sint affectus, nec tãta signis apparentibus tribuenda vis, vt naturalis facultas inferior existimetur; quodq; ægrotantem quãtumuis deploratum, prorsus deserere sit inhumanum: illum curare licebit, prædicto parentibus exitio, quo morbi magnitudini, nõ curanti mors imputetur. Vbi vero grauis metus est, sine certa tamen desperatione, indicabit necessariis periclitantis in difficili rem esse, vt si victa ars malo fuerit, vel ignorasse vel fefellisse non videatur. Adde quod à Medico tunc sit monendus æger, vt animæ saluti rebusq; suis consulat. *Ex Celso, c. 29. l. 5.* Quocirca ad medicinam via & ratione faciendam, affectus qui proponitur Diagnosis imprimis habenda, dein exitus Prognosis assidentibus prædicenda, tum aggredienda eius Therapia est.

I I.

Qua methodo consequenda Diagnosis.

Vt perfecta Diagnosis habeatur, primum affecta sedes, deinde affectus species, tũ causa accurate perquirenda. Si tamen affectus parte affecta conspectior videatur, prius erit explorandus, vt inde facilius affecta sedes alioqui obscurior innotescat. Si pars laborãs per se nota sit, affectus species protinus internoscenda occurrit, mox eius expendenda causa. Si affectus sedes ac species conspicuæ fuerint, sola causa relinquitur inuestiganda. *Ex Gal. Fer. &c.*

I I I.

Quibus signis sedis

Quæ corporis pars affecta sit, ex actione læsa, doloris specie, situ, excre-

excrementis, affectibus simplicibus & propriis accidentibus deprehenditur. Hæc tamen signa non semper omnia, sed quædam necessario elucent in vnaquaq; affecta sede. *Ex Gal. Fer &c.* *affecta Diagnosis habeatur.*

IIII.

Actio læsa eam partẽ à qua edi solet affici ostendit. Functio quippe animalis læsa partem aliquam animalem laborare declarat, vitalis vero vitalem, & naturalis naturalem. Vt mentis, imaginationis, & memoriæ læsio cerebrum: sensus & motus noxa neruos, vel neruorũ principium, cæcitas oculum, surditas aurẽ, deprauatus gustus linguam, olfactus nares. Sic respirandi difficultas thoracem, vel aliam partem respirationi dicatã. Pulsus à natura recedens, & palpitatio cor. Deglutitio impedita œsophagũ. Cruditas ventriculũ. Vitiata hæmatosis, atrophia & cachexia hepar, Hac ratione cuinam corporis parti animali, vitali an naturali affectus insideat, ex actionis læsione dignoscitur. *Vt pars affecta dignoscatur ex actione læsa.*

Doloris quoq; species explicat quæ pars sit affecta, vt dolor pulsans aut arteriam aut partem arteriæ proximã laborare: pungens membranam: conuellens neruos aut tendones: extensus venas: contundens & profundus ossium membranas: laxus & mollis carnem: grauis & obtusus viscera, aliamve partem sensus hebetioris. *Ex doloris specie.*

Situs etiam doloris affectæ sedis est index. Nam si dolor dextro hypochondrio penitus insidet, *iecur non lien: si siniſtro, lien non iecur* afficitur. Vbi quippe dolor, ibi morbus. *Situs* vero partis in administrãda anatome in eum scopũ diligenter obseruãdus est. Nec etiam negligendus ægri decubitus. Nam si exterior sit affectus, grauius in partem affectam decumbit: si interior contra. Quæ excernuntur partis affectæ indicia sunt nonnunquam certissima. Nam si portio quædam affectæ sedis excernatur, hanc certo coarguit. Vt cartilago tussi eiecta arteriã, caruncula in vrinis renes, & ramentum in alui fæcibus, tenue quidem superiora, crassum & carnosum inferiora intestina exulcerari demonstrat. Si per vulnus acceptum cibus aut chylus exit, ventriculus, si fæx alui intestinum, si vrina profluit vesica sauciatur. Vulnerato pectore si spiritus efflatur, succingens membrana diuellitur. *Situ.* *Ab iis quæ excernuntur.*

Excernendi quoq; modus affectã sedem patefacit. Nã ex vulnere sanguis quasi saliendo prosiliens, ex aperta est arteria, & portio sedis affectæ si pura & solitaria excernitur, è proximis est sedibus, sin vero na- *Ab excernẽdi modo.*

turalibus excrementis ad vnguem exquisiteq; permiscetur, è distantib. atque sublimioribus est. Affectus etiam simplices, partis affectæ sunt indices. Nam suffusio oculum laborare ostendit. Tumor in dextro hypochondrio hepar, in sinistro lienem male affici demonstrat. Innotescit insuper affectus locus ex propriis symptomatis. Nam phrenitis cerebrum laborare significat. Maxillæ rubræ, pulmones inflammari. Cibi fastidium os ventriculi affici. Decoctio loturæ carnium recens mactatarum similis hepar imbecillum. *Ex Gal. Fernel. Altomar. &c.*

Ex corporis affectibus.

Ex propriis accidentib.

V.

Comperta parte affecta, diligenter expendendum si per ἰδιοπάθειαν, an per συμπάθειαν laboret, quia parti per se proprioq; affectu laboranti primum succurrendum est. Ἰδιοπάθεια est proprius partis affectus, vt suffusio oculi. Συμπάθεια affectus est parti alterius vitio impertitus, tribus modis contingens, vno, cum pars aliquid præter naturam aliunde illapsum excipit: altero, cum facultas opifex in partem influere prohibetur: tertio, cum materia ad agendum necessaria accedere impeditur. Porro pars quæ diutius ex alterius consensu laborauerit, quandoque proprium inde contrahit affectum, fitque ex sympathia tandem idiopathia. Hic vero quanquam proprius est affectus, non tamen primigenitus, sed secundarius & posterior. Ille πρωτοπάθεια, hic δευτεροπάθεια ἢ ὑστεροπάθεια dicitur. Itaq; si proprius est affectus, is ne primarius sit, an ex alio antecedente profectus, accurate distinguendum. Partis autem affectus propriusne sit, an per alterius consensum, sic dignoscitur. Quum solitarius consistit, & perpetuus est, nihilque intermittens, neq; increscente alterius partis affectu augetur, sed quouis alio sublato persistit, atque illi accommodata præsidia conferunt, proprius existit. At qui alteri superuenit, illiusque incremento inualescit, remissione vero mitescit, nec idoneis subsidiis parti adhibitis leuatur, alterius consensu fit. Sic discernitur Cephalalgia per consensum ventriculi, ab ea quæ fit peculiari capitis vitio, si nauseam, ructum acidum aut nidorulentum: stomachiq; dolorem sit consequuta, ac si cum dolore ventriculi augeatur & minuatur, nec conuenientibus topicis capiti admotis leuetur. *Ex Gal. Fernel, &c.*

Cur diligenter expendendum num pars affecta proprie & primo, an per consensum & secundario laboret.

Quibus signis internoscatur affectus proprius ab eo qui fit per consensum.

VI.

Perfecta sede primario affecta, quis deinde in ea affectus sit quæ-

quærendum. Ἡ τῷ ἐνέργειαν ἐμποδίζουσα διάθεσις, ὀνομάζεται νόσος. εἴ τι ἕπεται τῇδε, σύμπτωμα. τὸ δ' ἐργαζόμενον ἀυτῷ αἴτιον. Affectus qui actionem vitiat, morbus appellatur, hunc si quid sequitur symptoma, quod illum excitat, causa. *Gal. c. 1. l. 2. Meth. Th.* Itaq; ἅπασα διάθεσις σώματος ἐξισαμένη τὸ κατὰ φύσιν, ἤτοι νόσημα ἐστὶν, ἢ αἰτία νοσήματος, ἢ σύμπτωμα, omnis corporis affectus à naturali cõstitutione recedẽs, aut morbus est, aut morbi causa, aut symptoma. *Gal. c. 1 l. Sympt. diff.* Symptoma autem quia perpetuo sub sensum aliquẽ cadit seipso nõ aliis signis percipitur. At morbus atq; eius causa interior nostros plerumq; sensus effugiunt, nec in conspectum se dant, ex symptomatis tamen ceu ex signis innotescunt, vt actionis læsæ differentiis, excremẽtis, & corporis affectibus, præsertim vero propriis accidentibus. *Ex Fernel. & aliis.*

Quod triplex sit affectus præter naturam, morbus, morbi causa, & symptoma, & qui inter se differant.

Quare Symptoma per se notũ sit.

Quod morbus & causa ex Symptomatis innotescãt.

VIII.

Ἡ νόσος, διάθεσις ἐξ παρὰ φύσιν ὑφ' ἧς ἐνέργεια βλάπτεται πρώτως. Morbus est affectus præter naturam, à quo primum actio læditur. *Gal. c. 1. l. de Sympt. diff. & alibi.* Quoties igitur actionem partis manifeste læsam videris, eandem morbo tentari affirmabis.

Quid morbus & quomodo dignoscatur ex actione læsa.

Est autem triplex morbus, Similaris, qui actionem partis similaris primum lædit, Instrumentarius, qui vsum instrumenti primum peruertit: & Communis, qui vtrumq; simul. Si igitur actio partis vt similaris est lædatur, similaris morbus erit: si illius vsus quatenus functionis alicuius est instrumentum interturbatur, organicus: at si vtrumque simul, communis. Partis autem similaris actio læditur intemperie simplici, calida, frigida, humida, sicca, vel composita, calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca, eaq; nuda vel cum materia. Instrumenti vsus euertitur, magnitudinis, numeri, situs ac fere conformationis vitio, vt obstructione. Vtrumq; simul solutione continui, vt phlegmone, scirrho, aliove præter naturam tumore, vlcere, vulnere, &c. Vnde intemperies morbus similaris, obstructio organicus, & solutio continui, communis existit. Ex variis vero actionis læsæ differentiis, variq; morbi species internoscuntur. Vt veternus intemperiem cerebri frigidam humidam ostendit. Vigilia immodica calidam siccam: Pulsus frequens, celer & inæqualis febrem. Sic & doloris proprietas morbi speciem demonstrat, vt dolor inflammans calidam in-

Quod morbus triplex, similaris, organicus, & communis, & qua ratione vnusquisq; dignoscatur ex actione læsa.

Vt morbi species dignoscatur ex variis actionis læsæ differentiis.

Ex doloris specie. temperiem, stupefaciens frigidam. Quæ excernuntur morbi speciem certo nonnunquam exprimunt. Si enim in excrementis partis cuiuspiam portio continetur, vlcus subest, vt cum intestini ramentum deiicitur, aut asperæ arteriæ bronchiũ expuitur. Si cibus non mutatus deiicitur, lienteria est. Si arenæ subsident in vrinis, calculus in rene coniicitur. Affectus etiam corporis morbi speciem declarant, vt cittinus vniuersi corporis color, iecoris, niger vero lienis obstructionem: lingua nigricans ardentẽ febrem. Vngues aduncí, tabem. Genæ rubræ, peripneumoniam. Atq; ex his quidem accidentibus quæcumq; propria & inseparabilia dicuntur, quia maximam demonstrandi vim obtinent, certissima sunt. *Ex Gal. Fernel. & aliũ.*

Ab iis quæ excernuntur.

Ex corporis affectibus.

Certissime ex propriis accidentib.

VIII.

Ex loci affecti natura & situ. Loci quoq; natura atq; situs, maximi est ad morbi speciem comperiendam momenti, quod vniuscuiusque partis sui sint & peculiares morbi. Vt oculi soli suffusione tentantur: renes & vesica fere calculo: intestina lumbricis, non autem ventriculus: cor nunquam penetrante vlcere, vt neq; pulmo dolore. *Ex Fernel. & aliis.*

IX.

Ex antecedentibus. Ad clariorem insuper morbi notitiam consequendam, antecedentia accuratè perpendenda, vt ægrotantis natura, habitudo, ætas, anni tempus, cæli constitutio, regio, prægressa victus ratio, & consuetudo laborandi hoc vel illo modo. Etenim τοῖς οἰκείοις νοσήμασιν εὐαλωτότεροι πάντες, omnes affinibus morbis facilius corripiuntur. *Gal. in aph.* 39. *l.* 2. Τῇ δὲ θερμῇ φύσει καὶ ἕξει καὶ ἡλικίᾳ καὶ ὥρᾳ καὶ κατασκάσει καὶ χώρᾳ, τὰ θερμότερα τῶν νοσημάτων ἐστὶν οἰκεῖα. ταῖς δὲ ψυχροτέραις τὰ ψυχρότερα, κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ ταῖς μὲν ξηροτέραις τὰ ξηρότερα, ταῖς δ' ὑγροτέραις τὰ ὑγρότερα. Calidæ autem naturæ, & habitui & ætati & tempori, & cœli constitutioni ac regioni, morbi calidiores sunt consentanei, frigidioribus vero frigidiores. Eadem ratione & siccioribus siccíores, & humidioribus humidiores. *Gal. in aph* 34 *l.* 2. Quamuis igitur ob errata, quæ in viuendi ratione contingunt, omnibus temperaturis, & habitibus & ætatibus & locis & temporib. morbi omnis generis accidant, huic tamen vel illi naturæ & habitui, in hac vel illa ætate vel regione, atq; hoc vel illo tempore, cui videlicet consentanei sunt, magis excitantur. Ob improbam quippe victus rationem, νοσήματα πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι

ὥρησι γίνεται, morbi omnes in omnibus quidem temporibus fiunt, authore Hippocrate, aph. 19. l. 3. μᾶλλον δ' ἐνιαυτοῦ ἐνίας αὐτέων, καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται, nonnulli vero in quibusdã illorũ magis & oriuntur & exacerbantur, propter affinitatem quã cum illis temporibus habent, cuiusmodi sunt Epidemici. Itaq; sæpe dignoscitur hæc vel illa morbi species, ex eo quod hoc tempore grassetur in populum, eaq; multi tum corripiantur. Si quis itẽ natus sit parentibus epilepticis, vel arthriticis, vel calculo vel alio morbo hæreditario laborantibus, suspecta est epilepsia, vel arthritis, vel nephritis. Præterea à iuuantibus & lædentibus morbi species non raro cõiicitur. Nam calida intemperies calefacientibus impositis exacerbatur, frigidis vero remittitur. Frigida intemperies contra. *Ex Gal. Fernel. &c.*

A parentibus.

A iuuantibus & lædentibus.

X.

Cognito morbo, eius perueſtiganda causa. Hæc autem interna est, vel externa & euidens. Interna duplex, antecedens & continens. Continens quæ & coniuncta a Latinis, συνεκτικὴ Græcis dicitur, quia proxime morbum facit, primum perquirenda, flatusne sit, an humor quispiam, sanguis, bilis flaua vel atra, vel pituita, aliudve præter naturã, vt calculus, grumus, lumbricus, excrementiue genus. Id autẽ indicant partis color & natura, doloris species, excrementi genus, vt & humoris dominium. *Ex Fernel. & aliis auth.*

Quotuplex sit morbi causa.

Cur causa continens primum perquirenda.

Vt dignoscatur.

XI.

Pars siquidem quæ præter naturam incaluit, si rubet, sanguine, si flaueſcit, bile præter modũ perfusa est: quæ friget si albescit pituita, sin liuet melancholia grauatur. Etenim τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν ἐοικὸς ἀνθέων, color in cute efflorescit similis humoribus subiectis. *Gal. com. in aph. 2. l. 1.* Aliæ partes aliis gignendis coaceruandisq; excrementis comparatæ sunt, iecur, bili flauæ, lien atræ, ventriculus, intestina & cerebrũ pituitæ, renes & vesica calculo, intestina lumbricis. Dolor acerrimus est à bile, mitior à sanguine, hebes à melancholia, à pituita & à flatu, nisi cum copia vehementer distendunt. Quæ ex affecta sede prodeunt, si portio quædam sunt concluſæ materiæ, vel colore, vel substantia quænam ea sit exprimunt. De humoris dominio postea. *Ex Fernel. &c.*

Ex colore.

Ex natura partium.

Ex doloris specie.

Ab excrementi genere.

XII.

Vbi continens morbi causa cognita est, perscrutandum deinceps solane

Quid agendum cognita continente morbi causa.

sol ne ea sit atq; sol tatia, an ab antecedente quapiam foueatur. Quæ solius laborantis partis vitio quasi congestione quadam coaceruata est, solitaria censetur. Cum vero vel corpus vniuersum, vel pars aliqua humoris copia premitur, hancq; quasi molestum onus excutiens in partem laborantem deponit, tum quidem antecedens causa subest continentis comes, duplexque interiorum causarum genus est remediis profligandum. *Ex Fernel.*

XIII.

Quotuplex antecedens morbi causa.

Antecedens morbi causa quæ προηγουμένη Græcis dicitur, duplex est, plethora & cacochymia. Πληθώρα μέν ἐστιν ἁπάντων τῶν χυμῶν ὁμοτίμως ἀυξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου πλεονεξία. Plenitudo est humorum omnium æqualiter adauctorum, siue sanguinis solius redundantia. *Ex Gal. c. 3. lib. 2. de comp. med.* κατὰ τόπον. Κακοχυμία δ' ἐστὶ τῆς ξανθῆς ἢ μελαίνης χολῆς, ἢ τοῦ φλέγματος πλεονεξία. Cacochymia est flauæ vel atræ bilis, vel pituitæ redundantia. *Ex Gal. c. 6. l. 13. meth. med.*

Quid Plethora.

Quid Cacochymia.

Vnde sumantur vtriusq; indicia.

Vtriusq; autem indicia sumuntur tum ab antecedentibus causis, humoris prouentum facientibus, vt à corporis totius principaliumq; viscerum temperie, ab ætate, anni tempore, cæli statu, regione, viuendi consuetudine in cibo & potu, vitæ & exercitationis genere, ac consueta vacuatione suppressa: tum à consequentibus accidentibus, nempe ab affectibus corporis, vt colore, habitu, ab animi moribus, à functionibus animalibus, vitalibus & naturalibus, vt somno, insomniis, pulsu, coctione, ab iis quæ excernuntur, necnon & ex præteritorum morborum quibus plurimum conflictati consueuit recordatione, & ab iis quæ lædunt & iuuant.

XIV.

Quotuplex sit plethora.

Plethora duplex est, vna πρὸς τὴν δύναμιν ad vires, in qua tametsi sanguis nec qualitate nec copia symmetriã excessit, vires tamẽ quauis alia ex causa imbecilles premit: altera πρὸς ἀγγεῖα ad vasa, à multis κατὰ τὸ ἔγχυμα vocata, quæ iã supra naturæ symmetriã est. Quæ ipsa aut leuis est, cum venarum cauitatẽ solum replet, ac proinde mediocritatẽ paulum excedit, aut tensiua cum iam vasorum tunicas præ copia distendit ac prope diuellit. hac enim tã copioso sanguine redundant, vt non modo intumescant, sed etiam distendantur, peneq; rumpantur. Hæc licet immodice exuperet, fieri tñ potest vt vires nõ premat. Nã plerũq; (vt in habitu

hitu athletico) vires cum sanguine & carnis mole æqualiter increscunt. At si vires infirmæ subsistant, supra vires erit plenitudo. Quum igitur in plethora corpus nihilominus ingraueſcit, & vires omnes æquales persistunt, sola est vasorum plenitudo. At si corpus artusque ingraueſcunt, & motus pigrior euadit, somnus grauis, profundus & interturbatus, & laborans per insomnia se grauiter premi, aut onus gestare, aut loco moueri non posse putat, vitium est grauans plenitudo. *Ex Gal. & Fernel.*

Qui differant plethora ad vasa, & ad vires.

XV.

Antecedentia plethoræ signa sunt causæ sanguinis vbertatem procreantes, quales sunt:

Notæ plenitudinis antecedentes.

Corporis totius, ac præsertim iecoris & cordis εὐκρασία, ac modice calida & humida temperies.

Ætas ἐπακμαστική. Siquidem τὰ παίδια καὶ τὰ μειράκια, καὶ οἱ ἐν τῷ μεταξὺ ἀμφοτέρων ἡβῶντες πλεῖστον ἔχουσι τὸν τοῦ αἵματος χυμὸν, pueri & adolescentes & in amborum medio constituti puberes humoris sanguinei plurimum habent, quod à suis vitæ principiis non ita procul absint. *Ex Gal. in 3. epid.*

Tempus vernum. Nã τὸ ἦρος αἷμα πλεῖστον, vere sanguis vberrimus, quod tum frigora remittant, & aquę superueniant. *Ex Hippoc. li. de nat. hu.*

Regio temperata, ac maxime.

Liberalior victus euchymus beneque temperatus, vt nimia optimi cibi vinique copia & affluentia, vitaque curarum expers, gaudiorum plena, cum exercitatione moderata & tempestiua, somnoque mediocri.

Consueta item sanguinis vacuatio spontanea suppressa, aut medica iamdiu intermissa, plenitudini materiam suggerit.

Consequentia autem plethoræ signa sunt accidentia quę copiosum in corpore sanguinem contineri, dominarique demonstrant, qualia sunt:

Consequentes.

Faciei corporisque color supra consuetudinem rubicundus, seu ex rubro & albo mistus.

Venarum omnium tumor æquabilis.

Tensio vasorum plenorum ac copia sanguinis turgentium oculis manifesta.

Tensiua lassitudo spontanea, in qua & corpus & artus omnes ægrius præpondere mouentur, vixque manus in pugnum adducitur. Fit enim distendens lassitudo, cum turgentes præ copia sanguinis venæ maiores se in minores exonerant, vnde musculosas carnes impleri distendique contingit.

Plenior corporis moles. Si quidem πολυσαρκία πλήθους αἵματος ἔγγονος, carnis abundantia ex sanguinis copia nascitur. *Galen. cap 9. l. 2. de temp.*

Habitusve mediocriter carnosus miti, blando & habituoso calore perfusus, quia εὐσαρκία φύσεως εὐκράτε γνώρισμα, habitus mediocriter carnosus temperatæ naturæ est index, quæ πολύαιμος existit *Galen. ibid.*

Animi mores hilares & iucundi, tranquillique ac blandi, quia τὰ εὔκρατα περὶ ἦθος τῆς ψυχῆς ἤθη, τοῦ σώματος εὐκράτε σημεῖα, temperati mitesque animi mores, sunt temperati corporis indices. *Gal. lib. quod animi mores corporis sequantur temperamentum.*

Morum item simplicitas & stupiditas, quia τὸ μὲν ἀπλοῦν ἠλιθιώτερον ἐν τῇ ψυχῇ, διὰ τὸ αἷμα εἶναι, mentis simplicitas & stupiditas à sanguine proficiscitur. *Lib. de nat. hum.*

Capitis grauitas, ob vaporum in cerebrum meantium copiam.

Somnus profundus fereque placidus, in quo & res in somniis visuntur lætitiæ & iucunditatis plenæ, quasi floribus aut luce illustres.

Pulsus magnus, fortis & plenus. Venæ siquidem pleniores anastomosi copiæ nonnihil in arterias transfundunt. Plenæ autem arteriæ eiusmodi pulsum edunt, non in carpo solo, verum etiam in temporibus, in digitis & in extremis quibusque partibus molesta pulsatione conspicuum.

Respiratio difficilior & crebrior, præsertim ab exercitatione, quia musculi thoracis ex sanguinis copia pigri sunt. Vnde respiratio quidem frequentior ob vsum, sed minor, quoniam arctatur interna thoracis capacitas.

Sanguinis prompta reiectio per deiectiones, hæmorrhoidas, menses, vrinas, sputa, nares.

Εὐφορία facilitas tolerandi multam hæmorrhagiam.

Præterea ἱδρὼς πολὺς ἀεὶ ῥέων ἐν ὅλῳ χρόνῳ τοῦ νοσήματος ἐνδείκνυται πλῆθος,

πλῆθος, sudor multus assidue fluens in toto morbi tempore, plenitudinem adesse indicat. *Gal. in aph. 42. l. 4.*

Adhæc si laborans morbis ex plenitudine iam sæpius conflictari consueuit, vt febre continente, phlegmone. Nam ἐξ ὑπερρόῃ αἵματος φλεγμονὴ πᾶσα γίγνεται, omnis inflammatio ex affluente fit sanguine. *Gal. c. 9. l. 2. de loc. affect.*

XVI.

Cacochymia triplex est, biliosa, melancholica & pituitosa. Cacochymiæ biliosæ antecedentes notæ sunt causæ bilis copiam exaggerantes, quales sunt, *Quotuplex fit cacochymia.*

Temperies calida & sicca. Nam ταῖς θερμαῖς τε καὶ ξηραῖς κράσεσι τῶν ἀνθρώπων ἡ ξανθὴ χολὴ πλείστη φαίνεται γιγνομένη, calidis & siccis hominum temperaturis flauæ bilis plurimum gigni videtur, quod biliosus humor his complexionibus sit consentaneus. *Ex Galen. c. 8. l. 2. de fac. nat.* *Signa cacochymiæ biliosæ antecedentia.*

Ætas constans & florida, qualis est ab anno 25. ad 35. vsque. *Ex Gal. in aph. 9. l. 5.* Nam ἡ ξανθὴ χολὴ κατὰ τὸν ἀκμαστικὸν ἡλικίαν πλεονάζει, flaua bilis ætate consistente exuperat, *Ex Gal. in aph. 29 l. 3.* quia calor natiuus multo siccior atq; intensior est, quam antea, magna humoris primigenii portione qua obruebatur consumpta.

Tempus æstiuum. Etenim τὸ θέρος ἡ χολὴ πλείστη, æstate bilis vberrima. *Ex Hipp. de nat. hum.* quod tum sanguis calidior & siccior ab aere ambiente reddatur.

Sicca temporis constitutio, Nam ἡ ξηρότης τοὺς χυμοὺς ἐργάζεται χολωδεστέρους τῇ ποιότητι, siccitas humores efficit qualitate biliosiores. *Gal. in aph. 7. l. 3.*

Regio calida & sicca. Ac maxime

Prægressa victus ratio calidior & siccior.

Quinetiam γυμνάσια καὶ πόνοι καὶ θυμοὶ καὶ φροντίδες καὶ ἀγρυπνίαι, καὶ ἀσιτίαι καὶ ἔνδειαι πλείονα τὸν τῆς ξανθῆς χολῆς ἀθροίζουσι χυμόν, exercitationes, labores, iræ, curæ, vigiliæ, abstinentiæ & inediæ, bilis flauæ plurimum aceruant. *Gal. c. 13. l. 2. de temp.*

Nec non & suppressa bilis vacuatio spontanea, aut intermissa quæ medicamentis fieri consueuerat per vomitum, per aluum, per vrinas aut sudores.

Conſequẽtia. Conſequentes autem bilis flauæ immoderatius in corpore exuperantis notæ ſunt:

Faciei, oculorum totiuſque corporis color pallidus, flauus aut citrinus, ad eum accedens qui ictericorum eſt.

Vel Nigellus. Nam εἰ κράσις ἐπὶ πλέον ἥκει θερμότητος μελαγχρούς, ſi temperamentum in caliditate multum excedat, color niger adeſt. *Gal. in arte med.*

Corporis habitus ſiccus, macer & gracilis. Nam ὡς τὸ πολὺ οἱ ἰσχνοὶ, χολώδεις εἰσί, graciles vt plurimum bilioſi. *Gal. in aph. 6. l. 4.*

Atque hirſutus, quia δασεῖα μὲν ἡ θερμὴ ἠ ξηρὰ κράσις ἐστὶν ἐλάχιστος, ſumme hirſuta eſt temperies calida & ſicca. *Gal. c. 10. l. 2. de temp.*

Pilus flauus. Etenim ἡ θελὺξ ξανθὴ τῆς ξανθῆς χολῆς ἰλυῶδες περίτωμα ἐστί, pilus flauus flauæ bilis fæculentum excrementum eſt. *Gal. ibid.*

Eoque magis etiam Nigellus, quia ἡ θελὺξ μέλαινα μὲν ἐστὶν ὅταν ὑπὸ ῥώμης τοῦ θερμοῦ συγκαυθείσης τῆς ἀναθυμιάσεως, ἀκριβὴς λιγνὺς γένηται· τὸ περίτωμα. ξανθὴ δ' ἁπλῶς ἐπὶ πλέον καταπηθῇ, pilus niger fit cum deuſto vi caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem mutatur. Flauus vero cum minus torretur. *Gal. ibid.*

Venarum caloris vi diſtentarum amplitudo. Quoniam ὅσοι μὲν εὐρυτέρας ἔχουσι τὰς φλέβας θερμότεροι φύσει. ὅσοι δὲ στενοτέρας ψυχρότεροι. τοῦ θερμοῦ γὰρ ἔργον ἀνευρύνειν τε καὶ διαφυσῆσαι ταύτας, quibuſcunque latiores venæ ſunt, hi calidiores natura ſunt, quibus anguſtiores contra frigidiores. Caloris namque opus eſt has dilatare atque inflare. *Gal. c. 9. l. 2. de tem.*

Calor tactu acer & mordax.

ἀξυθυμία, in iracundiam & vindictam propenſio, animi promptitudo & alacritas.

Senſus acuti, veloces & expediti, ingenium acre & ſolers, τὸ γὰρ ὀξὺ καὶ σιωπὸν ἐν τῇ ψυχῇ διὰ τὸν χολώδη χυμόν ἐστί. Mentis enim acumen & ſolertia à bilioſo humore proficiſcitur. *Hipp. lib. de nat. hum.*

Somnus omnino paucus & leuis, & magna corporis iactatione inquietus.

Vigiliæ prope perpetuæ. ἀγρυπνίαι γὰρ γίνονται διὰ θερμὴν δυσκρασίαν τοῦ πρώτου μορίου τῶν αἰσθητικῶν, ἢ μόνου, ἢ καὶ χυμῷ χολώδεσι πλεονάσαντες,

Immo-

Immodicæ enim vigiliæ fiunt ex calida cerebri intemperie vel sola, vel ex bilioſi humoris abundantia. *Gal. in aph. 3. l. 2.*

Inſomnia belli, furoris, ignis plena.

Pulſus vehemens, velox, frequens & durus.

Oris amaror, inappetentia, ſitis vehemens & inexpleta, morſus in ore ventriculi, & inde conuulſio epileptica, ſyncope ſtomachica.

Vomitio deiectioque bilioſa.

Alvus aſſidue ſicca.

Vrina flaua, flammea, acris & pauci ſedimenti.

Morbi bilioſi frequentes, vt cholera, febris tertiana & ardens, herpes, eryſipelas, puſtulæ bilioſæ in toto corpore erumpentes.

Quinetiam bilis purgatio vtilis ac toleratu facilis, frigidorumque vſus gratus & delectabilis, quia ferocientem bilem compeſcunt, vt calida exacerbant. Vnde τὸ χολῶδες νόσημα παροξύεται τῶν θερμαινόντων ὑπὸ θερμῶν, ὥσπερ αὖ πάλιν ὑπὸ ψυχόντων ἀνίεται, Bilioſus morbus calfacientibus adhibitis excandeſcit, quemadmodum rurſus à frigidis remittit. *Gal. c. 2. l. 10. de comp. med. καθ' τόπ.*

XVII.

Signa cacochymiæ melancholicæ antecedentia.

Cacochymia melancholica dignoſcitur primum ex cauſis melancholiam, atramque bilem in corpore largiorem congerentibus, cuius generis ſunt:

Natiua temperies frigida & ſicca cum lienis imbecillitate, vel calida quidem à principio, ἐκ μεταπτώσεως autem frigida. Nam εἴ τις ἔμπροσθεν θερμὸς καὶ ξηρὸς ἐκ συγκαύσεως τοῦ αἵματος ἐγέννησε πλείστην τὴν μέλαιναν χολὴν, ἔστι γοῦν ἐκεῖνος ὁ τοιοῦτος τῷ ξηρὸς εἶναι καὶ ψυχρὸς, οὕτως καὶ μελαγχολικός. Si quis ante calidus & ſiccus ex ſanguinis vſtione plurimam generauit atram bilem, eſt vtique is, præterquam quod ſiccus eſt & frigidus, protinus etiam melancholicus, *Gal. c. vlt. l. 2. de temp.*

Ætas inclinans, quæ ab anno 35. ad 49. extenditur, *ex Gal. in aph. 30. l. 3.* Nam μέλαινα χολὴ καὶ τὴν παρακμαστικὴν ἡλικίαν πλεονάζει, atra bilis ætatem declinante exuperat, quia hæc iuuentuti ætatum bilioſiſſimæ ſuccedens bilem retorridam excipit. *Gal. in c. 6. l. 3. Prog.*

Tempus autumnale. Siquidem μέλαινα χολὴ τοῦ φθινοπώρου πλείστη, atra bilis autumno plurima, quod hic æſtati omnium anni partium ca-

lidiſſimæ ſiccæ ſuccedens, vſtam in ea bilem excipiat.. *Ex Hippoc. li. de nat. hu.*

Victus vſuſque frequens craſſorum ac terrenorum alimentorum, cuiuſmodi ſunt panis furfuraceus & ater, caro bubula, leporina, caprina, ceruina & maxime condita ſale, vinum craſſum, nigrum, ceruiſia, caſeus vetus.

Vitæ conditio triſtis, multis curis, negotiis, contèmplationibus aut literarum ſtudiis implicita, nulla interpoſita animi hilaritate, aut corporis exercitatione. Sub hac enim natiuus calor elangueſcit, & omnia torpore ſopita craſſeſcunt.

Conſueta melancholiæ vacuatio ſuppreſſa, ſiue ea ſpontanea eſſet, vt per hæmorrhoidas, per menſtrua, per aluum, aut per varices & ſcabiem, ſiue medicamentis fieri ſolita.

Conſequentia. Deinde ex ſignis melancholiæ in corpore dominantis, qualia ſunt:

Faciei, totiuſque corporis color fuſcus, obſcurus aut nigricans, interdum vniuerſus & æquabilis, interdum maculis, quibuſdam inuſtis. Curiſque nigra vitiligine, conſperſa, & nigra, plerumque & cruſtis fœda ſcabies.

Lienis durities, tumor, dolor grauis.

Corporis habitus ſiccus & macilentus.

Aſpectus fixus, horridus, ac mœſtus.

Metus & triſtitia, taciturnitas, ſolitudo, inanis rerum commentatio, mentis conſtantia & ſtabilitas. Siquidem τὸ ἑδραῖον καὶ βέβαιον ἐν τῇ ψυχῇ διὰ τὸν μελαγχολικὸν χυμὸν ἐστί. quod in mente conſtans firmumque eſt, id à melancholico humore proficiſcitur. *Galen. in lib. de nat. hum.*

Animus ad iraſcendum quidem tardus, ſed ferox, nec facile placabilis.

Somnus turbulentus, horrendis inſomniis fluctuans & agitatus ſpectris rerum nigrarum, dæmonum, tormentorum, mortis, cadauerum, ſepulchrorum, quæ plena ſunt terroris.

Pulſus paruus, tardus, rarus, & ſubdurus.

Appetentia ſæpe corrupta, interdum canina, à materia acida os, ventriculi imbuente & ſugente.

Præ

Præcopia ſponte erumpens melancholia, vomitione, deiectione, vrinis, ſudoribus, mariſcis aut varicibus.

Vrina ſi nihil vna excidit melancholiæ tenuis & alba, ſin vero illius quiddam præterfluat, craſſa & nigra.

Morbi melancholici frequentes.

Medicamenta melanogoga conferentia, laborantemque leuantia. omniſque victus probum tenuemque ſuccum proferens, iuuans, contrarius vero lædens.

XVIII.

Pituitoſæ cacochymiæ diagnoſis ſumitur primum à cauſis pituitæ prouentum facientibus, cuiuſmodi ſunt: *Signa cacochymiæ pituitoſæ antecedentia.*

Temperamentum frigidum & humidum.

Ætas ſenilis, quæ ab anno 49. ad vitæ finem, vſque extenditur. Nam ἡ τῶν γερόντων ἡλικία πάμπολυς ἐστὶν ὁ χυμὸς φλεγματώδης, in ſenili ætate plurimus eſt humor pituitoſus excrementitius, ob caloris natiui penuriam, *Gal. in aph. 31. l. 3.*

Hybernum tempus, quia *ex Hipp. lib. de nat. hum.* ὁ χειμὼν πληροῖ τὸ σῶμα φλέγματος, hyems corpus pituita replet, tum ob pluuiarum copiã, tum ob noctium longitudinem. Vnde hyems ἀπὸ τοῦ ὕω id eſt pluo, deriuatur.

Conſtitutio cæli humida. Siquidem ἡ ὑγρότης τοῦ περιέχοντος πύς τε φλεγματώδεις ἀθροίζει χυμούς, καὶ τῶν ὑδατωδῶν περιττωμάτων ἀκόλουθα, aeris ambientis humiditas pituitoſos aceruat humores, & non paucas generat aquoſas ſuperfluitates. *Gal. in aph. 7. lib. 3.*

Frigidorum humidorumque alimentorum immoderatus vſus, & largior aquæ potus.

Victus plenior, intempeſtiue necdum priore confecto ſumptus, omnis denique ſatietas & ingluuies.

Vita ſedentaria & in otio deſes, locis præſertim aquoſis & humidis.

Somnus longus, præſertim à cibo.

Pituitæ per os aut per aluum vacuatio ſuppreſſa, quæ diu ſiue ſponte ſiue arte conſueta fuerat.

Menſes mulieribus præter conſuetudinem ſuppreſſi.

Tum ab indiciis pituitæ dominantis in corpore conſpicuis, *Conſequentia.* qualia

qualia sunt: Faciei corporisque color albicans, interdum plumbeus aut liuidus, facies tumida, totiusque corporis moles ampla & obæsa. Etenim οἱ πάχεις καὶ πιμελώδεις ψυχροὶ καὶ φλεγματώδεις εἰσί, crassi & pingues frigidi pituitosique sunt, quia πιμελὴ διὰ ψύξιν ἕξεως ἀεὶ γίνεται, pinguedo ex habitus refrigeratione perpetuo gignitur. *Ex Gal. c. 9. l. 2. de temp.*

Venæ & arteriæ exiles & angustæ, quia paucum omnino sanguinem & spiritum continent. *In aph. 44. lib. 2.*

Cutis alba, mollis & depilis, quia ἐλάχιστα ἄτριχος ἡ ψυχρὰ καὶ ὑγρὰ κρᾶσις ἐστί. ad summum glabra est frigida & humida temperies. *Gal. c. 10. l. 2. de temp.*

Pilus albus. Nam ἡ λευκὴ θρὶξ ἔγγονος φλέγματος, albus pilus à pituita nascitur. *Gal. ibid.*

Sexus fœmineus, quia ψυχρότερον ἐστὶν ἄρρενος τὸ θῆλυ φύσει, fœmina est natura frigidior mare. *Gal. c. 9. l. 2. de temp.*

Animi mores omnesque corporis motus tardi cum grauitate & segnitie, sensus obtusi, mens hebes.

Somnus profundus atque grauis.

Aquarum, pluuiæ, niuis, aut submersionis plena insomnia.

Capitis grauitas.

Pulsus paruus, tardus, rarus, mollis.

Tarda concoctio, ructus acidus, nausea sumpto cibo.

Vrina alba vel pallida, nunc tenuis nunc crassa, & turbida cum multo sedimento.

Pituita vomitione aut deiectione spontanea erumpens, corpusque madore sæpe diffluens.

Fluores albi mulieribus.

Pituitosorum morborum, vt œdematis, destillationis atq; similium consuetudo & frequentia.

Pituitæ vacuatio quæcumque vel arte vel sponte obtigerit, conducibilis. Cibi potusque calidi, omnisque causæ calfacientis occursus iucundus & vtilis.

Salsa pituita signa. Salsa vero pituita cum vel bilis permistione, vel inducta putredine calorem præter naturam acquirat, vt mistas bilis & pituitæ causas, ira & illarum mista quodammodo signa obtinet. Eadem sapore, pruritu, & fœda scabie plerumque deprehenditur.

XIX. Fla-

XIX.

Flatus copiosos exuscitant ventriculus frigidus & humidus, omnisque caloris imbecillitas, siue ex simplici intemperie, siue ex humorum vitio contracta. *Signa flatus antecedentia.*

Lien melancholia turgens & obstructus, ventriculi concoctionem contagione offendens.

Flatulenti cibi vt fructus crudi, castaneæ, fabæ, tubera.

Potus immoderatus, nimiaque ventriculi è liquidis cibis fluctuatio, crapula & ingluuies.

Otium, somnus multus, ætas, regio cælique constitutio frigida.

Cum autem ab his causis flatus multus in corpore congestus est, ventriculus & colon intestinum sinistro præsertim hypochondrio distenduntur & rugiunt quasi ventis agitentur. Tensiui dolores in omne corpus euagantur, vagique transcurrunt. *Consequentia.*

Frequens ructu crepituque auditur flatuum eruptio, cui mox leuamen succedit: frequens & aurium tinnitus.

Magna procliuitas in cholicum dolorem, in aliosque ex flatu morbos.

Insomnia rei celeriter currentis aut volantis, interdum etiam tonitrui & tempestatis. *Ex Fernel.*

XX.

Externa & euidens morbi causa, quæ Græcis προηγουμένη, Latinis Præincipiens, vulgo Primitiua dicitur studiose sciscitanda est, quod tũ ad abditæ interioris que causæ, tum ad morbi cognitionem nos perducat. Aer enim, cibus potusque calidior, vigilia, motus vehementior, ira & excernendorum retentio, vt humores ita & morbos generant calidos: Aer vero victusque frigidior, somnus, otium, metus, retinendorum immoderata profusio, frigidos. *Cur externa morbi causa accurate sciscitanda sit.* *Vt maximi sit momenti, ad antecedentis causa, morbiq; cognitionem.*

Morbi sicci calidos, humidi frigidos vt plurimum comitantur. Calor enim tempore accersit sibi sociam siccitatem: Frigus vero, quia parens cruditatum, humiditatem. Vt igitur abdita morbi causa, speciesq; ad vnguem dignoscatur, de rebus omnibus quas vulgus non naturales appellat percontando & interrogando, ab ægrotante elicien-

Biblioteka Uniwersytecka Stara Książka w Toruniu

eliciendum, perdiſcendumque num aeri intemperato vel impuro ſe expoſuerit, an alimento copioſiore aut calidiore vt meraciore vino vſus fuerit, aut peruigilarit, aut plus iuſto ſeſe exercuerit, aut Veneri indulſerit, aut animi perturbatione aliqua commotus fuerit, aut ſi conſueta vacuatio aliqua ſuppreſſa ſit, vt mulieri menſes, viro hæmorrhoides. Idque eo accuratius perquirendum eſt, quod ſæpe ignota euidente morbi cauſa, in vitã ægri peecetur. Si enim quiſpiam ex vigiliis, inedia, aut immoderata Venere febricitet, nec qua ex cauſa febris contracta fuerit explorans, illi ſtatim venæ ſectionem & purgationem præſcribas, ægrum iugulabis, quia morbus eſt ab inanitione. Exoluti quippe ſpiritus, vireſque vigiliis, inedia & immodico Veneris vſu fatiſcentes, analepticis remediis erant reficiendæ, non phlebotomia, aut cathartico atterendæ. *Ex Riol. & aliis auth.*

Nec non & ad curationem.

DISTINCTIO II. DE PRÆSAGIENDI ratione.

CANON I.

Quibus ex fontibus tota Prognoſeως ratio hauriatur.

PRæſagiendi ratio tribus ex fontibus hauritur, ex rebus naturalibus, non naturalibus & præter naturam. Morbum quippe ſalutarem vel lethalem, breuemque vel diuturnum fore prænoſcimus & prædicimus, ex viribus, habitu, ætate, anni tempore, cæli conſtitutione, viuendi conſuetudine, eius cauſa, ſpecie, ſede atque ſymptomatis in actionum læſionibus, excretorum & retentorum ametria, ac ſimplicibus affectibus.

II.

Vt Prognoſis morbi ſalutaris vel lethalis, breuiſq; vel diuturni ſumatur.

Τῆς μὲν δυνάμεως ἔτως ἰσχυρᾶς ἔσης ὡς περιγίνεσθαι τὸ νοσήματος, ἀνάγκη σωθῆναι τὸν ἄνθρωπον. εἰ δὲ τὸ πάλιν εἴη, πάντως τεθνήξεται. Si vires adeo validæ ſint, vt morbum euincant, neceſſario ſanitati homo reſtituetur: Sin contra, omnino morietur. *Gal. lib. 1. de rat. cur. ad Glauc.* Siquidem *οὐκ ἀποθνήσκουσιν οἱ κάμνοντες, ἐξαρκέσης αὐτῶν τῆς δυνάμεως,* ægrotantes non moriuntur, viribus interim ſufficientibus. *Gal. in aph. 25. l. 2.*

Sed

Sed τότε πρῶτον ἀποθανεῖν ἀναγκαῖον, ὅταν ἡ δυνάμις ὑπὸ τοῦ νοσήματος ἡττηθῇ, tum primum ægrotantes mori neceſſarium eſt, cum vires morbo ſuccubuerint. *Gal. c. 5. l. 3. de criſ.* *A viribus validis vel imbecillis.*

Εἰς δὲ τὴν ἡμέραν τοῦ θανάτου προγινώσκειν, ἐκ τε τοῦ πόσον ὑπερέχει τὸ νόσημα τῆς δυνάμεως ὑπισκέψασθαι καὶ ἐκ τῶν βαρυτέρων παροξυσμῶν. εἰ μὲν γὰρ ἀξιόλογος ἡ ὑπεροχὴ, καὶ σμικρὸν ἀντέχειν δυνάμις ἔτι φαίνοιτο, ταχὺς ὁ θάνατος, εἰ δὲ τἀναντία, βραδύτερος. Ad mortis vero diem prænoſcendum, quanto morbus vires ſuperet conſiderandum, & grauiores acceſſiones inſpiciendum. Si enim effatu dignus fuerit exceſſus, & parum reſiſtere adhuc vis naturæ videatur, mors cito ſubſequetur, ſi vero contraria affuerint, tardius. *Gal. c. 10. l. 3. de criſ.*

Prima ergo Prognoſeos ſcaturigo, eſt in comparatione virium ægrotantis cum morbi magnitudine ſita. Nam ſi vires ita validæ fuerint, vt morbum ſuperare poſſint, certa ſpes eſt recuperandæ ſanitatis: ſin ita imbecilles vt vincere morbum non valeant, mors neceſſario futura eſt, ac vtraque eo celerius vel tardius expectanda, quo valentiores vel imbecilliores ſunt vires. Cætera autem ſalubria vel lethalia ſigna, non alia de cauſa ſalutis aut mortis ſunt indicia, quam quod vires conſtantes vel proſtratas eſſe demonſtrent, ratione magnitudinis morbi.

III.

Ἄριστον εὐσαρκον φύματι τέῳ σύμμετρον ὥστε μήτε παχὺ εἶναι, μήτ' ἰσχνόν. Sa uberrimum bene carnoſum eſſe natum, hoc eſt ita commoderatum vt neque craſſities adſit, neque gracilitas. *Gal. in aph. 44. lib. 2.* *Ab habitu corporis εὐσάρκου, vel craſſo, aut gracili.*

Corpus quippe ita conſtitutum eſt ἐκπικώτατον optimo habitu præditum, viribuſque ad propulſandum morbum neceſſariis plurimum pollet.

Si vero à modo recedatur, exceſſus ad craſſitiem peior eſt eo, qui eſt ad gracilitatem. Siquidem οἱ παχέες σφόδρα τῇ φύσιν ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν qui natura admodum obæſi ſunt, celerius moriuntur, quam qui graciles. *Hipp. aph. 44. l. 2.*

Auguſtæ enim ſunt obæſorum venæ ac arteriæ, atque ob id paucum omnino ſanguinem & ſpiritum habent, ad eo vt cum ætate proceſſerint, cito ipſis paruam ob cauſam calor natiuus extinguatur. Graciles vero quia latiores habent venas & arterias, & in his plus

ſanguinis & ſpiritus, minus periclitantur. Hoc tamen habent incommodi, quod adipis munimento deſtituti à cauſis exterioribus promptius offendantur. Adeo vt craſſiores internis, graciliores vero externis magis pateant iniuriis, *Gal. in com.*

IV.

Ab ætate iuuenili vel ſenili.

Ἡ νεότης κρατίστη πρὸς τὸ δραστηρίως ἀντέχειν τῇ νόσῳ. Iuuentus plurimũ pollet ad morbum ſtrenue propugnandum. quia πολὺν ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμὸν, calido innato abundat, quod morbificos humores coquere & excernere poteſt.

Contra ἐκ δὲ πρεσβύτου ῥᾳδίως ἀντέχειν τὸ γῆρας, πρὸς τὴν τῶ νοσήματος ἔφοδον, Senectus non facile aduerſus morbi impetum amplius poteſt reſiſtere, propter virium imbecillitatẽ, quia γέρουσιν ὀλίγον τὸ θερμὸν, ſenibus quam iuuenibus morbi, quod multis ſcateant humoribus frigidis, quos non poſſunt niſi diuturno tempore, propter caloris imbecillitatem, concoquere. Imo ὅκόσα αὖ πρεσβύτῃσι χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξὺν ἀποθνήσκει, qui ſenibus accidunt longi morbi magna ex parte comitantur ad mortem. *Hipp. aph. 39. l. 2.*

V.

Ab anni tempore verno, vel autumnali.

Ἥρ ὑγιεινότατον καὶ ἧκιστα θανατῶδες. Ver ſaluberrimum & minime morbi exitioſis obnoxium, vbi ſuam ſeruat caraſtaſim, vt quod optimam habeat temperaturam. At ἐν φθινοπώρῳ ὀξύτατοι αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέστατοι τὸ ὀπίπαν, autumno morbi acutiſſimi & exitioſiſſimi magna ex parte accidunt. Multis autem de cauſis autumnus non morbidus modo, verum etiam mortiferus perhibetur, prima quod frigidus & ſiccus cum ſit, vitæ noſtræ aduerſetur quæ in calido & humido eſt, ſanguinemque quo corpus noſtrum conſtat, & nutritur, gigni prohibeat. Secunda quod traditum ab æſtate corpus languidum & iam effœtum excipiat. Tertia quod humores excrementitios per æſtatem liquatos, & ad cutem vt vacuentur feſtinantes, ſuo frigore intra corpus regerat. Quarta quod ſuo calore per meridiem cutim corporis rare faciat & aperiat, mox intra corpus tanquam hoſtis frigidus irruat & calorem natiuum iam languidum ſua qualitate mala extinguat, denique quod crudelitatem in corpore noſtro cumulet, qua noſtrum calorem obruit, vſum crudorum fructuum quos nobis ſuppeditat. *Ex Hipp. aph. 9. l. 3. & Gal. com.*

Τῶν

Æstiuoque vel hyemali.

Τῶν νοσημάτων τάχος μὲν τὸ θέρος, βραδυτῆτα δὲ ὁ χειμὼν προσίθησι. Morbis æstas addit celeritatem, hyems vero tarditatem. *Gal. in aph. 12. l. 1.*

Quod æstate humores vitiosi ambientis aeris calore per vniuersum corpus fusi prompte discutiantur, meatibus totius corporis patefactis: hyeme vero intus remaneant, meatibus frigore occlusis, *Idem in aph. 25 l. 2.*

VI.

Acuti constitutione sicca, vel humida.

Τῶν καταστάσιων τὸ ἐνιαυτώδοι αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσὶν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες. Ex anni constitutionibus siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ. Sicca quippe cæli cõstitutio nullũ facit excrementorum prouentum, resistitque putredini: humida vero excrementorum copiam gignit, quæ morborum soboles existit. *Ex Hipp. aph. 15. l. 3. & Gal. com.* Porro

Constanti- que vel in- constanti.

ἐν τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσιν, ἰὼ ὡραίως τὰ νοσήματα ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐκαθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται. ἐν δὲ τοῖσιν, ἀκαταστάτοισιν ἀκαταστάτοι καὶ δύσκριτοι. In constantib. temporibus, cum tempestiua fiunt tempestiue morbi, constantes, & boni iudicii accidunt: in inconstantibus autem inconstantes & mali iudicii. *Hipp. aph. 8. lib. 3.*

Vel enim cum periculosis symptomatis iudicantur, vel statim sunt pernicioſi, vel omnino faciunt recidiuam. *Gal. in com.*

VII.

A victus ratione, quam medicus instituit, ab ægro obseruata, vel neglecta.

Ἐὰν μὲν κάμνων συναγωνιστὴς τῷ ἀνταγωνιστῇ ἰατρῷ χρήηται, κατανικᾶται τὸ νόσημα. ὁ κάμνων δ' ἐὰν πείθηται τῷ ἰατρῷ, καὶ τὰ προσταττόμενα ποιῇ συναγωνιστὴς γινόμενός αὐτῷ, καὶ πολεμῶν τῶ νοσήματι. Si æger medico morbi aduersario socius certaminis efficiatur, morbus facilius vincetur. Æger autem si medico crediderit, ac imperata fecerit, huic certaminis socius efficitur, ac morbo hostis. Cõtra ἐὰν ὁ κάμνων ἀποστὰς τῷ ἰατρῷ, τὰ κελευόμενα ποιῇ πρὸς τὸ νόσημα πολὺ καὶ διττὸν τὸ κίνδυνον ἔνεμε, ὅπι μὲν μόνον εἴασε τὸν ἰατρὸν, ἕτερον δ' ὅτι δεύτερον ἐποίησεν ὄντα πρότερον ἐχθρόν· ἀναγκαῖον εἶναι τὼς δύο τὸ ἑνός. Si æger medicum deserens quæ dictat morbus exequatur, duobus nominibus periclitatur, vno quidem quod solum destituerit medicum, altero quod secun-

dum fecerit, qui erat ante vnus. Duo autem vno validiores esse necesse est. *Ex Gal. in epit.*

VIII.

Ab efficiente causa graui, vel leui.

Τῶ μεγέθει τῆς αἰτίας, καὶ τὸ τῦ πάθους ἕπεται μέγεθος. Causæ magnitudinem morbi etiam magnitudo consequitur. *Gal. in aph. 42. l. 2.* Vt enim causa leuis, leuem, ita grauis grauem producit affectum. Vnde vehemens præter naturam causa, magni periculosique morbi nota est certissima.

IX.

Materia aq; biliosa.

Τὸ μὲν χολῶδες, ἀεὶ ὀξέας ἐργάζεται νόσους. Bilis acutos semper facit morbos, qui breui terminantur, quia tenuissima cũ sit facillime discutitur. *Ex Gal. in aph. 32. l. 7.*

Melancholica.

Αt μέλαινα χολὴ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνέοντων γλιχροτάτη, καὶ τὰς ἕδρας χρονιοτάτας πεποίηται, Bilis atra omnium humorũ viscosissima, & quæ stationes maxime diuturnas pariat: quod frigida sit & sicca atque crassa, cum nihil aliud quam fæx sanguinis existat.

Pituitosa.

Sic τὸ φλέγμα γλιχρότατον ἐστὶ, καὶ βίᾳ μάλιστα ἄγεται μετὰ χολὴν μέλαιναν, pituita viscosissima est, & post bilem atram vi omnium maxima educitur, præ frigiditate. *Hip. aph. de nat. hum.*

X.

A morbi specie natura, habitui, ætati & tempori consentanea, vel dissentanea

Ἐν τῇσι νόσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκεία τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ἡλικίης καὶ τῆς ὥρης ἡ νόσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκεία καὶ πρσηκόντων. In morbis minus periclitantur, quorũ naturæ, habitui, ætati & tẽpori magis cognatus est morbus, quam quibus nulli horum cognatus est. *Hipp. aph. 34. l. 2.*

Morbus quippe omnis calidus, frigidus, humidus, siccus, ægri temperaturæ & habitui & ætati & tempori consentaneus, ideo minus habet periculi, quod minus recedat à statu naturali, adeoque facilior ad eum regressus esse videatur, cũ præsertim malum ex causa prodierit leuiori. Vt contra longe periculosior morbus est qui neque temperaturæ, neque habitui, neque ætati, neque tempori congruit, quod magis a natura desciscat, difficiliusque curetur, cum à maiori & vehementiori causa sit excitatus. Quo fit vt duarum febrium ardentium magnitudine parium, ea quæ calido & gracili iuueni contigerit æstate, sit multo minus

minus periculosa, quam quæ frigido obæsoque seni acciderit hyeme. *Ex Gal.*

XI.

Morbi lenti, plerunque diuturni sunt. Sed τὰ ὀξέα, τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, Acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur. *Hipp. aph. 23. l. 2.* *A morbi lentitudine vel acumine.*

Τὰ δὲ καὶ ὀξέα τέσσαρων ἐν ἡμέραις ἑπτὰ. Peracuti vero in septem fere diebus. *l. de fin. med.*

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης. Auctorum morborum non omnino tutæ sunt prædictiones, neque salutis, neque mortis. *Hipp. aph. 19. l. 2.*

Quia τὰ ὀξέα νοσήματα πρὸς τῷ κρίνεσθαι ταχέως, αὐτίκα καὶ μέγεθος ἔχει. Acuti morbi præter quam quod celerrime iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Itaque tum ob morbi magnitudinem, tum ob subitam in crisi mutationem, & quia humor noxius sæpe ex vno loco transfertur ad alterum ἄδηλος ἡ πρόγνωσις *Gal. in com.*

Quocirca quandiu humor est in motu suspendendum est iudicium, quia dubium est quam in partem sit fluxurus, nobilem vel ignobilem, forasne an intro, per conuenientes ductus, an naturæ & humori contrarios. Quinimo etiam si parti sit infixus, conualiturum ægrum non affirmabit Medicus, nisi simul adiiciat, *dum nihil* superuenerit, ægerq; bene monenti paruerit, & ex præscripta formula vixerit. *Riolanus.*

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑποπίπτων τῶν ὀξέων νοσημάτων λῆθαιον, θανάσιμον Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est. *Hipp. aph. 31. lib. 5.*

Acuta quippe febris tenuissimum exigit victum, qui periculum abortus adfert, fœtu ipso inedia pereunte. Si vero vt seruetur hic crebro cibus exhibeatur, febris continua victu intempestiuo aucta matrem necabit.

Si autem absque febre alius quispiam morbus acutus fuerit, qualis epilepsia, apoplexia, conuulsio, tetanus, morbi tum magnitudini, tum vehementiæ par grauida esse nullo modo potuerit. *Ex Gal. com.*

XII.

Ad prædicendum morbi euentum pars affecta accurate contẽplanda, princeps ne sit, an ignobilis, publica an priuata. Nam partis affe- *A parte affecta princeps*

vel ignobili publicaque vel priuata

affectæ conditio, dignitas & necessitas ad Prognosim secundam vel sinistram maximi sunt momenti.

XIII.

Amentia constantia vel inconstãtia. Appetentiaque, vel inappetentia.

Ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐρρῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφοράς, ἀγαθὸν, τὸ δ' ἐναντίον κακόν, In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad ea quæ offeruntur, bonum; contra vero se habere, malum. *Hipp. aph. 33. l. 2.*

Mentis autem constantia atque appetentia inter bona signa ideo statuuntur, quod illa cerebrum & meningas, dorsique medullam & diaphragma, ac omnes denique neruosas partes sanas integrasque esse testetur: hæc vero partes ad ventriculum & iecur attinentes validas esse. Contra delirium malum perhibetur signum, quod partes animales præter naturam affici demonstret, vt & delecta appetentia, quod naturales. *Ex Gal. in com.*

Ὁκόσοι δὲ πονέοντες τι τῶν σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τούτοισιν ἡ γνώμη νόσεῖ. Quicumque autem dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat, quia apprehensio affectionem dolorificam non animaduertit. *Hipp. aph. 6, lib. 2.*

A somno, & vigilia.

XIIII.

Ἄριστον τὴν νύκτα καθεύδειν. Saluberrimum noctu dormire, quod somnus nocturnus animales spiritus reparet, & humores concoquat, calore ad corporis centrum reuocato; quemadmodum καὶ τὴν ἡμέρην ἐγρηγορέναι, & interdiu vigilare, quod diurnis vigiliis spiritus animales illustrentur ab aere diei luminoso, atque humores qui per somnum crassiores & immobiles redditi sunt, perspirabili cute digerantur.

Κάκιστον δὲ μὴ κοιμᾶσθαι, μήτε τῆς νυκτὸς, μήτε τῆς ἡμέρης. ἢ γὰρ ὑπὸ ὀδύνης τε καὶ πόνων ἀγρυπνίη, ἢ παραφροσύνη ἔσται. Pessimum autem est non dormire neque noctu neq; interdiu. aut enim præ dolore & afflictionibus vigiliæ adsunt, aut delirium aderit, διὰ ξηρότητα τῆς περὶ τὸν ἐγκέφαλον κράσιος, ob temperamenti in cerebro siccitatem. *Ex Hipp. 2. Prog. & Gal. com.*

Ὕπνος τὲ μετρίως μᾶλλον γινόμενος, κακόν. Somnus si modum excesserit, malum: quod immodicam arguat cerebri refrigerationem, quæ si cum humiditate mista fuerit, morbos lethargicos: sin cum siccitate

citate καταλήψεις committere ſoler. *Ex Hipp. aph. 3. l. 2. & Gal. com.*

Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος & πόνον ποιεῖ θανάσιμον. In quo morbo ſomnus laborem facit, lethale. Quo enim in tempore morbi plurimum conferre ſolet ſomnus, vt in declinatione, ſi noceat mortem non abſq; ratione ſignificat. Nam per ſomnum calor ad intima receptus & auctus, cum tamẽ cauſam morbificam euincere præ imbecillitate ſui, aut humorum prauitate nequiuerit, oſtendit quod natura quæ poſt ſomnum leuata non eſt, ſed ex eo peius habet quam ante, fortiori malo ſuccumbat. *Ex Hipp. aph. 1. l. 2. & Gal. com.*

XV.

Pulſus eſt fidelis nuntius cordis, ex quo certiſſima vitæ ac mortis peruntur indicia. Pulſus magnus & vehemens eſt virium index, in quibus ſanitatis reſtituendæ ſpes ponitur. Sed pulſus paruus & languidus facultatis vitalis imbecillitatem indicat, vnde mortis metus. Inæqualitas pulſus ſemper damnatur ſi perſeueret. Intermiſſio iuuenibus periculoſiſſima. Repentinam quippe illis mortem minatur, niſi ex arteriarum obſtructione & oppreſſione fiat; minus pueris, minime ſenibus.

Apulſu fortí vel debili.

XVI.

Ἐυπνοιαν χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν εἰς σωτηρίην ἐν ἅπασι τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι. Bonam ſpirationem valde magnam vim habere ad ſalutem in omnibus acutis morbis putare conuenit. quod pectoris & partium in eo contentarum temperiem renunciet. Vnde ſpiratione integra manente natiuus calor ſupereſſe demonſtratur, qui ſolus vel à medico adiutus, vrgenti malo repugnare ſufficiat. *Ex Hipp. l. 1. Prog. & Gal. com.*

Areſpirandi facilitate vel difficultate.

Contra reſpirandi difficultas intemperiem partium vitalium, & virium ſuffocationem indicat. Nam reſpiratio frequens & magna inflammationem partium thorace contentarum denotat. Sed reſpiratio magna & rara ſignum eſt delirij; vt inſpiratio parua & rara interitus jamjam futuri certiſſimum eſt indicium; quia caloris natiui extinctionem teſtatur, quam frigidus ſpiritus è naribus & ore ductus manifeſte prodit.

XVII.

Fauſti ominis eſt firmitudo animi. At Οἱ ἑλκυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς αἰτίας, ἐξαπίνης τελευτῶσι. Qui frequenter ac fortiter

Ab animi firmitudine, aut defectu.

fortiter absq; causa manifesta animo deficiunt, derepentè moriuntur, propter vitalis facultatis imbecillitatem. *Hipp. aph. 41. l. 2.*

XVIII.

A coctione vel crudi-tate.

Πεπασμοὶ ταχύτητα κρίσεως καὶ ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσι. Coctiones crisis celeritatem, salutisq; securitatem significant.

Ὠμαὶ δὲ καὶ ἄπεπτα, ἢ ἀκρισίας, ἢ πόνους, ἢ χρόνους, ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτῶν ὑποτροφὰς σημαίνουσι. Cruda autem & incocta aut crisis defectum, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuam ostendunt. *Hipp. l. 1. epid.*

Ὥσπερ γὰρ οἱ πεπασμοὶ γίνονται τῆς φύσεως κρατούσης τῶν νοσωδῶν αἰτίων, οὕτω καὶ μὴ κρατούσης τὰ ἐναντία. Vt enim coctiones fiũt natura morbificas causas euincente, sic & non euincente contraria. *Gal. in com.*

Hinc τὸ διαχώρημα μαλθακόν τε καὶ σωεσηκὸς καὶ ὑποπυῤῥον, καὶ μηλίῳ δυσῶδες, ἄριστον. dejectio mollis & cohærens & subruffa, nec graueolens, optima, vt quæ sit probe cocta.

Itemq; τὸ οὖρον σύμμετρον καὶ ὑποπυῤῥον καὶ τῇ ὑπόστασιν λευκὴν τε καὶ λείαν καὶ ὁμαλὴν ἔχον, ἄριστον, vrina mediocris, subruffa, subsidentiamq; albam leuem & æqualem habens, optima, quia humoris morbifici coctionem demonstrat, ac proinde naturæ victoriam.

Contra τὸ διαχώρημα ὑγρὸν καὶ ὑδαρὲς, λευκὸν ἢ χλωρὸν, πονηρὸν, ὅτε ὠμὸν καὶ ἄπεπτον ἐστὶ. deiectio liquida & aquosa, alba aut pallida, mala, quia cruda & incocta est.

Sic τὸ οὖρον ὑδατῶδες καὶ λεπτὸν, λευκὸν καὶ διαφανὲς, μοχθηρὸν, ὅτε ὠμὸν καὶ ἄπεπτον, vrina aquosa & tenuis, alba & transparens, praua, quia cruda & incocta est. Crudi tas autem mortis aut diuturnitatis nota est. *Ex dogmate Hipp. 2. Prog.*

XIX.

Ab excrementorum ametria, parua vel magna.

Τὰ τοῦ σώματος ἐκκρινόμενα ἀπὸ τῶν κατὰ φύσιν ὀλίγον ἀφιστάμενα, ὀλίγου εἶναι τὸν νόσον ἐνδείκνυται. Excrementa corporis à naturæ modo parum recedentia, paruum esse morbum indicant.

Αἱ δὲ πάνυ πολὺ τοῦ κατὰ φύσιν ἡ μετάβασις γίνηται, θανάσιμον εἶναι τὸ νόσημα ὑποληπτέον, si valde multus sit à naturæ modo recessus, lethalem esse morbum iudicandum est. Excrementa quippe si à naturæ modo plurimum desciuerint, naturam morbi magnitudine vinci demonstrant. *Ex Gal. in vlt. aph. l. vlt.* Hinc τὰ διαχωρήματα μέλανα, πέλια, ἰώδεα, χλωρά,

λιθώδη, ξυσματώδεα, κάκοδμα, κάκιστα δὲ θανατώδεα, deiectiones nigræ, liuidæ, æruginosæ, pingues, ramentosæ, grauiolentes, pessimæ & lethales, quia τῆς κατὰ φύσιν ἐπὶ πλεῖστον ἐξεστηκεχωρηκότα, à naturali plurimum recesserunt. Sic τὰ οὖρα παχέα, καὶ ἀπεπτα μιξόλευκα οἷα ὑποζυγίων, μέλανα, λιθώδη δὲ ἐστὶ πονηρὰ, vrinæ crassæ, perturbatæ veluti iumentorum, nigræ, pingues, malæ sunt, quia ἀπὸ τῆς κατὰ φύσιν πανυ ἀφεστάντα, à naturali valde declinarunt. *Ex Hipp. Prog.*

Τὸ διαχώρημα ποικίλον, χρόνιον ἔστω τῆς νόσημα σημαίνει. Multiplicis coloris deiectio, diuturnum fore morbum significat. Varias quippe & discrepantes indicat esse affectiones, & ob eam rem tempore opus est ad concoctionem. Siquidem natura tanquam cum multis hostibus conflictura, multum temporis insumat oportet. *Ex Hipp. l. 2. Prog. & Gal. com.*

Τὰς λιπαρότητας τὰς ἄνω ὑφισταμένας, ἀραχνοειδέας μεμφεσθαι, σωτήξιαι γὰρ σημεῖα. Pinguedines supernè instantes aranearum telis similes, damnare oportet. Sunt enim colliquationis signa. Nam pinguis vrina ex adipis in corpore existentis colliquatione ab igneo calore fit. *Hipp. l. 2. Prog.*

X X.

Οἱ ἱδρῶτες, ἄριστοι μὲν εἰσὶν ἐν πᾶσι τοῖς ὀξέσι νοσήμασιν, ὁκόσοι ἐν ἡμέρῃσι τε κρισίμοισι γίνονται, καὶ πλείως τὸν πυρετὸν ἀποκάθαρσιν. ἀγαθοὶ δὲ καὶ ὁκόσοι διὰ παντὸς τοῦ σώματος γινόμενοι, ἀπέδειξαν τὸν ἄνθρωπον εὐπετέστερον φέροντα τὸ νόσημα. οἱ δ' ἂν μὴ τοιοῦτόν τι ἐργάζονται, λυσιτελέες. κάκιστοι δὲ οἱ ψυχροὶ τε καὶ μοῦνον περὶ τὴν κεφαλὴν τε καὶ τὸ πρόσωπον γινόμενοι καὶ τὸν αὐχένα, ἔστι γὰρ ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ θάνατον προσημαίνεσι. ξὺν δὲ χρονιωτέρῳ, μῆκος νόσου. Sudores optimi sunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus criticis fiunt, & febrem perfectè submouent. Boni verò sunt qui per totum corpus fiunt, & hominem facilius morbum ferre faciũt. Qui verò tale quid non effecerint, incommodi sunt. Pessimi autẽ sunt frigidi, & qui tantum circa caput & faciem fiunt, & circa ceruicem. Hi enim cum acuta quidem febre mortem præsignificant, cum mitiore verò longitudinem morbi. *Hipp. l. 1. Prog.* *A sudoribus bonis, vel malis.*

Ἱδρὼς γὰρ πολὺς ἀεὶ ῥέων, ὁ μὲν ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει. Sudor enim multus assidue fluens, frigidus quidem longiorem, calidus autem breuiorẽ morbum significat. quia sudor frigidus magna

vbertate per totum morbi tempus citra crisim vllam erumpens, multam crassam & frigidam materiam indicat, quæ non facile discuti, aut à calore vinci queat: vt sudor calidus materiã tenuem ostendit, & quam prompte discutere natura possit. *Ex Hipp. aph. 42. l. 4. & Gal. com.*

A facie ægrotantis sanorum simili vel contraria naturali.

Τὸ πρόσωπον τῦ νοσέοντ@, εἰ ὅμοιον ἐςὶ τοῖσι τῶν ὑγιαινόντων, μάλιςα δὲ εἰ αὐτὸ ἑαυτῷ, ἄριςον· τὸ δ' ἐναντιώτατον τῦ ὁμοίε, δεινότατον. εἴη δ' ἂν τὸ τοιόνδε. ῥὶς ὀξέια, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι ξυμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ ξυεσταλμέν α, καὶ οἰλοβοὶ τῶν ὤτων ἀπεςραμμένοι, καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον σκληρόν τε καὶ περιτεταμένον, καὶ καρφαλέον, καὶ τὸ χρῶμα τῦ ξύμπαντ@ πρόσωπε χλωρόν τε, ἢ καὶ μέλαν ἐὸν, καὶ πελιὸν, ἢ μολιβδώδες. Facies ægrotantis si sit sanorum similis, maxime vero si ipsa sibi ipsi haud absimilis, optima est: sin autem naturali maxime contraria fuerit, horrendissima. Qualis erit si nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidæ ac contractæ, & extremitates earũ auersæ sint, & cutis circa frontem dura, & circumtenta ac arida, & color totius faciei pallidus, aut etiam niger, aut liuidus, aut plumbeus. Id enim formæ vitium si contractum non est ab aliqua causa euidente, vt ab insomnio, alimenti inopia, aut alui fluore, mortem in propinquo esse portendit, quia consumptio talis exiſtit ob morbi malignitatem. *Ex Hipp. l. 1. Prog.*

XXII.

A mutationibus quæ in corpore fiunt.

Ὅπε ἐν ἥλω τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἑξ ἑτέρε γίνηται, μῆκος νόσε σημαίνει. Vbi in toto corpore mutationes fiunt, & modò corpus frigescit, modo calescit, aut color alius ab alio fit, morbi longitudinem significant. *Hipp. aph. 40. l. 4.*

Αἱ γὰρ ποικίλαι διαθέσεις ἀεὶ χρονιώτεραι γίγνονται τῶν μονοειδῶν, ἀδυναμίης δηλονότι τῆς φύσεως ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατεργάζεσθαι τὰς πολλὰς διαθέσεις. Variæ enim & discrepantes affectiones, semper diuturniores fiunt, quam quæ sunt vniusmodi & formæ, quia scilicet natura paruo tempore multas affectiones subigere & concoquere nequit. *Gal. in com.*

Itaq; mutationes qualitatum atque colorum diuersos humores morbum efficientes ostendunt, ad quos concoquendos natura ipsa longo indiget tempore. Nam pro dominante humore diuersi fiunt & apparent in cute colores.

XXIII.

XXII.

Ab hypochondriis mollibus, aqualibus & sine dolore, vel duris, tensis & dolentibus.

Τὰ ὑποχόνδρια μαλθακά τε καὶ ὁμαλὰ, καὶ ἀνώδυνα, ἄριστα, τὰ δὲ σκληρά τε καὶ ἐντεταμένα, καὶ ἀνόμαλα, καὶ ὀδυνώδη, κάκιστα. Hypochondria mollia æqualia, & sine dolore, optima sunt: dura vero, tensa, inæqualia & dolentia, pessima. *Ex Hipp. l. 1. Prog.*

Hypochondria enim si mollia sint & æqualia & doloris expertia, partium subiectarum, vt abdominis, musculorum, mesenterij, lienis, hepatis, & ventriculi temperiem renunciant, vt intemperiem nempe phlogosim, aut phlegmonem, aut scirrhum, aut flatus, si tenduntur, attolluntur, obdurescunt ac condolent.

Crassioribus & vel tenuioribus.

Ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον παχὺ ἔχειν βέλτιόν ἐστί. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. In omnibus morbis partes quæ ad vmbilicum & imum ventrem sunt, crassiores esse melius est, plurimum vero extenuari & contabescere, prauum. Hypochondria siquidem crassa & carnosa robori indicia sunt, tenuia vero mala sunt & tanquam signa, & tanquam causæ. Signa enim sunt partium quæ contabuerunt, imbecillitatis: causæ vero quod ciborum concoctio bona non fiat in ventre, neq; sanguificatio in hepate. Nam à crassitie abdominis calor natiuus augetur, à quo partes subiectæ calfactæ cibum bene concoquunt, & bonum generant sanguinem. *Ex Hipp aph. 35. l. 2. & Gal. com.*

Quod nec ex vno duntaxat bono signo repente corperit superueniente salutaris nec ex vnico malo signo lethalis statim iudicandus sit morbus.

XXIIII.

Οὔθ' ὅταν ἀγαθόν τι τῶν κατὰ τὸ σῶμα πάντως ἡγητέον ἐπ' αὐτῷ σωθήσεσθαι τὸν ἄνθρωπον, οὔθ' ὅταν κακὸν, πεφθίξεσθαι πάντως. καὶ γὰρ ἀγαθὸν σημεῖον ὑπὸ μείζονος καὶ κακοῦ νικηθῆναι δυνατὸν, καὶ κακὸν ὑπὸ μείζονος καὶ ἀγαθοῦ. Non si quid ex iis quæ corpori accidunt bonum, propterea, hominem omnino euasurum esse putandum est. Nec si malum, idcirco protinus moriturum affirmandum, Nam bonum etiam signum à maiore malo vinci potest, contraq; malum à potentiore bono. *Gal. in aph. 33. l. 2.*

XXV.

Quomodo morb. terminetur.

Morbus repente crisi, vel sensim lysi terminatur. Ἡ μὲν κρίσις ὀξύρροπός ἐστιν ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον γίγνεται δὲ τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν ξηρῶν τὰ μοχθηρὰ, καὶ παρασκευαζούσης πρὸς πέψιν ἔκκρισιν, Crisis est subita in morbo vel ad sanitatem, vel ad mortem

Quid Crisis.

Quotuplex sit & quomodo fiat. mutatio: quæ sit natura separante à bonis mala, & ad excernendum præparante. *Gal. in aph. 13. l. 2.*

Species crisis duplex, vna per excretionem, altera per abscessum. Illa per hæmorrhagiam, vel sudorem, vel alui deiectionem, vel vomitum, aut vrinæ profluuium accidit.

XXVI.

Quibus diebus fieri consueuit. Crisis salutaris septimo aut decimo quarto, aut vigesimo die fieri consueuit. Hinc dies Critici appellantur.

Quibus signis eius præuideatur euentus. Dierum criticorum indices. Crisis futura percipitur coctionis signis quarto, vndecimo & decimo septimo apparentibus. Vnde à Græcis ἐπίδηλοι ἢ θεωρηταὶ id est indices & contemplabiles dies vocantur. Nam ex Hippocratis dogmate, Τ ἔστα ἡ τετάρτη ἐπίδηλος ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχὴ θεωρήτη ἢ ἡ ἑνδεκάτη. αὐτὴ γὰρ ἐστὶ τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρήτη ἢ πάλιν ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς παραρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ ἑνδεκάτης. Quartus dies septenorum est index. Octauus alterius septimanæ principium existit. Est vero & vndecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimanæ. Contemplabilis rursus decimus septimus, quippe quartus est à quarto decimo, septimus vero ab vndecimo. *Aph. 24. lib. 2.*

XXVII.

Antecedentia crisis signa. Οἱ κόσοισιν ἑβδομαίη κρίνεται, τετέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, γὰρ τ' ἄλλα κατὰ λόγον. Quibus septimo die iudicatur morbus, iis quarto die nubeculam habet vrina rubicundam, & alia signa pro portione. *Hipp. aph. 71. l. 4.*

Nam cum quartus dies sit index, & qualis sit futurus septimus nuntiet, quodcunq; signum concoctionis in ipso manifestum apparuerit, futuram septimo die iudicationem ostendit. Itaq; non solum rubra aliqua nubes apparens antea non visa, crisim significat, sed & alba multo magis quam ipsa, adhuc autem magis & hypostasis alba, læuis & æqualis, si velociter admodum morbus moueatur, sufficiens est signum futuræ crisis.

Signa proxima crisis. Οἱ κόσοισι κρίσις γίνεται, τετέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τῆς παροξυσμοῦ, ἡ δ' ἐπιοῦσα εὐφόρωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ. Quibus crisis instat, iis nox quæ accessionem præcedit difficilis est, quæ vero subsequitur magna ex parte facilior existit. *Hipp. aph. 13. lib. 2.*

Dum

Dum enim natura noxios humores à bonis ad eos excernendos secernit, accidit vt in tali turbatione grauiter se habeant ægri. Grauitas autem hæc nocte præcedente accessionem clarius percipitur, quod ea somnum interrumpi contingat. Nocte vero sequente crisim perfectam, leuius habent, natura scilicet à superuacuis & molestis humoribꝰ exonerata. *Ex Gal. in com.*

XXVIII.

Signa quæ speciem crisis in vniuersum pranunciant.

Vniuersalia signa quibus futuræ crisis species præsentitur, ex morbi specie, parte affecta, & ægrotantis natura petuntur. Nam morbi calidi & acuti, per excretionem iudicari solent: frigidi vero & diuturni per abscessus.

Ex morbi specie.

Si hepatis conuexa inflammatione obsideantur, expectanda erit crisis aut per hæmorrhagiam è nare dextra κατ' ἴξιν, aut per vrinæ profluuium: sin caua afficiantur, alui fluxu, aut vomitu, aut sudore potius soluetur morbus. Inflammationes cerebri & capitis totius prorupto è naribus sanguine sæpe iudicantur. Mesenterij & ventriculi phlegmonas vomitus & alui fluxus superuenientes sanant.

Ex parte affecta.

Ex ægrotantis ætate & temperie.

Iuuenibus bilioſis, febre ardente correptis hæmorrhagiæ vt plurimum contingunt; senibus vero pituitosis alui profluuia.

Signa critica hæmorrhagiæ iam iam futuræ.

Hæc sunt vniuersalia crisis futuræ signa, nunc propria cuiusque speciei explicanda.

E naribus.

Faciei rubor, capitis & colli dolor, arteriæ temporum micantes, hypochondrij distentio fugax, cum spirandi difficultate, visus hebetudine, lachrymis, aurium tinnitu, & narium titillatione, crisim per hæmorrhagiam acute febricitanti portendunt. Æstus vero & grauitas lumborũ cum dolore & tensione hypogastrij, per profluuiũ mẽstruale.

Ex vtero.

Signa critici sudoris futuri.

Vrinæ suppressio & rigor, cum pulsu molli & vndoso, extimis calentibus ac vapore copioso è corpore exhalante, per sudorem fore iudicationem prænunciant.

Signa critica diarrhœa futura.

Ructus, flatus, ventris inflatio, lumborum dolor, per alui profluuium.

Signa critica vomitionis futura.

Nausea, cardiogmos, capitis dolor, vertigo, sputatio frequens, oris amaror, ac labri inferioris palpitatio, per vomitum.

Signa critica perirrhœa futura.

Si coctionis & perturbationis criticæ signa præcesserint, nec vlla hæmorrhagiæ, nec sudoris, nec deiectionis aluinæ, nec vomitionis indicia

indicia sint, pro comperto habendum per vrinæ profluuium morbum iudicatum iri, maxime vero si grauitas in hypochondrio & ardor in extremo pudendi persentiantur: si item toto morbi decursu copiosas & crassas minxerit vrinas: adde senilem ætatem, & tempestatem hybernam.

Signa crisis per abscessum.

Grauitas & dolor capitis, somnus profundus, ac surditas, post anhelitus difficultatem repente sine causa manifesta obortam, cuipiam diuturno morbo laboranti superuenientes, abscessum pone aurem præsagiunt. Sed si nullum parotidis signum conspiciatur, ac laborans vrinam tenuem & crudam diutius minxerit, atq; grauitatem, dolorem tensionem aut calorem in hypochondriis sentiat, abscessum in partes diaphragmate inferiores expectare oportet.

Si corporis pars quæpiam olim laborauerit, abscessus in ea fieri consueuit. Hyeme frequentius abscessus cõtingit, ac post imperfectam excretionem criticam.

XXXIX.

Quæ requirantur ad salutarem crisim.

Crisis salutaris, præterquam quod die indice prænunciari, & die critico fieri debet, cum excretione manifesta, aut abscessu insigni, sine periculosis symptomatis, vt perfecta sit oportet. Perfectam crisim appello quæ totum humorem noxium euacuat, imperfectam vero quæ eius partem aliquam tantum euacuat: illa fida est. sed huic nequaquam fidẽdum. Siquidem τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νόσοισι μὴ κρίσιν, ὑποσροφὰς ποιέειν εἴωθε. Quæ relinquuntur in morbis à crisi, recidiuas facere consueuerunt. *Hipp. aph. 12. l. 2.*

Crisis insuper ab idonea exeuntis humoris qualitate, à moderata quantitate, conuenienti modo, & opportuno euacuationis tempore iudicatur.

Quomodo perfecta & secura crisis agnoscatur.

Perfecta item & secura crisis agnoscitur ex actionũ naturalium, vitalium & animalium redintegratione, excrementorum coctione, & naturali corporis qualitate restituta.

XXX.

Quod nec tutus putandus sit

Τοῖσι μὴ κρὶ λόγον κεφίζουσιν ἐδὲ πιστεύειν, ἐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παρὰ λόγως, τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ ἐπάνω τοι

τοι διαμφύειν, δὲ χρονίζειν ἐᾶσθε. His quæ non ex ratione leuant, confidere non oportet, neque admodum formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim horum instabilia & infirma sunt, nec perseuerare aut diutius durare consueuerunt. *Hipp. aph. 27. lib. 2.*

morbus vehemens qui statim præter rationem leuior euaserit, nec desperatus is habēdus qui repente præter rationē grauior apparuerit.

Cum enim morbus vehemens subito cessat & remittitur, corpore neque per sudorem, aut vomitum, aut alui deiectionem; aut profluuium sanguinis euacuato, neque vllo quidem apparente coctionis signo, talis quies remissioque morbi infida est, ac minime secura, vtpote quæ deterius quiddam in posterum comminetur. Sicut & mala quæ in morbis præter rationem accidunt, vt spirandi difficultas, delirium, rigor, febris vehementior, non admodum formidanda sunt. Nam hæc quoq; stabilia non sunt, tantumq; abest, vt malum aliquod significent, vt nonnunquam bonam morbi iudicationem haud ita multo post futuram prænuncient. *Gal. in com.*

DISTINCTIO III.

De curandi ratione.

CANON I.

Ὅστις ἀκριβῶς βέλεται συσήσασθαι τὴν θεραπευτικὴν μέθοδον, ἄρξασθαι μὲν ἀυτὸν ἀπὸ τῶν πρώτων ἐνδείξεων χρὴ μεταβῆναι δὲ ἐντεῦθεν ἐπὶ τὰς ἐφεξῆς, εἶτ' αὖτις ἐπὶ τὰς ἐκείνων ἐχομένας, καὶ τέλος ποιῆσθαι, μὴ πρὶν ἐφικέσθαι τέλους ἀυτῶν. Quisquis curandi methodum constituere ad vnguem parat, huic à primis est indicationibus auspicandum, atq; hinc ad eas quæ deinceps sunt transeundum, rursusq; ab his ad proximas. Itaq; pergenti non prius desistendum, quam ipsius compos sit finis, *Gal. c. 7. l. 2. meth. th.*

Vt curandi methodus indicationibus constituatur.

II.

Ἡ δυνάμις ἁπάντων πρώτων φυλακτέα τοῖς ἀνθρώποις ἐστί. μετὰ δὲ τὴν δύναμιν, ἡ ἀπὸ τῶν διαθέσεων ἐστὶν ἔνδειξις, ἃς θεραπεύειν πρόκειται. Vires ante omnia conseruandæ sunt hominibus. A virium indicatione proxima est quæ ab affectibus quos curare proponimus datur.

Vt duæ summa indicationes sint, prima à viribus, altera ab affectib. contra naturam quæ rursus triplex.

Αἱ γὰρ δυνάμεις ἐνδείκνυσι τὴν ἑαυτῆς φυλακὴν. πᾶσα δὲ παρὰ φύσιν

φύσιν ἡ διάθεσις τὴν ἀναίρεσιν. Vires quippe sui custodiam semper indicant. Affectus vero præter naturam sui amotionem. *Galen. cap. 13. l. 9. meth. the.*

III.

Prima à causa morbi sumpta.

Ἐπὶ πάντων ἁπλῶς τῶν νοσημάτων, ὧν τὸ ποιῆν αἴτιον ἔτι πάρεστιν, ἀπ' ἐκείνης τῆς θεραπείας ἀρκτέον. In omnibus omnino morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio est. *Gal. c. 4. l. 4. meth. th.*

Quoniam οὐκ οἷόντ' ἐστὶ τελέως ἰαθῆναι διάθεσιν ὑδεμίαν, ἔτι μενούσης τῆς ἐργαζομένης αὐτὴν αἰτίας, impossibile est ad perfectionem vllum affectum sanari, manente adhuc effectrice eius causa. *Galen. cap. 12. l. 7. meth. th.*

Itaq; οὐκ λύεται τὰ νοσήματα, μενόντων τῶν ποιούντων αὐτὰ χυμῶν, non soluuntur morbi manentibus iis qui eos efficiunt humoribus. *Gal. in aph. 25. lib. 2.*

IIII.

Secunda à morbo.

Τῆς αἰτίας τοῦ νοσήματος ἀναιρεθείσης, ἐπὶ τὸ γεγονὸς ὑπ' αὐτῆς ἥκειν δεῖ νόσημα. Sublata morbi causa, ad morbum ab ea excitatum causa veniendum est. Quocirca ἓν κοινὸν ἔχειν δεῖ παράγγελμα, τὸ ποιῆν ἑκάστων νόσων αἴτιον ἐκκόπτειν πρότερον, εἶθ' ἥκειν ἐπὶ τὸ γεγονὸς ὑπ' αὐτοῦ νόσημα. Vnum commune præceptum est obseruandum, vt vnamquamq; prius quæ efficit causam rescindamus, deinde ad illam quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem, accedamus. *Gal. c. 89. art. med.*

V.

Postrema à symptomatis. Vt morbi qui adhuc fit curandi indicatio duplex, prima à causa antecedẽte, altera à continente deprompta.

Οὐδενὸς συμπτώματος ἡ θεραπεία γίνεται πρώτως, ἀλλ' ἀεὶ τῆς ἐργαζομένης αὐτὸ διαθέσεως. Symptomatis nullius curatio primum fit, sed perpetuo affectus symptoma ipsum facientis. *Gal. com. 2. in 6. epid.*

VI.

Τῆς νόσου γινομένης, τὸ μὲν γενησόμενον, κωλύσαι χρὴ, τὸ δ' ἤδη γενόμενον, ἰᾶσθαι. Morbi qui adhuc in generatione est, quod quidem gigneretur, generari est prohibendum, quod vero genitum iam est, curandum. Κωλυθήσεται μὲν τῆς προηγουμένης αἰτίας ἀναιρεθείσης. γενοῦσα δ' ἡ νόσος ἤδη θεραπευθήσεται τῆς νόσου συνεκτικῆς αἰτίας λυθείσης. Prohibebitur autem augeri sublata antecedente causa, factus vero morbus curabitur, soluta continente morbi causa. *Gal. c. 88. art. med.*

VII. Οσα

VII.

Vt in morbi qui à fluxione fit curatione indicatio duplex sit.

Ὅσα μὲν νοσήματα ἀπὸ τῶν ῥόων γίνεται, τὰς ῥόους παύειν χρὴ πρῶτον, ἔπειτα τὸ σιν ἐρρυηκὸς ἐξάγειν. Quicumq; morbi à fluxionibus fiunt, primum fluxiones sedare oportet, deinde id quod influxit educere. *Ex Hipp l. de loc.*

Itaque phlegmones, catarrhi, atq; omnium omnino qui à fluxionibus fiunt morborum curatio, duplici fere scopo continetur, primo vt humor ad partem affectam etiamnum influens inhibeatur & sistatur: altero vt influxus iam & impactus parti laboranti vacuetur.

VIII.

Vt in morbi cum morbo coniuncti curatione praferenda indicatio sumpta ab eo quo non curato reliquum curari non potest.

Ἔνθα μὲν ἐχοῖόντε διεφωτεύθῆναι πόδε πρὸ τόδε, ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως σκοπὸς αἱρετέω. Vbi curari hoc ante illud non licet, ad id quod ordo dictat est respiciendum. *Gal. c. 12. l. 7. meth. th.*

Itaq; cum duo morbi inter se coniuncti sunt atque connexi, curatio illius qui alterius curationem prohibet anteponenda. Vt si cum vlcere coniuncta phlegmone fuerit, hæc prius curanda, quam illud ad cicatricem perduci possit.

IX.

Vt indicationes vbi inter se pugnant miscenda sint.

Ἐναντιουμένων ἀλλήλοις τῶν σκοπῶν, ἐ χρὴ τὸ ἑτέρου τῆς ἀκρότητος ὁρι-γνώμονα ἐπιλαθέσθαι παντάπασιν, ἀλλ' ἀμφοῖν ἀεὶ μεμνημένον, εἰς ὅσον οἷόντε ἐστὶ μιγνύειν αὐτούς. Cum duæ indicationes ex aduerso pugnant, committendum non est vt dum alteri nimium sis intentus alterius omnino obliuiscaris, sed vtriusq; memor quoad licet, vtramq; misceas, *Gal. c. 6. l. 7. meth. th.*

Vt si quempiam duo præter naturam affectus exerceant ita inter se contrarij vt alter calidum, alter frigidum postulet remedium, vtendum erit temperatis, quæ neutri affectui officiant, sed vtrique quodammodo prosint. Sic increscenti phlegmone reprimentia remedia digerentibus rite permiscentur. Sic ventriculum frigidiorem & iecur calidius temperata iuuant, quæque ex calidis frigidisque & modo horum, modo illorum vsus alternatus. *Fernel.*

X.

Vt vrgentior tamen indicatio cæteris sit anteponenda.

Μαχομένωντῶν ἐνδείξεων, ἤτοι τλιὼ ἀπὸ τῆς διωάμεως ἢ τλιὼ ἀπὸ τῆς αἰτίας, ἢ τῶ πυρετῶ προαιρεμένω, ἢ τῶ μὲν ἰσχυροτέρω μᾶλλον ἑπομένω, μὴμὲν τοιγ' ἀμελῆσῃ μὴ ἧ τῶν ὑπολοίπων. Si indicationes pugnent, vnam præferas, vel quæ à viribus sumitur, vel quæ à causa, vel quæ à febre, ac quæ cæteris sit valentior, hanc magis sequaris; nec cæteras tamen negligas. *Gal. c. 1. l. 10. meth. th.*

XI.

Θεώρημα ἐστὶν ἀναγκαιότατον, ἰᾶσθαι πρότερον κελεῦον ὅσα κατεπείγει μᾶλλον, τουτέστιν ὅσα φέρει τὸν κίνδυνον. Theorema est maxime necessarium, illa procurari præcipiens quæ magis vrgent, hoc est quæ maius periculum afferunt. *Gal. in aph. 19. l. 5.*

Ἀφ' ἧς γὰρ κινδυνεύει πρώτης καὶ μάλιστα διαθέσεως ὁ ἄνθρωπος, ἐκείνην πρῶτον ἰατέον. Affectus enim vnde primum maximeq; imminet homini periculum, hic primus curari debebit. Sic vigiliæ, dolor excrucians, immodica omnis vacuatio, ac præsertim hæmorrhagia, vacuandorum suppressio, cum & vires debilitent, & morbum augeant, adeo vt inde periculum immineat, sæpe affectum deserere cogunt, & medici sollicitudinem ad se conuertunt. *Gal. c. 9. 3. meth. th.*

Quod curandi methodus remediis perficiatur, conuenienti qualitate, quantitate, vtendi modo & tempore vsurpatis. Vt conuenientia qualitate remedia sint, si morbo contraria fuerint.

XII.

Ἡ θεραπευτικὴ καθόλου μέθοδος περαίνεται διὰ τὲ ποιότητος καὶ ποσότητος ἑκάστου τῶν βοηθημάτων, καὶ τοῦ τρόπου τοῦ χρήσεως αὐτῶν καὶ τοῦ καιροῦ. Generalis curandi methodus perficitur qualitate, & quantitate cuiusq; remedij, & vtendi modo & tempore. *Gal. initio lib. 1. de cur. rat. ad Glauc.*

XIII.

Remedia omnia qualitate contraria esse oportet. Si quidem τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰάματα, cõtraria contrariorum sunt remedia. *Hipp. lib. de flat.*

Εἰ γὰρ ἄμετρον μὲν ἅπαν τὸ παρὰ φύσιν, ἔμμετρον ἧ, τὸ κατὰ φύσιν. ἀνάγκη πᾶσα τὸ ἄμετρον ὑπὸ τοῦ κατὰ τ' ἐναντίον ἐμμέτρου πρὸς τὸ σύμμετρον ἱπανελθεῖν. Si enim omne immoderatum est præter naturam, moderatum vero secundum naturam, necesse est omnino vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur. *Galenus capit. 89. art. med.*

Itaque

Itaq; τὰ ἐναντία τοῖς ἐναντίοις ἰᾶσθαι χρή, contraria contrariis curanda. *Galenus cap. 8. de vena sect. aduers. Erasist. & com. in aph. 59. l. 7. & in 34. l. 2. & alibi.*

Hinc ἀπὸ πληθωρικῶν ὁκόσα αὖ νοσήματα γίνηται, κένωσις ἴηται, καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσεως καὶ πληθωρικὰ, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ἐναντίωσις. Quicumq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicumq; ex euacuatione repletio, & aliorum contrarietas. *Hipp. aph. 22. l. 2.*

XIIII.

Ἡ τοῦ θεραπευομένου κρᾶσις, ἅμα τῷ νοσήματι τὸ μέτρον τῆς ἐναντιώσεως ὁρίζει. Curandi corporis temperies, vna cum ipso morbo contrarietatis mensuram definit. *Gal. c. 1. l. 11. meth. th.* *Quantitate, si morbo & natura vi analoga.*

Quoniam igitur non satis est calido affectui admouisse frigida, nisi id debita fiat mensura, cum alioqui metus sit, si intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur; sin modum excedas, contrarium morbi genus inducas, quo minus id accidat, naturam curandi corporis scias oportet, quo quantum morbus ab illius symmetria discesserit intelligens, mensuram refrigeranti præsidio imponas. Quocirca remedij cuiusq; quantitas ex laborantis temperie, ac morbi magnitudine simul metienda est. Ex *Gal. c. 15. l. 9. meth. th.*

XV.

Ἐκ προσαγωγῆς τ' ἐναντία προσάγειν, καὶ μεταπαύειν, Contraria sensim adhibere oportet, atq; interquiescere. *Hipp. l. 6. sect. 2. epid.*

Siquidem τὸ μὴ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκῃοῦν τὸ σῶμα κινεῖν σφαλερόν, καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές. Plurimum atq; repente euacuare, vel replere, vel calfacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum, quoniam omne nimium est naturæ inimicum, sed quod paulatim fit tutum est. *Hipp. aph. 51. l. 2.* *Modo, si κατ' ὀλίγον vsurpentur.*

Contraria igitur κατ' ὀλίγον paulatim adhibere tutius est, quam μὴ πολὺ καὶ ἐξαπίνης, affatim & repente, quod omnes subitas mutationes natura moleste ferat.

XVI.

Ἀρχομένων τ' νόσων ἢν τι δοκῇ κινέειν, κίνει. ἀκμαζουσῶν δὲ ἡσυχίην ἄγειν βέλτιον ἐστί. Cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, move: cũ vero consistunt ac vigent, melius est quietẽ habere. *Hipp. aph. 29. l. 2.* *Tempore, si in morbi principio, non in statu adhibeantur.*

Causa vero propter quam in morborum quidem principio, non in statu exhibenda remedia sint, omnino duplex est, prima quod περὶ τὰς ἀρχὰς, ἢ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα, circa initia & fines omnia imbecilliora, circa statum vero fortiora sint symptomata. Ex *Hipp. aph. 30. l. 2.*

Altera vero quod in vigore natura humori morbifico concoquendo, & morbo profligando prorsus intenta, nullis remediis ab instituto auocanda sit. Αἱ γὰρ πέψεις τῶν νοσημάτων τηνικαῦτα γίνονται μάλιστα. πρὸς μὲν οὖν τὸ γενέσθαι ἥττονας αὐτὰς, ἄμεινον ἐν ἀρχῇ κενοῦν, ὅπως ἐλάττονα τῷ ὕλῃ γινομένῃ, ῥᾷον ἡ φύσις δυνηθῇ πέψαι. κρατοῦσαν δὲ τὰς ἀκμὰς, πότ' ἤδη πέπεπται, περιττὸν τὸ κενοῦν. Coctiones enim morborum tunc maxime fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius est in principio euacuare, quo minorem iam factam materiam, facilius natura possit concoquere. Morbo autem consistente ac vigente, cum iam natura coquit, superfluum est euacuare. *Ex Gal. in com.*

Vt remedium abstinendum, si nondum cognita morbi species fuerit.

XVII.

Si obscurior morbi species nondum tibi penitus cognita perspectaq; est, huic ne properes remedia adhibere, sed rem totam naturæ committito. Natura enim proba viuendi ratione adiuta & innixa, aut morbum profligabit, aut patefaciet & foras proferet. Incerta quippe medicatio & irrita, non nisi dispendio decernitur. Si quid forte experiri cogeris, leue id esto, ne fiat in re ancipiti iactura grauis. *Fern. cap. 3. lib. 1. meth. med.*

Vt simplicia remedia simplicibus affectibus, composita compositis ex vsu sint.

XVIII.

Ἁπλοῦν μὲν ἐφ' ἁπλοῦν νοσήματι ἢ τῷ θεραπείαν, ἐκ ἁπλοῦν δὲ ἐπὶ σύνθετον ποιεῖσθαι πρόσηκον. Simplici morbo simplex adhibenda curatio est, composito non simplex. *Gal. c. 1. l. 4. meth. th.*

Vt medicus licet congrua prascripserit remedia: curationē tamen perficere nequeat, nisi illi pareant agrotans atq; ministri.

XIX.

Ad perficiendam curationem, δεῖ δὲ μόνον τὸν ἰητρὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, oportet non solum medicum suum præstare officium, sed & ægrotantem & assidentes suum exequi, & externa rite esse comparata. *Hipp. aph. 1. l. 1.*

Etenim ἐναντιοῦσθαι τῷ νοσήματι τὸν νοσέοντα μὴ τοῖσι ἰατροῖσι χρή. Ægri est vna cum medico morbo reluctari. *Hipp. 1. epit.*

Vnde

Vnde æger medico parere debet, nec propriæ voluptati indulgere. Miniſtri etiam idonei requiruntur, necnon & habitationes accommodatæ, ac quæcumq; demum ad reſtituendam ſanitatem conferunt, adeſſe neceſſe eſt. *Ex Gal.*

X X.

Πάντα κ̓ λόγον ποιέοντι, ἢ μὴ γινομένων τῶν κ̓ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντ@ τῦ δύξαντ@ ἐξ ἀρχῆς. Omnia ſecundum rationem facienti ſi non ſuccedat ſecundum rationem, nõ eſt ad aliud tranſeundum, dum manet quod à principio viſum eſt. *Hipp. aph. 52. l. 2.*

Nec ſi recta ratione omnia gerenti, ſecundum eam minus ſuccedat, protinus ad aliud trãseundũ ſit.

Siquidem non eſt mediocris prudentiæ, non diſcedere ab his quæ recta viſa ſunt, etſi nondum manifeſta appareat vtilitas ex ijs ita factis conſequi. Quemadmodum enim gutta ſubiectam petram percutiente, vix longo tempore ſenſibilis paſſio deprehenditur in lapide, ſic accidit etiam in crudis, & quæ difficulter concoqui poſſunt affectionibus: in quibus cum recta ratio id quod conducit ſecundum omnes indicationes, prout earum vnaquæq; ſuadet, inuenerit, non diſcedit ab illo quod primum faciendum eſſe putauit, etiamſi nihil ex illius vſu ſit effectum: modo non aliud interueniat ſymptoma, quod à priore inſtituto recedere nos cogat. Rationabiliter enim his vtimur remediis, quæ *ipſæ* ſuggerunt indicationes. *Ex Gal. com.*

X X I.

Tria ſunt remediorum genera, quibus omnes præter naturam affectus ſanabiles curantur, diæta chirurgia, pharmacia.

Quod tria ſint remediorum genera.

Diæta (quod ad qualitatem attinet) morbo contraria ac naturæ familiaris inſtituenda. Si quidem τὰς ἐνδείξεις τῶν ὑγιεινῶν διατημάτων ἀπὸ μὲν τῶν παρὰ φύσιν ἐναντίας, ἀπὸ δ' τῶν κ̓ φύσιν ὁμοίας χρὴ ποιεῖσθ. Salubris victus indicationes ab iis quidem quæ ſunt præter naturam contrariæ, ab iis quæ ſecundum naturam habent, ſimiles ſumendæ ſunt. *Galen. in aph. 16. l. 1.*

Vt diæta inſtituẽda ſit, quod ad qualitatem attinet, morbo contraria ac naturæ familiari.

Sic affectibus calidis refrigerans, frigidis calfaciens, ſiccis humectans, humidis exiccans victus ratio conuenit.

Hinc τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι, δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit. Fames enim corpora ſiccat. *Hippocrat. aph. 59. l. 7.*

XXII. Τὸ

XXII.

Aegro quã fieri potest gratissima

Τὸ σμικρῷ χεῖρον ἢ πόμα ἢ σιτίον, ἥδιον ἢ τῶν βελτίονων μὴ ἀηδεστέρων ἅμαλλον αἱρητέον. Parum deterior potus & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. *Hipp aph.38.l.2.*

Paulo quippe deterior cibus ac potus quandoq; concedendus, non in gratiam solum ægrotantis, sed ad maiorem quoq; eius vtilitatem. Nam quæ libenter & magna cum voluptate sumimus, ea arctius complectitur, retinetq; ventriculus, atq; multo facilius concoquit. Insuauia vero & ingrata, vtpote nauseam, vel inflationem vel fluctuationem parientia respuit. *Gal. in com.*

Quocirca δεῖ χαρίζεσθαι τοῖς κάμνουσιν, ἐν οἷς μὴ ἀηλεῖ μεγάλη βλάβη, ægrotantibus in iis gratificandum, ad quæ nulla insignis sequitur noxa. *Philotheus in com.*

XXIII.

A consueta quam minime remota.

In victus ratione, δοτέον τι τῷ ἔθει, condonandum aliquid consuetudini. Siquidem τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων, ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. Quæ longo tempore consueta sunt, etiamsi deteriora sunt, minus iis quæ insueta sunt, molestare consueuerunt. *Hipp. aph. 50. l. 1.*

XXIIII.

Quod ad quantitatẽ spectat, tenuissima in vigore morbi.

Ὁκόταν ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε ἢ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est. Idque duas ob causas, propter symptomatum magnitudinem, & morbi concoctionem. Neque enim ad alteram nouam coctionem abstrahere oportet naturam vehemẽter in humorum morbidorum coctione occupatam, & quam primum nisi impediatur superaturam. *Ex Hipp. aph. 8. l. 1. & Gal. com.*

XXV.

Ac peracutis morbis.

Ὁκοῖσι μὲν κάτοξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοῖσι ἐχάτοις πόνοις ἔχει, ἢ τῇ ἐχάτοις λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu vtendum est. *Hipp. aph. 7. l. 1.*

Quod peracutus morbus primis statim diebus in summo vigore consistat, vt acerbissima quæ protinus comitantur symptomata aperte declarant.

Nam

Nam κάπεξυνόσημα τὰ τοιαῦτα, τὸ αὐτίκα ἀκμάζον. αὐτίκα δ' ἀκμαῖον περὶ τὴν πρώτην τετράδα, ἢ μικρὸν ταύτης ἀξιώτερον. Peracutus morbus is est qui statim adultus viget. Per statim autem intelligendum, circiter primos quatuor dies, aut paulo post. *Gal. in com.*

XXVI.

Οἷς μὲν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν, οἷς δὲ ὕστερον ἡ ἀκμὴ, εἰς ἐκεῖνο καὶ περὶ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾶν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ τοῖς νοσέουσιν. Quibus statim morbus consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est; quibus vero posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus. prius vero vberius alendum, vt æger sufficiat. *Hipp aph. 10. l. 1.* *Tenuis autem acutis morbis plenior vero longioribus*

Siquidem αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες διαιται ἐν τοῖσι μακροῖσιν ἀεὶ πάθεσι σφαλεραὶ, victus tenuis atque exquisitus in morbis longis semper periculosus, quod vires demoliatur, quas præstat tum integras seruare, vt morbi diuturnitati pares esse queant. *Ex Hipp. aph. 4. l. 1. & Gal. com.*

XXVII.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὅσῳ ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις. Impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes. *Hipp. aph. 10. l. 2.* *Tenuis itẽ cacochymis corporibus.*

Cum enim κακόχυμα corpora vacuatione potius, quam refectione egeant, illa non esse multum nutrienda constat. Nam mali succi in corpore prius collecti consortio vitiatur nouũ accedens alimentũ, quo fit vt cacochymiæ quantitas augeatur, & retineatur qualitas. Id vero maxime fieri solet, cum venter prauis quibusdam humoribus refertus fuerit. *Ex Gal.*

Quemadmodum enim lympida aqua cœno admixta, tota cœnosa & turbida redditur, ita cibus etiam purus & euchymus corpori impuro & cacochymo copiosior ingestus, totus in corruptelam conuertitur. *Philotheus in com.*

XXVIII.

Atque senibus.

Senibus tenuis victus etiam in morbis, pueris vero plenior, medias autem ætates degentibus moderatus est instituendus, quia γέροντες εὐφορώτατα τὴν νῆστειαν φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεζομένοι, ἧκιστα μειράκιοι, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. Senes facillime ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem *Plenior vero pueris, puberibus & adolescentibus.*

ætatem subsistentem habent, minus adolescentes, omnium minime pueri. *Ex Hipp. aph. 13. l. 1.*

Siquidem τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. πλείστης ἂν δέηται τροφῆς. εἰ δὲ μὴ τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Τέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμὸν διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται. ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποβέννυται. Qui crescunt plurimum habent calidi innati. Plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur, Senibus vero parum calidi innati inest, propterea paucis succendiculis egent. à multis enim extinguitur. *Hipp. aph. 14. l. 1.*

XXIX.

Hyemeque & vere.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμότατοί φύσει, καὶ ὕπνος μακρότατοι. ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσφέρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖστον ἔχουσι. Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. Quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est. *Hipp. aph. 15 l. 1.*

Per κοιλίας autem intelligit & ventriculum σιτόδοχον, cibi receptaculum, & ventrem vniuersum, quo intestina & alia organa coctioni ministrantia continentur, quos calore innato non aduentitio calidissimos esse ostendit. *Ex Philotheo.*

Sed quamobrem per hyemem calor natiuus augeatur, causam etiam Aristoteles aeris antiperistasi acceptam retulit. Inprofundum liquidē corpus calor per hyemem circumstante extrinsecus frigore refugere atque se recipere, quemadmodum æstate contra per summum corpus ad cognatum externum expandi calorem solet. Atque eius ita substantiam per æstatem digeri ac dissipari, retineri vero & constringi per hyemem, atque altum subire contingit. Propterea concoctio quoque & hæmatosis & nutritio hyeme & vere melior fieri videtur. *Ex Gal.*

XXX.

Quod ad modum spectat, parcior sed frequentior æstate & autumno,

Quod ad viuendi modum spectat, parcius quidem sed frequentius æstate & autumno, largius autem sed rarius hyeme & vere cibandum est. *Ex Galeno.*

Propterea quod θέρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρεσι, χειμῶνος ῥᾳστα, ἦρος δεύτερον. æstate & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, secundum locum ver habet. *Hipp. aph. 18. l. 1.*

XXXI.

XXXI.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ, τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως. Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet, quæ vero breui breuiter. *Hipp. aph. 7. l. 2.*

largior autem ſed rarior hyeme & vere.

Corpora quæ longo tempore extenuata ſunt paulatim, quæ breui affatim reficiẽs.

XXXII.

Cum morbus dat inducias, id eſt intermittit vel remittit, tum cibus ægrotanti eſt offerendus.

Ἐν τοῖσι δὲ παροξυσμοῖσιν ὑποσέλλεσθαι χρὴ τὸ προτιθέναι γὰρ βλάπτει. In acceſſionibus autem abſtinere oportet. Nam cibum dare nocuum eſt. *Hipp. aph. 11 l. 1.*

Quod ad tempus attinet quãdo morbus dat inducias.

Quod tum natura tota in concoquendo morbo occupatã, ad cibos conficiendos non ſit auocanda. *Ex Gal.*

Adde quod ſi in paroxyſmis quicquam dederis, cauſæ morbificæ aliquid adiicies, cauſaq; aucta, morbum ipſum augebit. *Ex Philotheo.*

XXXIII.

Inter chirurgica præſidia, Venæ ſectio primas tenet, quia ἡ φλεβοτομία κοινὸν βοήθημά ἐστι τῶν πληθωρικῶν νοσημάτων Venæ ſectio commune auxiliũ eſt eorũ qui ex plenitudine fiunt morborũ. *Gal. in aph. 47. l. 6.*

Vt phlebotomia (quod ad Chirurgiæ qualitatẽ ſpectat) adminiſtrãda morbo plethorico, ad vacuandũ.

Nam κένωσις ὁμοίμως ἁπάντων τῶν χυμῶν, ἡ μὲν ἀκριβεστάτη, διὰ φλεβοτομίας ἐστί, euacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem. *Gal in aph. 17. l. 2.*

XXXIIII.

Phlebotomia non modo ἓν τῶν κενωτικῶν βοηθημάτων ἐστὶ vacuantium præſidiorum vnum eſt, ἀλλὰ καὶ ἀνταγωνιστικόν τε καὶ παροχευτικόν, ſed & auertens etiam & deriuans auxilium eſt. Siquidem ἡ φλεβοτομία χρήσιμος ὅταν ὁρμὴ χυμῶν σφοδροτέραν ἤτοιγε εἰς τἐναντίον ἀνταγαγεῖν μέλῃ, ἢ παροχετεύσαι μέλῃ, εἰς τὰ πλάγια, miſſio ſanguinis vtilis eſt, cum vehementiorem humorum impetum ad contrarium reuellere, vel ad propinqua deriuare volumus. *Ex Gal c. 9, l. 9. meth. th.*

Φλεγμοναῖς, cæteriſq; morbis ab humorum fluxione excitatis, ad reuellendum, & deriuandũ.

XXXV.

Χρήμασι ἐῤῥωμένης τῆς δυνάμεως ἄχρι λειποθυμίας ἄγειν δεῖ τε μεγίστων φλεγμονῶν, καὶ πυρετῶν διακαεστάτων, καὶ ἀλγημάτων σφοδροτάτων. Expedit valentibus viribus vſque ad animi deliquium ducere, & in maximis inflammationibus, & inardenſſitimis febribus, & in vehementiſſimis doloribus. Nam ſi in ardentiſſimis febribus ad lipothymiam vſque

Quod ad quãtitatẽ attinet ad animi deliquium vſq; in maximis inflamma-

tionibus, ardentissimis febribus, & vehementissimis doloribus, si vires valeant.

sanguis mittatur, statim totus corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant. Quo facto nonnulli febre omnino sunt liberati aliis magnopere inde adiutis, morbi vehementia est repressa. Maximis autem inflammationibus sanguinem ad animi deliquium mittere expedit, tum eadem ob causas, tum quod fluxiones inflammationum procreatrices illico reprimat, sistatque, & sic phlegmonas augeri prohibeat, ardoresque extinguat. Ac acerbissimos proinde dolores à febrium inflammationum q; ardore excitatos venæ sectio ad animi defectum vsque statim sedat. Vnde in vehementissimis doloribus nullum præstantius remedium quam vsque ad animi defectum euacuare. *Gal. in aph. 23 l. 1. & alibi.*

XXXVI.

Quod ad modum spectat, vniuersim & affatim si vires ferãt, sin minus, paulatim & sensim.

Detrahendus sanguis καὶ πολὺ καὶ ἀθρόως vniuersim & affatim, si morb. vrgeat, vireſque ferant: sin minus κατ' ὀλίγον καὶ νωθρῶς, paulatim & sensim, id est per epaphæresim. *Canone 15.*

Siquidem omnes αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραὶ, vacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosæ, ac immodicæ præsertim sanguinis detractiones confertim factæ. Ex *Hipp. aph. 3. l. 1.*

XXXVII.

Οἷσι κόσμισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τούτοισι πρόσηκον τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν. Quibus venæ sectio, vel purgatio prodest, his vere secanda vena, aut purgatio imperanda. *Hipp. aph. 47. l. 6.*

Vernum quippe tempus per sanguinis missionem aut purgationem vacuando aptissimum est.

Tempore verno, ad morborum præcautionem.

Ἔαρ γὰρ ἡ τοῦ θέρμασία ἐστὶν, ἢ διάλυσιν τῶν σωμάτων ἐργαζομένη, ἔτε φύξις τὴν πῆξιν ἐπιφέρουσα τῶν χυμῶν, ἀκανομαλία ταράττουσα τὰς δυνάμεις, ἀλλὰ μᾶλλον εὐκρασία. Quoniam tum nec ingens viget calor, qui corporum dissolutionem faciat, nec frigus humorum concretionem afferens, nec inæqualitas vires perturbans, sed potius bona temperies. *Philotheus in eom.*

XXXVIII.

Molienda vero non sit mulieri v-

Prægnanti non temere secanda vena est, quia γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα, ἐκπιτρώσκει, καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον. Mulier

vtero

vtero gerens, secta vena abortit, idque magis, quo fuerit fœtus grandior. *Ex Hipp. aph. 31. l. 5.*

tero gerenti, nisi magna cum cautione.

Propterea quod detracto sanguine fœtus in vtero tabescit alimenti defectu, ac solutis vinculis decidit. *Ex Galeno & Philotheo.*

Nisi forte mater sanguinis copia plurimum turgeat. Tum enim tantum abest vt abortus metuendus sit, quin potius ad matris fœtusque incolumitatem sanguis mittendus videatur. Sic illustrissimæ Principi Dominæ Catharinæ Cleuensi, Duci Guisianæ prægnanti vena celeberrimorum medicorum consilio sæpius secta est, ne nimia sanguinis vbertate fœtus quem vtero gereret obrueretur, ipsaq; ab imminenti abortu vindicaretur. *Framb. Sarius.*

XXXIX.

Pharmaca καθαρτικὰ morbis cacochymicis, cholagoga biliosis, phlegmagoga pituitosis, melanogoga melancholicis præscribenda.

Vt pharmaca (quod ad qualitatem attinet) præscribẽda sint cathartica morbis cacochymicis, cholagoga biliosis, phlegmagoga pituitosis, melancholici.

Nam ἡ κακοχυμία διὰ τῆς οἰκείας ἑκάστῳ τῶν πλεοναζόντων χυμῶν καθάρσεως θεραπεύεται. Cacochymia curatur purgatione, quæ cuique humori redundanti sit accommoda. *Gal. c. 6 l. 13. meth. th.*

Ἀλλοιωτικὰ vero frigida morbis calidis, calida frigidis, sicca humidis, humida siccis instituenda. Siquidem τῷ θερμῇ δυσκράσιαν ψυκτέον ἐστὶ, τῷ δ' ψυχρᾷ θερμαντέον, οὕτω δ' τῷ ὑγρᾷ ξηραντέον, τῷ δ' ξηρᾷ ὑγραντέον. Calida intemperies refrigeranda est, frigida vero calefacienda, similiter humida siccanda, & sicca humectanda. *Gal. cap. 10. lib. 7. meth. th.*

Alliotica vero frigida morbis calidis, calida frigidis, sicca humidis, humida siccis.

XL.

Τοῖς μὲν ἀσθενέσι νοσήμασι, ἀσθενῆ φάρμακα φύσει, τοῖς δ' ἰσχυροῖς χρὴ διδόναι. Leuibus quidem morbis medicamenta natura leuia, vehementioribus vero valentiora sunt exhibenda. *Hipp. aph. de loc.*

Siquidem ἐς τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκρίβειαν κράτισται. Extremis morbis extrema exquisite remedia, optima sunt. *Hipp. aph. 6. l. 2.*

Quod ad quantitatẽ spectat, leuioribus

Vnde Tullius primo officiorum libro quatenus pericula viro forti suscipienda sint declarans ait: Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter ægrotãtes leuiter curant; grauioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur.

XLI.

morbis leuiora, vehementiorib. valẽtiora. dũ attinet, vacuantia per loca cõferentia, quo maxime natura vergit.

Α᾽ δεῖ ἄγειν, ὅκῃ μάλιστα ῥέπει ἡ φύσις, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων τὴν ἄγειν. Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia eo ducere. *Hipp. aph. 21. l. 1.*

Ἀνὴρ ἀπὸ πάντων μὴ ἧς δεῖ ῥέπῃ, reuelle e si quo non oportet vergant. *Hipp. 6. epid.*

Diligenter itaque medicum oportet naturæ motum, & humoris inclinationem obseruare, quæ si ad loca commoda fiat, ei seruiendum & auxiliandum, si vero modo contrario & incommode, eam prohibere, simulq; reuocare & retrahere oportet. Quemadmodũ si pituitosus vel melancholicus humor deorsum vergat, & natura omnino per intestina impetum fecerit vt febrem expellat, medicus proritare naturam debet, vel clystere vtens, vel alio remedio accommodo. Si vero bilis superabundans sursum repat, illamque natura per os expellere conetur, vomitorium medicamentum exhibere expedit. Id enim est, vbi maxime natura vergit, ducere. Contra namque si feceris, perturbationis multum naturæ, viribus laborem, & ægrotanti periculum adferes. *Philotheus in com.*

XLII.

Quod ad tempus spectat, purgantia in principio morborum acutorum, si turgeant humores.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν. χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν. Medicari in valde acutis si materia turget, eadem die. tardare enim in talibus malum est *Hipp. aph. 10. l. 4.*

Ne morbus inualescat, collabantur vires, ac vagi & errantes per corpus humores in partem quampiam principem decumbant. Verbum autem ὀργᾷν ab animalibus ad ventris vsum naturali quadam cupiditate impulsis & concitatis translatum est ad humores. Vbi igitur in peracutis morbis vel toto corpore, vel principibus partibus similis huic animantium concitatæ ad seminis emissionem libidini, fuerit naturæ impetus ad excretionem redundantium humorum, protinus purgandum est. *Ex Gal.*

Sed quoniam sæpe in principiis morborum acutorum, eiusmodi naturæ noxia expellere gestientis orgasmus non fit, cuius duntaxat ratione purgationis initio moliendæ occasio arripitur, ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις ἢ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, ἢ τοῦτο προεξευκρινήσ-

κρινήσαντας ποιέειν. In acutis morbis raro, præsertim inter principia medicamentis purgantibus vtendum est. Idque prius diligenti adhibito iudicio faciendum. *Hipp. aph. 24. lib. 1.*

XLIII.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκως ἄν τις βέληται καθαίρειν, ὑγρὰ ποιέειν. Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere. *Hipp. aph. 9. l. 2.* *Si minus, quãdo materia morbifica fuerit præparata.*

Alioqui ægre molesteque purgatio procedet, non sine ventris tortione, interdum & vertigine quadam, magnaque inquietudine, & cacosphyxia, & virium exolutione, & difficultate. Fluxa autem corpora fieri omnibus reseratis meatibus, & humoribus crassis & glutinosis, si qui intus delituerint extenuatis atque incisis. *Ex Gal.*

XLIIII.

Πέπονα φαρμακεύειν ἢ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant. *Hipp. aph. 22. l. 1.* *Et cum crudi humores fuerint cõcocti, non prius.*

Quemadmodum enim natura ad euacuationem nullo impetu ciet ur, nisi prius materiam concoxerit: sic & medicus non crudam sed coctam debet euacuare materiam. *Philoth.*

Crudi quippe humores omnes pigri atque ad motum inepti sunt propter crassitiem & frigiditatem. Quo fit vt vias etiam obruant, per quas id quod medicamentum attraxerit, ad aluum ferri debeat. vnde nec ipsi educuntur, & grauia excitantur symptomata. *Gal.*

XLV.

Τὰς κυήσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ πεπάμωσα ἢ ἀχειέπαλμων. τὰ δὲ νήπια ἢ τὰ πρεσβύτερα ἀλαβέεσθαι χρή. Grauidæ sunt medicandæ si materia turget quarto mense & vsque ad septimum. A iunioribus autem & senioribus cauendum. *Hipp aph. 1. l. 4.* *Grauidis mulieribus si materia turgeat à quarto mẽse ad septimum.*

Fœtus quippe eandem cum vtero cohærentiæ & coalitus rationem habent quam cum arboribus fructus. Hi etenim prima generatione infirmis pediculis continentur, atque ideo facile decidunt, si quando ventus vehementior concusserit, postea vero aucti ipsi difficulter à plantis dissoluuntur, & diuelluntur, quemadmodum rursus vbi ad perfectam maturitatem peruenerint, sponte sua & sine vlla vi externa decidunt. Eodem sane modo conceptus quoque primo à seminis submissione tempore, si vel saltare aliquando vel loco lubrico vesti-

vestigium fallente cadere, vel quoquomodo aliter aut animo aut corpore vehementius moueri mulierem contigerit, facile ab vtero abrumpuntur: quemadmodum & cum perfecti iam fuerint & adulti. Tempore vero intermedio firmiorem coalitum habent, & auulsioni minus obnoxium. Quare mulier cũ in vtero ferens potest vehementiores motus sustinere, sine fœtus offensione, ac proinde tutius purgari, turgente materia. *Gal. in com.*

XLVI.

Vt κένωσις nequaquã molienda cum perficitur, aut iam perfecta crisis est

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἁρτίως μὴ κινέειν, μήτε νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν ἀλλ' ἐᾶν. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere. *Hippocrat aph. 20. lib 1.*

Cum enim crisis solius naturæ opus sit, non medici, cum ipsa perficitur aut iam perfecta est nihil prorsus medico agendum est, sed omnia naturæ permittenda, ne eius actionem turbemus, quæ in hoc tota est,

Sed cum imperfecta crisis fuit.

vt noxiam materiam expellat: Sin autem imperfecta crisis fuerit, medici est id quod deficit suggerere, ac prauorum adeo humorum reliquias euacuare, ne temporis spatio putrescentes, morbum redintegrent. *Ex Gal.*

Siquidem τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μὴ κρίσιν, ὥστε ῥοφὰς ποιέειν εἴωθεν. Quæ relinquuntur in morbis à crisi recidiuas facere consueuerunt. *Hipp. aph. 12. l. 2.*

XLVII.

Nec diebus caniculari bus.

Υπὸ κυνὸς καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι. Sub cane & ante canem difficiles sunt medicationes. *Hipp. aph. 5 lib. 4.*

Tribus autem de causis diebus canicularibus omnes validæ purgationes molestæ sunt atque noxiæ, prima quod cathartica omnia cum sint natura calida, corpus tum ab aeris ambientis ardore excalfactum magis incendant. Secunda quod vires ab ingenti æstu imbecilliores iã redditas magis resoluant. Tertia quod medicamenti purgantis, & aeris ambientis actiones sibi pugnent, dum hic ab internis ad exteriora euocat, illud contra ab externis ad interiora trahit. *Ex Gal.*

XLVIII.

Nec vbi vẽter imus valde est

Επισφαλὲς τὸ ἔντερον σφόδρα λεπτὸν ἐὸν καὶ τηκτικὸν πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας. Ad purgationes quæ per inferiora fiunt, venter imus multum extenuatus & tabidus, non est tutus. *Ex Hipp. aph. 35. l. 2.* XLIX.

XLIX.

Φερομένων ἔτι τῶν ῥευμάτων ἐπὶ τὸ πεπονθὸς ἀποκρύεσθαι χρή. Cum adhuc ad affectum locum fertur fluxio, hanc reprimere expedit. Itaq; τὰ ἀποκρυτικὰ, μετέχοντα δηλονότι τῆς συπτικῆς δυνάμεως ἐπιτήδεια πρὸς τὰς ἀρχάς ἐστι. Reprimentia quæ adstringendi videlicet vim obtinẽt, in principiis idonea sunt, duplici ratione, & quod robur affectis partibus inserant (vnde minus prompte affluxum excrementorum in se recipiant) & quod eorum quæ in ijs iam contenta sunt, tenuissimum extrorsum exprimant. Gal. c. 15. l. 11. meth. th.

extenuantia & colligentia quatus.

Vt repellentia remedia in principio morbi à fluxione extitati vsurpãda.

L.

Ἐστὶ τοῦτο τὸ παράγγελμα κοινὸν ἐπὶ πάντων σχεδὸν τῶν διὰ μοχθηρὰς χυμὰς συϛάντων νοσημάτων, ὡς ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῖς θερμαίνουσι καὶ ξηραίνουσι χρῆσθαι. τελέως δὲ ἐκκόπτει ταῦτα τὸ καταλειπόμενον τοῦ χυμοῦ. Est illud commune præceptum omnium ferme quos vitiosus succus creat morborum, quod in fine calfacientibus & siccantibus sit vtendum. Quippe hæc quod reliquum humoris est prorsus absumunt. Gal. cap. 7. l. 14. meth. th.

Resoluentia vero humorum reliquias in declinatione morbi.

LEGVM NICOLAI ABRAHAMI FRAMBESARII

LIBER SECVNDVS.

Docens,

Quomodo cerebri partiumq; ab eo dependentium morbi ſanandi ſint.

Scopus Authoris. QVoniam de corporis morbis peculiariter agere animus eſt, vt de illorum ſanatione, ſecundum Medicinæ Leges, methodice agam, ſimul cerebri, in quo præcipue reſident animæ facultates, morbos mouebo: deinde illos, qui ſenſuum externorum organa concernunt, poſtea qui partes vitales tangunt, inde qui partes naturales: deinceps qui iuncturas ſpectant. Ac inde ad partes externas, circa quas occupantur chirurgi, progrediar, hinc ad tumores præternaturales, vulnera & vlcera, & deniq; ad fracturas & luxationes.

Morbi cerebri in tres partes diſtinguuntur. Cerebri morbi in tres ordines, ſecundum loca, in quibus reſident, diſtinguntur. Etenim, non nulli in ipſo cerebro, alii in ventriculis & meatibus, alii deniq; in membranis collocati reperiuntur.

Cerebri morbi. In ipſo cerebro, quod præcipuarum animæ facultatum, nempe intellectus, imaginationis & memoriæ ſedes eſt, læſarum functionum, ſymptomata ſunt, Phrenesis, Mania, Melancholia & Lethargus.

Ventriculorum & meatuum morbi. In cerebri ventriculis & meatibus, per quos ſpiritus animalis ſenſuum organis membrisq; mouentibus communicatur olfactus & motus vitia, vt ſunt, Vertigo, incubus, conuulſio, Epilepſia, Apoplexia, Paralyſis, & Catharrus, gignuntur.

Membranarum morbi. Membranarum nomine intelligunt meninges & pericranium, vbi ſolum modo dolores ex vehementi olfactu creatur.

TITVLVS I.

De Phrenitide.

Distinctio 1. De phrenitidis diagnosi.

CANON I.

Quid phrenitis, & qua ratione differat à mania, melancholia, & paraphrosyne proprie dicta.

Phrenitis est perpetuum cum febre delirium. Assidua quippe deliratio, acutaque febris, pathognomonica signa sunt quæ phrenitidis essentiam constituunt. Sic phrenitis ὑπὸ τ μανίας ἢ μελαγχολίας discrepat, quod nullam habeant adiunctam febrem, & ab eo delirio quod in vigore vehementium febrium excitari solet, quod perpetuum non sit, sed declinante febre soluatur. *Ex Archiatrων decretis.*

II.

Phrenitidis primaria sedes.

Vera phrenitis cerebro affectu primario proprioque laborante contingit. Vnde distinguitur à *spuria* phrenitide, quæ fit per consensum ventriculi aut diaphragmatis vitium suum in cerebrum transmittētis. Exquisita namq; phrenitis gignitur vel ex simplici inflammatione à copia sanguinis, vel erysipelatosa à flaua bile, aut humore bilioso vsto & in atrum verso, cerebri meningas, & ipsum etiam cerebrum aliquando occupante, adeo vt interdum inflammatione simul laboret, quandoque vero ferueat duntaxat, & calorem præter naturam concipiat. *Ex varijs auth.*

III.

Nota.

Præter pathognomonica duo phrenitidis signa, sunt & alia quā plurima quæ assidentia vocantur, nempe perpetua fere vigilia, aut somnus admodum turbulentus, ex quo consurgunt ægri, exiliunt, vociferantur, & si à sanguine morbus est ridēt, aut si à bile flaua est ferociūt, vel si atra vitium fecerit, tam immaniter sæuiunt, vt coerceri nequeāt; Verba sine ordine & sensu effundunt, interrogantibusq; nihil certi aut maiore cum tumultu aut temeritate respondent. Oculos præterea habent rubentes, alii aridos, alii lachrymātes & squalidos. Lingua eorum est aspera, interdū sanguis è naribus destillat, vrina retinetur. Floccos insuper auellunt & festucas ex stragulis ac vestibus carpūt. Pulsum obtinent paruum ob arteriæ duritiem à siccitate contractam, & frequentem ob vsum. Siquidem affectus est ab immenso calore. Spirationem

magnam & raram habent, quia qui delirant non norunt quando sit inspirandum, expirandumq;, cum obliuiosi sint. Itaq; magnum & rarum spiritum emittunt, vt longitudine respirationis id natura cõpenset, quod breuitate debet & frequentia fieri. *Ex variis author.*

DISTINCTIO II.

De phrenitidis prognosi.

CANON I.

Vt phrenitis omnis sit exitialis.

VNiuersum phrenitidis genus exitiale est, quod in ea parte generetur, in qua princeps animæ facultas residet. *Ex Gal. Aliom. Bruel.*

Præsertim quæ à bile vsta oritur

Sed quæ ex perusta bile gignitur phrenitis, longe grauissima est. *Paulus.*

II.

Vt deliria quæ cum risu fiunt minus periculosa, quæ serio periculosiora, temeraria vero periculosissima.

Αἱ μὲν ἀφροσυνίαι αἱ μὴ κατὰ χόλωτον γινόμεναι ἀσφαλέστεραι. αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς ἐπισφαλέστεραι. Deliria quæ cum risu fiunt securiora, quæ vero serio, periculosio a. *Hipp. aph.* 1. l. 6.

Οὐδεμία μὲν ἀσφαλὴς ἐστὶ μωρία, σφαλερωτέρη δ' ἧς πλέον αἱ μετὰ γέλωτος. ὡς αἱ γεθρασεῖαι σφαλερώτεραι. ἐν τῷ μέσῳ δ' ἀμφοῖν εἰσὶν αἱ μετὰ σπουδῆς. Nulla quidem desipientia secura est, minus periculosæ quæ cum risu fiunt, sicuti temerariæ omnium periculosissimæ: in medio autem ambarum sunt quæ cum studio fiunt. Fiunt autem omnes affecto cerebro, siue primo & per se, siue per sympathiam. Differunt autem inuicem per causas ipsas efficientes. Quoniam quæ fiunt à sanguine excalfacto, aut à sola caliditate sine humore vitioso similia sunt eis quodammodo quæ ex ebrietate contingunt cum risu. Quæ vero ex flaua bile serio perficiuntur, ipsaq; multum exusta, vt iam magis ad atræ bilis naturam accedat, sunt insaniæ valde furiosæ & periculosæ, quoniam à prauo humore procreatæ sunt. *Galenus.*

Vt vrinæ albæ & perspicuæ phreniticis apparentes periculum portendãt.

III.

Οὐδὲ σιν ἔρρα διαφανέα ἢ λευκά, πονηρὰ μάλιστα ἢν ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται. Quibus vrinæ albæ & perspicuæ, malæ, præsertim si in phreniticis appareant. *Hipp aph.* 72. l. 4.

Quia

Quia extremam ἀπεψίαν id est cruditatem significant, & præterea flauam bilem vniuersam ad caput sursum rapi. Itaq; nullum vidi phreniticum in quo tales vrinæ apparuissent, saluatum. *Galenus.*

DISTINCTIO III.

De Phrenitidis therapia.

CANON I.

PHrenitis cum morbus sit omnino acutissimus, symptomata sæuissima inuehens, ipso statim principio curandus, vt Hippocrates imperat, & remediis etiam valentissimis, quod extremis morbis extrema exquisite remedia adhibenda sint, vt idem præcipit *Syluius apud Gatin.* *c.42.d.3. t.1.l.1.* *c.40.d.3. t.1.l.1.*

I I.

In omni Phrenitide mittendus sanguis, si nihil prohibeat, sed in phlegmonode liberalius & audentius, quam in erysipelatode. Secanda autem cephalica ad causæ antecedentis auersionem, & coniunctæ remotionem, angusto foramine, vt vulnus celerius coalescat. Sed si magna plenitudo adsit, iecoraria prius incidenda, ad vacuationem. Ex *consens. Gal. Paul. Altom. Sylu. Holl. & c dempto Asclepiade.* *Vt sit in phrenitide mittendus sanguis.* *Quæ vena secanda.*

I I I.

In Phrenitide præsertim biliosa purgandum, sed catharticis leuioribus, ne humores excandescant, & exagitentur. Ac si hæc parum proficiant, etiam valentioribus præsertim si corpus robustum sit. Idq; nulla præparatione adhibita, cum materia turgeat, ac vacuari suapte natura habilis sit, nec morbus det inducias *Ex Holl. Syl. &c.* *Vt molienda purgatio.*

I V.

Vitandus in phrenitide assiduus refrigerantium topicorum vsus, ne in Lethargum commutetur morbus, deinde quia constringunt poros, vnde fumi in capite retinentur. Nec etiam vtendum somniferis quæ intro sumuntur nisi vires valeant, alioqui horum vsu languidus calor extinguitur. *Hollerius.* *Cautio in topicorum & hypnoticorum vsu adhibenda.*

CONSVLTATIO I.

De Phrenitide phlegmonode.

MEdendi methodus (Archiatre clarissime) tribus constat partibus, *Diagnostica, Prognostica, Therapeutica.* Ad perfectam *Diagnosim* con- *c.1.d.1.t.1.l.1.* *c.2.d.1.t.1.l.1.*

Diagnosis sequendam, primum affecta sedes, deinde affectus species, tum causa
l.1. & 2. accurate perquirēda. Affecta sedes cerebrū est suis meningibus obdu-
d.1.1. lib.2. ctum. Affectus species, *Phrenitis* ex sanguinis inflammatione profecta.
Assidua quippe deliratio cum febre acuta, indicat partem in qua prin-
ceps animæ facultas residet, phlegmone tentari, quæ à copia sanguinis
ortus sui causam duxisse videtur, cum vere contigerit plethorico Ado-
c.15.d.1. lescenti. Quod ad *Prognosim* attinet, hæc μετὰ γέλωτος παραφροσύνη,
t.1.li.1. minus periculosa, quâ quæ μετὰ σπουδῆς fit, summi dictatoris decreto.
Prognosis Nam phrenitin arguit phlegmonodem ab excalfacto sanguine ortam,
c.2.d.2. desipientiæ quæ ex ebrietate cum risu contingit, haud absimilem: non
t.1.l.2. erysipelatodem ab aduста bile serio genitam, quæ ad furiosam accedit
Therapia insaniam. Ad *Therapiam* aggrediendam, aluo clystere remolliente
c.2.d.3. subducta, liberaliter mittendus sanguis primum è basilica vena, ad ple-
t.1.l.2. nitudinem demendam, deinè cephalica ad causæ antecedentis auer-
sionem, & continentis remotionem. Cassiæ ac Syrupi rosarum palli-
darum vsu clementer repurganda perittomata. Calidior intēperies vi-
ctus ratione & medicamentis refrigerantibus contemperanda. Omni-
busq; modis conciliandus somnus. In eum finem. *Nectar hypnoticum ad* ℥ij. per vices exhibendum; adhibendumq; fronti & temporibus *oxyr-*
rhodinum ex aquarum stillatitiarum lactucæ nymphææ & rosarum ana. ℥ij. olei
rosati ℥j. aceti, ℥ß. & ecchylomatis Narcotici ℥j. Quid de *diagnosi, prognosi*
& therapia morbi propositi sentirem, paucis aperui.

Consultabat Frambesarius cum D. Milone Regis Galliarum
Archiatro pronobili Adolescente mense Aprili, an. 1610.
Parisiis laborante.

CONSVLTATIO II.

De Phrenitide Erysipelatode.

c.1.d.1.t. COnspicua sunt in hoc iuuene duo pathognomonica Phrenitidis
3.l.1. indicia, perpetuum delirium & acuta febris, necnon & assidentia
c.3.d.1. signa, quæ laborantem phreniticum esse confirmant, oculi rubentes
t.3.l.1. atque squalidi, oculorum venæ turgentes, sanguinis è naribus fluxus,
lingua

lingua aſpera, ſpiratio rara; & magna, pulſus exiguus & frequens, vrinæ ſuppreſſio, immodica vigilia, ſomnus difficilis ac turbulentus, adeo vt æger ſubinde interrupta quiete è lecto ſurgat, exiliat ac furibunde vociferetur, verbaque ſine ordine & ſenſu effundat, interrogantibuſque nihil certi aut maiore cum tumultu aut temeritate reſpondeat, necnon & floccos auellat, & feſtucas ex ſtragulis ac veſtibus carpat. Porro non ex ſimplici ſanguinis inflammatione, ſed ex eryſipelatoſa à bile flaua aduſtione in atram degenerante, cerebrum ac meningas eius occupante phrenitidem fieri conſtat, cum ægrotans ita ferociat, tamque immaniter ſæuiat, vt coerceri niſi vinculis nequeat, ac omnium quæ dicit facitque obliuiſcatur, & ſimul cum ratione imaginatio lædatur. Quod ad *prognoſim* attinet, *nulla Phrenitis periculo vacat*, authore Galeno, quod in ea parte generetur in qua princeps animæ facultas reſidet, ſed illa longe periculoſiſſima, quæ ex aduſta bile oritur: vnde ſeria non cum riſu deliramenta exiſtunt. Nam ex Hippocrate *deliriationes quæ cum riſu fiunt ſecuriores, quæ vero ſerio, periculoſiores. Aquoſæ* *c.1.&2.d.2.t.l.1.*
præterea vrinæ ſunt malι ominis. Cum autem morbus adhuc ſit ἐν τῷ γί- *c.3.d.2.c.3.l.1.*
νεσθαι, duplex medendi ſcopus, vnus prophylacticus, ne abſolutum *c.6.d.3.t.1.l.1.*
fiat e yſipelas prohibens: alter therapeuticus, in curando affectu iam genito conſiſtens. Ad prohibendum morbi incrementum, bilioſa materia adhuc ad cerebrum appellens auertenda & repellenda. Ad morbi vero geniti tentandam curationem, materia cerebro meningibuſque impacta vacuanda & diſcutienda, coniunctaque capitis intemperies calida corrigenda, necnon & inſomnia, iſchuria, aliaque grauiora phrenitidis ſymptomata caſtiganda. Ad auertendam autem *c.2.d.3.t.3.l.1.*
materiam in cerebrum ruentem, ſimulque amouendam illic affluxam, ſecanda protinus vena cephalica, ſed non ita liberaliter mittendus ſanguis atque in phlegmonode phrenitide. Deinde cucurbitulæ ceruici & homoplatis affigendæ. Frictiones item ac ligaturæ dolorificæ artubus reuulſionis cauſa adhibendæ. Ad reuellendum præterea atque *c.3.d.3.t.3.l.2.*
vna eademque opera vacuandum, exhibenda cholagoga blandiora, ne bilis vehementioribus catharticis excandeſcat & exagitetur, indeque febris augeatur, vt *bolus ex caſſiæ* ℥ j. *& rhei* ℈ iiij. potus ex ℥ ij. *ſyrupi de cichorio compoſiti cum rheo in decocto cephalico* diſſolutis: Ac ſi hæc non ſufficiant,

c.40 d.3. t.1.l.1. ficiant, etiam valentiora, quia ex Hippocrate *extremis morbis extrema exquisite remedia adhibenda, vt electuarium de succo rosarum, diaprunum solutiuum, catapotia aurea vel aggregatiua, enemata* item frequenter iniicienda non modo clementia, sed etiam acriora, ex *decocti remollientis* ℔. j. *cassiæ & aliquando diaprun. solut.* ℥. j. *facch. rub.* ℥ j. ß. *salis communis* ℥ j. *olei violac.* ℥ iij. Ad repellendam vero à supernis partibus materiam fluentem, & calidam capitis intemperiem vna emendandam frigida adstringentia, cuius generis est *oxyrhodinum ex aceti parte vna, olei rosati duabus, & aquæ rosar. vel succi plantag. & solani quatuor*, syncipiti adhibenda: vel collo ex panno aliquo circumponenda, vt vias contrahant per quas materia ascendit & ipsam cogant, crassent & ad motum ineptam reddant. Vtendum etiam medicamentis frigidis & adstringentibus, *vt syrupo rosato & granatorum cũ duplo aquæ rosarum plantag. solan. bugloss.* victu item refrigerante, & adstringente, *vt ptisanæ cremore, iusculis, lactuca, intybo, & oxalyde alteratis, aqua hordei.* Postea ad discutiendum humorem parti laboranti impactum admouenda capiti temperate calida, vt columbus, gallus, catulus, aliud vesimile animalculum viuum per spinam sectum, vel arietis pulmo aut hepar adhuc calens, aliaque remedia clementer digerentia, vt *fotus capitis ex seminibus altheæ, linì, fœnigræci, floribus chamæmeli, meliloti, in aqua sufficienti coctis: Et litus ex oleo chamæmel. & anethin.* Interim ad conciliandum somnum, deliriumq; sedandum *syrupus violaceus & papauerinus cum aqua lactucæ* sæpe sumendus, *vnguentumq; populeum* fronti admouendũ, ac si necessitas vrgeat, *Philonis antidotũ, vel opium* ipsum, magna tamen cum cautione sumendum, vel admouendum. Ad vrinam vero suppressam promouendam *oleum de scorpionibus* pubi illinendum è regione vesicæ. Fotus item circa pubem & perinæum ex *malua, bismalua, parietaria, floribus chamæmel. & melilot. in aqua & vino albo decoctis*, aliaq; id genus vretica remedia ex vsu erunt. Si qua curationis spes reliqua esse videatur, his est molienda remediis.

c.4.d.3. t.3.l.1.

Consultabat Frambesarius cum D. Diurno, pro bilioso iuuene æstate media, Vitrici agrotante, anno 1587.

TIT V-

TITVLVS II.

De Mania.

Distinctio 1. de Maniæ diagnosi.

CANON I.

Mania est furiosa citra febrem insania, ab atra bile orta. Hæc autem bilis atra vel flauæ bilis, vel melancholiæ vel sanguinis exustione gignitur. *Ex Archiat. decr.* *Quid mania.* *Vnde oriatur.*

II.

Si ex flauæ bilis præassatæ redundantia oriatur insania, ægri sunt, iracundi, iniurioſi, adeoq; temerarij ac ferarum modo effrenes vt eos qui imprudentius ipsis occurrunt, manu violenter tractent. Si ex melancholico succo plurimum exusto contingant, cum metu ac mœstitia delirant, diutius interdum taciturni fiunt ac loqui auersantur. interim cum loqui incipiunt, silere nequeunt, ita vt admodum loquaces rursus euadant. Si ex copia feruentis sanguinis exusti in atramque bilem mutati generetur, cum risu atq; cantu immodico insanire solent, sonitus aliquando circa aures adsunt, vt putēt se tibicines audire. Præterea temperamentum, ætas, habitus, anni tempus, regio, aeris constitutio, ac præcedens victus ratio, ex quo humore bilis atra indeq; mania sit excitata confirmant, *Ex variis authoribus.* *Quibus signis mania.* *Causa dignoscatur.*

III.

Cerebrum hic per se laborat, vel per consensum aliarum partium. Atra quippe bilis à qua hoc malum fit, alias in capite, alias in toto corpore, alias in præcordiis congeritur. *Ex variis auth.* *Vt cerebro per se, vel per consensum laboranti insideat.*

DISTINCTIO II.

De Mania prognosi.

CANON I.

Vt Mania superueniens dysenteria, vel hydrops vel ecstasis boni sit omiu.

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν. A furore dysenteria, vel hydrops, vel mentis alienatio, bonum. *Hipp. aph. 5. l. 7.*

Dysenteriam quidem vel hydropem transmutationis ratione esse furoris sanationem, non est extra rationem, cum à capite noxij humo-

res transferantur ad inferiora Mentis autem alienatio, quæ est motus ac vehemens perturbatio, qualis accidit iis quibus paulo post ad futura est crisis, significat quod natura in hoc est, vt humorem peccantem discretum paulo post euacuet per iudicationem. *Ex Galeno.*

II.

Vt insanientibus varices, hæmorrhoidesq; superuenientes præsidio sint.

Τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμορροίδων ἐπιγενομένων τῆς μανίης λύσις, Insanientibus si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio Hipp. aph. 21. l. 6. Sed hic insaniam illam quæ proprie melancholia dicitur, vocat, non illum qui fit ex bile furorem. Sunt autem varices venæ latiores in femoribus & cruribus, quæ ex crasso & melancholico sanguine fiunt, adeo vt pellente natura ad partes ignobiliores eos qui insaniam efficiunt humores, præsertim cum melancholici fuerint ac crassi, varicum aut hæmorrhoidum generatio sequatur, & insaniæ solutio. *Galenus.*

DISTINCTIO III.

De Maniæ therapia.

CANON I.

Quando in mania sit mittendus sanguis & ex qua vena.

SI mania ex feruentis sanguinis abundantia excitetur, larga sanguinis missio molienda est, primum è vena brachij media ad euacuationem & auersionem, deinde è saphæna præsertim in mulieribus ad menses prouocandos. At si malum à bile adusta sine sanguinis plenitudine oriatur, vena minime secanda, cum sanguis sit frenum choleræ. *Ex Altom. Fuchs. &c.*

II.

Quando non mittendus.

In mania somnus omni ratione procurandus tum sumptis, tum admotis. *Ex cons. med.*

Vt somnus medijs omnibus sit procurandus.

CONSVLTATIO I.

De Mania.

FVriosa citra febrem insania quæ iracundia, iurgiis, clamoribus, horrendo aspectu, magno deniq; corporis impetu & mentis perturbatione laborantem ira exercet atq; impellit, vt quasi fera & immanis bellua, in obuios dentibus, vngu bus, & pugnis inusitata rabie petulanter inuadat, horrenda profecto mania est, ortum ducens ex bile flaua adustione in atram conuersa, quæ cum in reliquo corpore, tum in

c. 1. & 2. d. l. 4. l. 1.

capite

capite præsertim turget & excandescit, propter calidiorem sicciorem q; temperiem, ætatem, regionem, aeris constitutionem, æstatem, victus rationem, curas sollicitudines & vigilias antecedentes. Quod ad *prognosim* attinet, *si desipientia omnis periculosa*, Galeno authore, ferina sane dementia longe periculosissima, ac pernicios issima nõ abs reputanda est. Vt enim à maligno admodũ humore gignitur, ita & sæuissima inuehit symptomata. Ad tentandam curationem morbificus humor ante omnia præparandus *syrupis violato, nymphæato, acetoso, de cichorio, de fumaria, cum aquis violarum, lupulorum, bugloss. nyphæa, cichorij, oxalydis*: deinde sensim vacuandus & reuellendus, modo catharticis potionibus, vel *bolis ex cassia, myrobalanis citrinis, tamarindis, sennæ, catholico; confectione hamech, syrupo rosarum pallidarum*, modo *pilulis ex hiera, indis aut de lapide lazuli*, modo *enematis blandioribus ex foliis violarum, malu. alth. lactuc. seminibus iiij. frig. maior. & oleo violato paratis*, postea vero acriotibus. Nec etiam alienum erit ad auersionem hæmorrhoidas prouocare, vt & ad deriuationem pyroticum futuræ coronali admouere. Materia item repellenda simulq; coniuncta intemperies emendãda irrigatione syncipitis ex *oleo rosaceo, succo polygoni, aceto, ex linteolo* frequentius iterata: Fotu capitis ex *decocto violar. rosar. lactuc. capitum papau. florum stœch. & chamæmeli, addito aceto*: Epithematis refrigerantibus & humectantib. hepati & cordi admotis. Proderit etiam inclinante morbo balneum aquæ dulcis. Ad cerebrum præterea reliquumq; corpus contemperãdum ac corroborandum, *diamargaritum frigidum, diarrhodum abbatis, diatrionsantalum, conserua rosarum, violarum, nymphæa & bugloßi*, ex vsu erunt. Instituendus insuper victus refrigerans & humectans, liquidus & sorbilis, vt *ptisana cremor*. Vitandus cibus omnis flatulentus & bilem qui gignit. propinanda *aqua hordei, vino* prorsus abstinendum. Somni vero cõciliandi imprimis habenda ratio hypnoticis tum sumptis, tum admotis. Aluus si quando adstrictior fuerit, statim subducenda. Amicorum autem præsentia duntaxat admittenda, ignotorum vero ac eorum quibus iratus est hominum ingressus omnino prohibendus. Accurate autem vinciendus est, ne vel sibi vel alteri noceat. Si aliquis curationi relinquitur locus, his auxiliis molienda videtur.

c. 43. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 2. d. 3. t. 4. l. 1.

Consultabat Frambesarius pro Hispano Sanhuberti laborante, anno 1592.

CONSVLTATIO II.

De Mania ex feruente sanguine cerebrum petente.

Diagnosis. MEntis perturbatio, qua iuuenis Miles agitatur, cum sit absq; febri, phrenitis nequaquam est: nec melancholia, cum nec metum, nec tristitiam habeat comitem: sed Mania à feruente sanguine cerebrum petente orta. Nam simul ac laborans sanguinem circa præcordia commoueri sentit, oculi caligant, vertigo adest, mox clamores, vociferationes & inquietudines accedunt, canit, saltat, ac præcipitare sese conatur, adeo vt arcte contineri, ac vinculis stringi ipsum oporteat, ne

Prognosis. sibi aut aliis violentas manus inferat. Quod ad *prognosim* attinet, cum nec à flaua, nec ab atra bile adusta; sed à biliosi sanguinis feruore, mania excitetur, haud immedicabilis videtur. Sed periculum est, ne in melancholiam tandem degeneret. Siquidem ex Galeni dogmate, εἴ τις ἔμπροσθεν θερμὸς ἦν ξηρὸς ἐκ συγκαύσεως τοῦ αἵματος ἐγέννησε πλείω τὴν μέλαιναν χολήν, ἅτος γοῦν ἐστὶν, ὁ πρὸς τῷ ξηρὸς εἶναι καὶ ψυχρὸς, εὐθὺς καὶ μελαγχολικὸς. *Si quis ante calidus & siccus ex sanguinis vstione plurimam generauit atram bilem, est vtiq; is, præterquam quod siccus est & frigidus, protinus etiam melancholicus.* Visi sunt nonnulli ab insania prorsus liberati, quod sanguis feruens, remissior factus ad caput non amplius ascendisset, sed quod circa pulmones constitisset, phthisi postea correpti. Ad molien-

Curatio. dam *curationem* detrahendus imprimis ex dextro brachio sanguis satis copiosus. Ad bilem exustione procreatam, aluo excernendam, exhibenda postridie *vtriusq; ambrosiæ cholagogæ gr. x. cerasso condito inclusa.* Ad conciliandum somnum ex codiis papaueris *hypnotica potio* decernenda; ac vrgente necessitate adhibendum fronti, temporibus atq; naribus *narcoticum ecchyloma.* Nec somnifera pedum lotio negligenda.

Consultabat Frambesarius cum D. Petito Medico Reginæo, pro Prætoriano Milite Cæsaroduni Turonum, mense Martio, anno 1616, laborante.

TI TV-

TITVLVS III.

De Melancholia.

Distinctio 1. De Melancholiæ diagnosi.

CANON I.

Quid' melancholia, quibusq; signis dignoscatur.

Melancholia mentis est alienatio sine febre, metum & mœstitiam absq; causa inducens, à melancholico humore aut vapore cerebrum occupante, ac temperaturam suam immutante orta. Hac quippe laborantes vel cogitant vel loquuntur vel efficiunt absurda longeque à ratione & consilio abhorrentia, eaque omnia cum timore & mœstitia, quæ duo Hippocrates indubitata Melancholiæ signa cõstituit. Aphorismo 23. l. 6. inquiẽs, Ἢν φόβος καὶ ἡ δυσθυμίη πολλῷ χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. Si timor & mœstitia longo tempore perseuerent, melancholicum est indicium. Alij ne loquendum quidem sibi esse putant, sed omnem vitam in taciturnitate transigẽdam. Deinde hominum consuetudinem conspectumq; magnopere fugiunt, multi solitudines quærunt, & interdum mortuorum sepulchra aut horridas speluncas errantes sectantur, eoq; se recondunt, ac sæpe luporum ritu vlulant, quorum proprie vitium lycanthropia nuncupatur. *Frambesarius ex varijs auth.*

I I.

Vbi melancholica materia contineatur.

Qui Melancholiam efficit ater ac fæculentus humor, modo in capite solo consistit, modo in vniuerso corpore exuperat, modo in liene viciniſq; partibus intemperie vel obstructione laborantibus congeritur. Hinc *Melancholia triplex: vna primaria, altera*, quæ totius corporis vitio fit, *tertia* hypochondriaca, quæ & flatulenta nuncupatur. *Ex Fern. & cæteris author.*

Quotuplex sit melancholia.

I I I.

Quibus notis internoscatur melancholia primaria.

Melancholia primaria in qua cerebrum primario afficitur, peculiariq; vitio, hinc intelligitur, quod sine præcordiorum affectione fatiget, nec signa adsint redundantis in toto corpore melancholici sanguinis, ac sine causa manifesta metus atq; mœstitia diu perseuerent. A toto corpore fieri cognoscitur ex antecedentibus causis, ac notis melancholici sanguinis magna in venis vbertate luxuriantis apparentibus temperamento sicco & calido à principio, ex permutatione autem frigido, ætate in senium vergente, anni tempore autumnali, regione

Quæ ex totius corporis consortio fit.

frigida & ſicca, victus ratione ſordida, menſibus aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis, varicibus curatis, gracili, nigro atq; hirſuto corporis habitu, venarum latitudine, miſſione ſanguinis craſſi, &c. *Signa* autem Melancholiæ hypochondriacæ quæ vapor ater & obſcurus ex ſiniſtro hypochondrio obrepit in mentem conſpicua ſunt ſubter præcordia, in quibus arteriæ vehemẽter & moleſte pulſant, ſicut & Hippocrates notauit, præcordiorum venæ ſi pulſant, aut turbationem aut delirium portendunt. Ex humoris ardore æſtus præcordiis ineſt, ſed ſine ſiti: nam læſa ventriculi concoctione ſputum humidum copioſumq; reiicitur. Hinc etiam ructus, flatus, rugitus & fluctuatio. Sæpe dolor & cordis palpitatio, interdum etiam ſuffocatio. Sumpto cibo calidiore & coctu difficili calidus vapor ſurſum expiratur, è quo melancholica deliramenta inualeſcunt, miteſcunt vero refrigerante cibo, alui deiectione, vomitione & ructibus. In plæriſq; etiam lienis aut meſenterij renitens dolenſq; tumor, aliæq; horum affectuum notæ inſunt: in aliis cum præſertim ab exuſta bile flaua tales euaſerunt, nec ſola fæx melancholica, ſed atra bilis moleſta eſt, non manifeſta humorum congeſtio deprehenditur. Ex *Gal. Diocl. Fern. Holl. Gorr. aliiſq; auth.*

Hypochondriaca.

DISTINCTIO II.

De Melancholia prognoſi.

CANON I.

Vt melancholia varias inducat affectiones longe perniciosiſſimas.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασιν ἐς τὰ ἤ ἐπικίνδυνοι αἱ ὑποσκήψιες, ἢ ὑποπλήξιλω τῷ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίλω, ἢ τύφλωσιν σημαίνει. In morbis melancholicis ad partes decubitus periculoſi: aut enim apoplexiam, aut conuulſionem, aut furorem aut cæcitatem ſignificant. *Hipp. aph. 56. l. 6.*

Periculum enim ne melancholia in commune neruorum principium affatim irruens apoplexiam, vel vlterius ad neruos translata conuulſionem, vel in cerebro excandeſcens, atq; hucillucimpetum faciens, maniam: vel ad oculos decumbens cæcitatem pariat. Metuendum præterea ne melancholia in epilepſiam permutetur. *Ex Hipp. 6. epid.*

Vt melancholia hæmorrhoidas ſuperuenire bonum.

II.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσιν αἱμορροΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν. Melancholicis hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum. *Hipp. aph. 12. l. 6.* quia ſanguinem craſſum, fœculentumq; humorem euacuant.

III. Melan-

III.

Vt melancholia recens curatu facilis, inueterata vero incurabilis.

Melancholica affectio circa initia curatu facilis, inueterata vero & veluti in naturam conuersa incurabilis propemodum euadit. *Trall.*

IV.

Vt melancholia primaria, quæq; totius corporis vitio fit, curatu difficilior, quam hypochondriaca.

Melancholia quæ proprio cerebri vitio, quæq; ex totius corporis consortio fit, contumax & curatu difficilis existit. Hypochondriaca vero longe mitior, ac curatu facilior. Progressu tamen temporis in primariam degenerat, ac si altius radices agat, furorem accersit, aliquando quoq; febrem hecticæ non absimilem. *Ex variis auth.*

DISTINCTIO III.

De Melancholia therapia.

CANON I.

Quamobrē in melancholia mittendus sanguis.

IN melancholia venæ sectio molienda, viribus & aliis consentientibus ad declinationem causæ antecedentis, amotionem coniunctæ, temperamenti restitutionem & superstitis materiæ præparationem. Sed in melancholia primaria ad præcautionem potius quam curationem sanguis si exupetet mittendus è cephalica, in hypochondriaca vero ex basilica, in ea autem quæ totius corporis vitio fit, è media, qua æque vacuatur à capite ac e toto corpore, ad generationem prohibendam, & corrigendum symptoma. Vena autem malleoli pertundenda mulieribus quibus menses restiterint, & viris quibus hæmorrhoides præter consuetudinē suppressæ sint. Perseuerante malo vena in fronte etiam aperienda. Oportet autem venæ latum vulnus inferre, vt exitum habeat crassior & sanguis. *Ex Gal. Altom. Holler. Dureto & aliis.*

Et qua ex vena.

II.

Qua sit in melancholia purgatio instituenda.

Melancholicus humor rite præparatus hic per interualla purgandus est, primum blandioribus melanogogis, potionibusq; potius quam pilulis, quo minus exiccetur calefiatq; corpus, ac demum fortioribus, si contumax malum fuerit, vt æquali medicaminum excessu contrarius naturæ excessus abigatur. Sic vt tum helleborismis quoque vtendum sit. Nec enim frustra dictum est ab antiquis indigere helleboro, qui mente non constarent. Sed in hellebori vsu duo cauenda sunt, primū ne detur in substantia, sed in decoctione vel infusione, idq;

Cautio in hellebori vsu adhibenda.

post

post vniuersalem purgationem. Alioqui conuulsionem affert vel iugulat. Deinde ne misceatur myrobalanis, aut adstringentibus, ne diutius retineatur in corpore. *Ex Holl. Duret. Alt. Sylu. &c.*

Vt in melancholia hypochondriaca lieni & ventriculo prospiciendū.

III.

Ex melancholia hypochondriaca quia lieni & ventriculo labes sæpius inuritur, his potissimum partibus topicorum vsu consulendū est.

Quemadmodum in curandis melancholicis medici ac ministri se gerere debeant.

IV.

Obseruandæ sunt melancholici phantasiæ, quarum quibusdā ad curationem seruiendum est, vt si quis ranas se in ventre multas habere imaginetur, concedendum est: promittasq; ranas illas te expulsurum facile, modo is tecū consenserit: cumq; hominē purgaris deiectionib. iube ab assidentibus ranas viuas clam immitti, ostendas mox ægro. Sic enim falsa apprehensione deposita, facilius curabitur. Adde quod quibusdam est blandiendum: alij obiurgandi, verberādi, & ligandi, ne sibi aut aliis manus violentas inferant. Nec vnquam custodib. robustis destituēdi, omnisq; ferri præcipitiq; potestas auferenda, si præsertim melancholia in maniā degenerante furiosi euaserint. *Sylnius apud Gatin.*

CONSVLTATIO I.

De Melancholia primaria.

c.1.d.1.t.5. lib.1.

CVm hic iuuenis, alioqui sanus sine causa manifesta metuat & contristetur, atq; hominum consuetudinem conspectumq; fugiat, ac solitudines quærat omnemq; vitam in taciturnitate transigendam putet, multaque animo ridicula & ab omni ratione aliena fingat, Melancholia procul dubio laborat, eaq; primaria ac proprio capitis vitio cōtracta. Caput quippe temperamento calidius (vt ex rubente admodum facie, rubrisq; pustulis videre est) sanguinem adurit, & in succum melancholicum vertit, qui colore atro mentis sedem obtenebrans, timorem ac mæstitiam, crassitie vero in susceptā quantumuis falsa opinione constantiam affert, multosque exustione fumos suscitat, qui animum sic exagitant, vt alienæ cogitationes absurdæque imaginationes continenter illi obuersentur. Cerebrum autem hic nec præcordiorum nec totius corporis sympathia, sed primo & per se affici ex eo constat, quod nulla præcesserint symptomata in hypochon-

c.3.d.1,c.5. l.1.

chondriis moleſta, nec in toto corpore, ſed in cerebro duntaxat redundãtis melancholici ſanguinis ſigna adſint. Quod ad *prognoſim* ſpectat, cũ non ita pridem Melancholia hæc orta fuerit, nec altiſſimis iam defixa radicibus, haud curatu difficilis videtur futura. Nam humor qui moleſtiam exhibet, ob temporis breuitatem, vt excernatur, nondum contumax eſſe poteſt. Galenus frequentibus balneis & victu humido, euchymo minimeq; flatuoſo, ſine alio potẽtiori remedio huiuſmodi affectũ curaſſe profitetur, vbi nondum ob longum temporis tractum nocuus humor multum euacuationi reſiſteret, Nec ad mali quidem curationem *Phlebotomia* opus eſſe aſſerit, quamuis ob aliam cauſam ſanguis mitti poſſit. At hic plenitudinis ratione ad præcautionem detrahendus videtur ſanguis. Ac morbificus præterea humor rite præparatus, melanogogis blandioribus è cerebro repurgandus, atque etiam ſi opus fuerit, valentioribus. Danda inſuper enixe opera vt omnibus modis exhilaretur ægrotantis animus, & iucundiſſimis amicorum ſermonibus, cantu & muſicis inſtrumentis demulceatur, & quæcumque terrorem incutiunt, mœroremque afferunt, remoueantur.

c.3.d.2.t.5. l.1.

c.6.l.3.de loc.aff.

c.1.d.3.t.5. l.1.

c.2.d.3.t. 5.l.1.

Conſultabat Frambeſarius, cum D. Bertino, pro ciue Ligniaco, anno 1592.

CONSVLTATIO II.

De Melancholia ex totius corporis conſortio.

MEntis citra febrem alienatio quæ iamdiu laborantem cum metu & mœſtitia affligit, non modo Græcis, ſed Latinis etiã Melancholia dicitur, vt quæ ex melancholico humore cerebrum occupante ac temperaturam ſuam immutante oriatur, qui animum ita perturbat, vt multa fingat & loquatur, & ſæpe etiam efficiat abſurda, longeque à ratione abhorrentia. Cũ autem Melancholia *triplex ſit, primaria, hypochondriaca, & quæ totius corporis vitio fit*, hanc à toto corpore fieri cõſtat, quod ſine præcordiorum affectione fatiget, quodque ſigna adſint, quæ melancholicum humorem in toto corpore nedum in capite dominari &

c.1.d.11.t.5. l.1.

c.2 d.1.t.5. l.1.

c.3.d.1.t.5. l.1.

exuperare demonſtrant, temperamentum ſiccũm & calidum quidem à principio, expermutatione autem frigidum, ætas declinans, anni conſtitutio, regioque frigida & ſicca, præcedens victus ratio craſſa & ſordida, prægreſſæ vigiliæ & curæ, hæmorrhoides iamdiu ſuppreſſæ, corporis habitus niger, hirſutus, gracilis, ſqualidus, venarum latitudo, &c.

c.3.& 4.d. 2.t.5.l.1. c.1.d 2.t.5. l.1. Quod ad prognoſim attinet, inueterata hæc Melancholia non modo cerebri, verumetiam hepatis, lienis ac totius adeo corporis vitio profecta, nõ niſi difficillimam ac diuturnam curationem admiſſura eſt. Periculum inſuper ne melancholica materia vehementius incaleſcens Maniam, vel putreſcens Febrem, vel in neruos translata Spaſmum, vel in cerebri ventriculos affatim irruens Apoplexiam vel Epilepſiam tandẽ

c.1.d.3.t.5. l.1. excitet. *Curandi ratio* à venæ ſectione auſpicanda, cum præſertim corpus vniuerſum ſanguine melancholico abundet. Secanda autem vena media ad capitis & reliqui corporis plenitudinem æque vacuandam. Ac ſi ſanguis quidem craſſus nigerque fluxerit, multo largius ac liberalius erit detrahendus. Mox concoctioni ac præparationi redundantis

c.43.& 44 d.3.t.1. l.1. ſucci diligenter incumbendum, *iulepis ex ſyrupo violato, de bugloſſo, de pomis, de fumaria, de epithymo, cum ſtillatitiis liquoribus bugloſſi, cichorii, lupulorũ, melliſſophyl. fumariæ*: atque *apozematis ex decocto radicum aperientium, polypodii, corticum cappar. tamariſc. glycyrrhiz. thymi, epythym. lupul. fumar. capil. omnium, florum iij. cordial. geniſt. vuarum paſſarum, & ſyrupis de epithymo,*

c.2.d.3.t.5. l.1. *de fumaria, biſantino, oxymelite ſimplici comparatis.* Tum morbificus humor rite apparatus & naturæ obſequens redditus ſenſim vacuandus & auertendus, exhibitis per interualla purgationib. melanogogis, ſed blandioribus, ne exſiccemus ac excalfaciamus nimio pere corpus, vt *potionibus expolypodio, epithymo myrobalanis Indis, foliculis ſennæ, catholico*, ac ſi contumax affectus fuerit, etiam valentioribus, vt *elleboro apte præparato, confectione hamech, pilulis Indis & de lapide lazuli*: acrioribuſque *enematis* frequentius iniectis ex *decocto malu. mercur. fumar. bugloſſ. thym. epithym. lupul. ſeminum aniſ. fœnic. cartham catholico diacaſſia, diaſena, confectione hamech. hiera. ſach. rubro ſale, oleo violato, & ſimilibus.* Nec ad auertendum prætermittendæ ſunt extremarum partium frictiones, ligaturæ

c.2.d.2.t.5. l.1. dolorificæ, cucurbitulæ ſine ſcarificatu ſanguiſugæ fronti aliiſque locis appoſitæ. Nec ſternutatoria & maſticatoria item negligenda: Proderit

derit & in eum finem cauterium ſuturæ coronali adhibere. Necnon & hæmorrhoidas prouocare, cum præſertim melancholiæ ſi ſuperueniant hæmorrhoides, morbi ſolutio contingat, authore Hippocrate. Poſtea reliquiæ humoris diſcutiendæ, principeſque corporis partes contemperandæ ac corroborandæ frequentibus balneis *ex aqua dulc. in qua folia maluæ althææ, violarum, roſarum, nymphæa, capita veruecum, ſemina lini, fœnigr. flores bugloſſ. chamamel. melilot. decocta ſint*: Irrigatione capitis raſi ex *decocto lactucæ, malu. alth. florum nymphæa, violarum ſtœch. chamamel. capitum veruecum*, pluribus diebus mane facta: vnctione ex *oleo amygdalarum dulcium, violaceo, chamamelino*, poſt balneum vel irrigationem capiti & ſpinæ adhibita: Odoramentis ex *aqua roſacea & violacea*: Epithematis cardiacis cordi admotis. In eundem ſcopum & *diambra, diamoſchum dulce & amarum, diamargaritum frigidum, latificans Galeni*, aliaque id genus electaria præſcribenda. Ac præterea victus ratio humida & moderate calida, quæque melancholicum humorem minus poſſit procreare inſtituenda. Cibis ergo vtendum boni ſucci, humidis ac temperatis, nec flatulentis, vt *carnibus caponum, gallinarum, perdicum phaſianorum*, piſcibus ſaxatilibus & ſimilibus, elixis, non aſſis, nec frixis. Pro *potu* vino albo, tenui neque valde antiquo. *Somnus* ſi non ſponte obrepat, omnibus *modis conciliandus*. *Coitus* moderatus non interdicendus. *Equitatio*, nauigatio, deambulatio per loca amœna & viridia, omniſque mediocris exercitatio imperanda. Quæcumque metum & mœſtitiam afferunt fugienda, ægrotantiſque animus iucundiſſimis amicorum ſermonibus, cantu & muſicis inſtrumentis exhilarandus, ac bona ſpe erigendus atque fulciendus. Si qua profecto curandi ratio profutura eſt, hæc vna potiſſimum videtur.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Paſcatio, pro ciue Spinalenſi, anno 1592.

CONSVLTATIO III.

De Melancholia hypochondriaca.

1.1.d.1.t.5. l.1. PRæclare Hippocrates (viri clariſſimi) aph.23.lib.6.ſcriptum, reliquit *ſi timor & mœſtitia longo tempore perſeuerent Melancholiam ſignificant*. Cum igitur laborans iamdiu ſine cauſa euidenti meticuloſus ac triſtis præter conſuetudinem euaſerit, nemini dubium eſſe poteſt, quin melancholicus ſit. Adde quod multa animo & cogitatione fingat & obloquatur, efficiatque abſurda longeque à ratione aliena, ac vitam ſibi acerbam putet & amariſſimam, etiamſi ex ea migrare pertimeſcat, illamque totam in taciturnitate tranſigendam credat, ac ſolitudines quærat & hominum conſuetudinem conſpectumq; *1.3.d.1.t.5.* fugiat. *l.1.* Hanc autem Melancholiam nec ex peculiari capitis vitio, nec ex totius corporis conſortio, ſed ex ſiniſtri hypochondrii ſympathia contractam eſſe indicant quæ ſubter præcordia anteceſſerunt ſymptomata valde etiamnum moleſta, cruditates, flatus, acidi ructus, rugitus frequentes, ac veluti murmura quædam circa hypochondria, ſputum humidum copioſumque, ac dolor ventriculi interdum vehemens, & ad dorſum vſque protenſus, quandoque ſuffocatio, & difficultas anhelitus, ingens in præcordiis æſtus, ac valida & moleſta arteriarum pulſatio, renitens dolenſque ſplenis tumor, & alia id genus, quorum continens cauſa melancholicus humor eſt craſſus ac fæculentus in liene viciniſque partibus obſtructione laborantibus per ſynathriſmum congeſtus præter modum incaleſcens, & ardore quodam efferueſcens, è quo vapores aduſti & maligni ſurſum in caput elati, cerebri temperiem alterant, adeoque mentem interturbant, vt læſa vehementer imaginatrice abſurda inde excitentur phantaſmata, turbulenta inſomnia, ridicula deliramenta, ac maxima animi pathemata, præſertim vero metus & mœſtitia, quia melancholicus vapor ater & obſcurus in mentis ſedem irrepens, denſas illi tenebras offundit, quæ terrorem incutiunt, mœroremq; afferunt, quemadmodum lucis ſplen- *8.3.& 4.d. 2.t.5.l.1.* dor confidentiam & lætitiam parit. Quod ad prognoſim attinet, hæc Melancholia eo minus videtur periculoſa, eoq; facilius ac celerius curationem admiſſura, quod nec cerebro primo & per ſe nec per totius

corpo-

corporis consensum affecto contigerit, sed hypochondriaca tantū sit, eademq; non multum inueterata, non ex humore capiti impacto, sed ex vapore melancholico in mentē obrepente orta. Sed quoniam cerebrū si diutius ex præcordiorum consensu laborauerit, quandoq; proprium inde contrahit affectum, fitque ex sympathia tandem idiopathia: Nec raro malum si longo temporis tractu altius radices egerit, furorem accersit, & aliquando febrem hecticæ haud absimilem, danda enixe opera, vt quamprimum illi succurratur. Curationis exordium à venæ internæ brachii sinistri sectione ducendum est, aluo tamen prius enemate subducta. Deinde melancholicus humor ad expulsionem præparandus, *syrupis de succo borraginis, de pomis odoriferis, de cichorio de fumaria, de corticibus citri, de absynthio, capillari bizantino, violaceo, rosaceo, cū aquis bugloss. borrag. melissophyll scabiosæ lupulor. iulepi forma datis*: & apozematis *ex decocto radic. asari, petrosel. fœnic. asparag. rusci. gramin. cich. capparfolior. hyss. sampsuci, serpyll. mellyss. beton sumar. scolopend adiant. lupul. ac præsertim pulegii centaurii minoris, absynth. chamædryos, chamæpytios. flor. bugloss. borrag. chamamel. seminum anis. fœnic. dauci, corticum citri passularum, & syrupis commemoratis*, pro pluribus dosibus præscriptis. Tum apparatus humor paulatim purgandus est non vehementioribus cathartics, ne eorū calore immodico, & à remotis partibus attractione augeatur affectio, sed blandioribus, vt *senna, polypodio epithym. syrup. rosar. pallidarum, catholico, diaphœni. chiera simplici*, & similibus iterum atq; iterum exhibitis sub potionis, boli, vel catapotii formam. Aliquando etiam vomitum cientibus, non tamen fortioribus, ne stomacho noxam inferant, sed lenioribus, vt *syrupo acetoso & oxymelite cum aqua tepida*. Necnon & clysteribus ex remollientibus, flatus discutientibus, & melanogogis etiam acrioribus comparatis sæpius iniectis. Flatus præterea resoluendi ac inde orti dolores mitigandi fotibus hypochōdriorum, ex *rutæ, anethi, absynth. serpyll. puleg. artemisiæ, baccarum lauri, seminum anis. cumini, & similium decocto in aqua vino, & pauco aceto*: litibus *ex oleo nardino, rutaceo, de absynthio* pro regione ventris, inferioris: vnctionibus *ex oleo capparorum, liliorum, amygdalarum dulcium, chamamelino, floribus genistæ, seminibus nigellæ Romanæ, cinamomo, ammoniaco, aceto*, in vnguenti formam redactis, pro regione lienis. Sacculis *ex floribus chamameli, rosarum, seminibus anis. fœnicul.*

c.5.d.1.t.1. l.1.
c.4.d.2.t.5. l.1.
c.1.d.3.t.5. l.1.
c.43.d.3.t. 1.l.1.
c.2.d.3.t.5. l.1.

cum in. fœnigr. foliis lauri, serpyll. absynth. rutæ, pulegii paratis, pauco aceto vel vino albo irroratis, supra ventriculum calide admotis: Cataplasmatis *ex radice cyperi foliis arthemis. ebuli absynth. floribus chamæmel. anthos, seminibus anis. fœnic. cumin. oleo rutaceo & de absynthio confectis,* circa præcordia applicatis. Ad flatus quoque discutiendos natumque ex flatuoso spiritu dolorem confestim leuandum, cucurbitulæ leues hypochondriis affigendæ. Videtur enim præsidium hoc (Galeno *libr. 12. meth.* teste) in huiusmodi malo incantamenti cuiuspiam simile quid efficere. Nec ad auersionem frictiones ac ligaturæ crurum etiam prætermittendæ sunt. Dãda adhæc medicamenta sunt, quæ animi tenebras abigere, atque adeo lætitiam parere valent, visceraque corroborant ac vires reficiunt, vt *conserua bugloss, violarum, rosarum, anthos, cortex citri* conditus, *lætificans,* Galen. *diamargaritum frigidum, diacuminum, confectio alkermes cũ quadruplo borraginis cõserua,* omnib. conditis anteponenda Dureto authore. Quod ad victus rationẽ spectat, cibis vtendũ euchymis, eupeptis, temperatis, ac citra calfactionem incidentibus, & aperientibus, nec atiã bilẽ nec flatus procreantibus, vt *iusculis pullorum, caponum & similiũ carnium, bugloss. borrag. cichor,* & aliis id genus alteratis, sed parua quantitate datis, ne fluctuationem, cruditatemque in ventriculo augeant, hordei cremore, vino tenui, albo, optime diluto, sero lactis præsertim caprini. Omnibus modis conciliandus somnus, exercitium mediocre imperandum, animi perturbationes procul relegandæ, ac Musicis instrumentis, cantilenisque oblectantibus animus reficiendus. Hæc mea est de propositi affectus dignotione, præsagitione & curatione sententia.

Consultabat Frambesarius Lutetiæ cum D.D. Maresc. & Riolano, pro nobili Campano, mense Februario. 1599.

EPISTOLA FRAMBESARIANA

Ad reuerendum Vallis-claræ Abbatem, iam diu tentatum morbo melancholico.

LVce meridiana clarius, reuerende Præsul, affectum præter naturam tibi iamdiu infestissimum in hypochondriis sedem habere: nec non à bile flaua adustione in atram degenerata, iam melancholiæ ἕδραν nedum nomen adepta, illis stabulante ortus sui causam duxisse. Nam (vt ad patefaciendam morbi diagnosin, corporis physin iam inde à principio re-

pio repetam) gracilis habitus, venarum latitudo, hirsutia, nigellus pilorum color, oxithymia, & alia id genus gnorismata, temperiē calidā & siccam, bilis procreatricem initio fuisse demonstrant, præsertim vero ingeniū acre & solers, quo præditus es; quia ex Galeno mentis acumen & solertia à bilioso humore proficiscitur. At cū ab ineunte ætate literarū studiis te totū addixeris, & ad grauia deinceps negotia tractāda multū tēporis & operæ impēderis, quāplurimasq; vigilias exegeris, ex flauæ bilis vstione plurimā generasti atram bilē. Vnde bile flaua in atram versa, è calido frigidus, & è bilioso melancholicus tandem euasisti, Præclare n. Galenus *cap. vlt. lib. 2. de temper* scriptum reliquit: *Si quis ante calidus & siccus ex sanguinis vstione plurimā generauit atram bilem, vtiq; is, præterquā quod siccus & frigidus protinus etiam melancholicus.* Duo sane inducbitata Melancholiæ signa constituit Hippocrates, metū & tristitiam. Si timor & mæstitia longo tēpore perseuerent, Melancholiam significāt, inquit *aph. 23. l. 6.* vtraq; iamdudum in te conspicua. Ergo nemini dubiū esse potest, quin melancholicus sis. Hanc autem Melancholiam nec ex peculiari capitis vitio, nec ex totius corporis consortio, sed ex sinistri hypochondrii sympathia contractā esse indicant, quæ subter præcordia anteceserunt symptomata valde etiamnum molesta, cruditates, flatus, acidi ructus, rugitus frequentes, sputum humidum copiosumque, dolor ventriculi, ingens æstus, & alia id genus, quorū cō inens causa melancholicus humor est crassus ac fæculentus inliene vicinisq; partibus cum intemperie, rū obstructione laborantib. per synathrismu cōgestus præter modū incalescens, & ardore quodā efferuescens, è quo anathymiases aduste sursum in caput elatæ, cerebri temperiē alterādo, vigilias inducūt, turbulenta in omnia, ac maxima animi pathemata, præsertim vero metū & mæstitiā. Quod ad *Prognosin* attinet, praua hæc diathesis eo difficilius atq; tardius curationē admissura est, q iā pridē radices egerit altissimas, quodq; ex Hippocrate, bilis atra omniū humorū viscosissima, testationes maxime diuturnas pariat. Firma quæ tamē recuperādę valetudinis spe fulciendus animus, hac ætate adhuc valida, æstiuoq; tēpore. Curatio trib. capitib. cōtinētur, primo vt noxius humor mesenterio iā diu impactus euacuetur: altero vt in tēperies viscerū quę perēnē vitiosi humoris fluentū facit, corrigatur: postremo vt vigiliæ, turbulenta

Natiua corporis temperies.

Acquisitia.

Morbi prognosticum.

Curatio scopo triplici perstricta.

lenta insomnia, & alia id genus molesta symptomata remoueantur. Ad noxium humorem euacuandum, phlebotomia & purgatio conueniũt.

Remedia ad primum curationis scopum cõsequendũ.

Mittendus erit sanguis è basilica sinistra, ad duo duntaxat vascula, ne prosternantur vires, aluo prius hocenemate subducta: *℞. malu. bismalu. violar. ana. M. i lupul. fumar. agrimon. ana. M. ß. seminum iiij frig. maior. concass. ana. ʒ. ß. florum nymph. violar. ana. P. i. fiat decoctio in sero lactis ad ℔. i. in colat. dissolue elect. lenit. mellis mercur. ana ʒ. i. olei violar. ʒ. ij. fiat enema.* Postridie blanda purgatio decernenda, hoc modo: *℞. cichor. totius, borrag. fumar. lupul. absynth. Pontic. ana M. ß. florum cordial. ana P. ß.* fiat decoctio ℔ dosi in qua bulliãt *folior. oriental. ʒ. iij anis. ϑ. i. in colat. infunde rhab. el. ϑ. iiij. cinnam. ϑ. ß. in express. dissolue syrupi rosarum pallid. ʒ. i.* potus mane exhibendus, tribus horis ante iusculum. Sed quia tanta morbifici humoris copia unica purgatione euacuari nequit, Syrupus catharticus à me olim præscriptus, iterum parandus, quo utaris bis in mense, ad repurgandã per epicrasim cacochymiam in corpore luxuriantẽ. Ad calidiorem viscerum intemperiem corrigendam, unaque humoris vacuandi præparationem per interualla moliendam, alterantia remedia, tam interna, quã externa ex usu erunt. Iuscula medicata quibuscũ coxerint *folia borraginis, cichorii, endiuiæ, acetosæ, pimpinellæ, semina melonũ,* exhibeantur per aliquot dies, miscendo *guttulas aliquot spiritus vitrioli.* Sed *serum lactis caprini* inter alterantia interna primas tenet. Id ergo sume per 10. dies, ad ℔ *i.* cum *saccharo borraginato.* Sed priusquam haurias, alternis diebus, pilulæ duæ ex sequentibus deglutiendæ. *℞ pulveris rad. filicis maris & pentaphyll. ana ʒ i. pulueris cetarach. & semin. agrimon. ana. ϑ. ij. pulueris absynth. Pontic. cremoris tartari ana ʒ ß cum syrupo delimon. fiat massa,* ex cuius ʒ. *i,* formentur pilulæ v. si fontes spadenses adire non licet, mense Iulio aquis medicatis inde ad nos allatis, spatio viginti dierũ vtere. Inter alterantia externa excellit balneum aquæ tepentis, id saltem per quatriduũ ingredere, repurgato imprimis corpore. A balneo inungatur tota spina dorsi *oleo violaceo,* vel *è seminibus papaueris.* Hepati admouebuntur epithemata *ex succis cichorii, endiviæ, aquis hepaticæ, & agrimoniæ, pulvere santalorum, cum tantillo aceti.*

Remedia ad secundũ curandi scopum. Interna.

Externa.

Remedia ad postremũ therapiæ scopum.

Ad grauiorum symptomatum, vt vigiliarum & insomniorũ turbulentorum remotionem, feruidus, teterq; vapor illorũ author, dũ spiritib. natura sua lucidissimis se immiscet, auertẽdus, discutiẽdus, atq; cõtempe-

temperandus. Auertetur frequenti clysterum usu, frictionibus infernarum partium, lotionibus tibiarum, & hæmorrhoidali vacuatione tibi familiari, quæ cohiberi nullo modo debet. Discutietur, si post singulos pastus sumas cochlear vnum pulueris sequentis: ℞. laminarum panis candidissimi in furno siccatarum quantum voles, irrorentur aqua rosacea, deinde iterum siccentur, & rursus irrorentur, & id ter repetatur. Accipe *panis ita præparati* ℥.ij. *margaritarum elect. corall. rubr. rasuræ cornu cerui, succini albi ana* ℥.j. *seminis fœniculi dulcis* ℥.iij. *seminis berberis* ℥.ij. *sacchari rosacei ad pondus omnium*, fiat puluis sumendus post singulos pastus. Contemperabitur hæc opiata: ℞. *conservæ rad. bugloss.* ℥.i ß *conservæ florum violar. & calendulæ ana* ℥ iiij *conservæ florum nenupharis & ramentorum cucurbitæ ana* ℥.vi. *conservæ rad. scorsoneræ* ℥ ß. *confect. de hyacyntho* ℥.ij. *specier. diamarg. frig. & latitiæ Gal ana* ℥.i. *cum syrupo de pomis redolentibus fiat opiata*, de qua sumas modicum hora somni, interdum etiam mane. Conciliabunt somnum hordeata & amygdalata, & aliquando recentiorũ nepenthe, si bene paratũ habeatur, ad grana 4. cũ cõserua violarũ. Sed nullum præstantius remedium hypnotico Nectare nostro, cuius hæc descriptio, ℞. *seminum papau. albi, hyoscyami, lactucæ ana* ℥.iij. 4. *seminum frig. maior. excorticatorum ana* ℥.ij. *florum nymphææ, violar. rosarum rub. papau. rhœadis, ana* P. iiij *florum sambuci, comarum rubiæ, ana* P.ij. *macis, nucis moschatæ, benioini ana* ℥.ß. Contundantur & infundantur per quatriduũ *in aquarum lactucæ, nenuphar. ros. & pap. rhœadis, ana* ℔.ii. *dein colentur & fortiter exprimantur*. Expressioni adde *Philonii Rom.* ℥ ß. *croci, castorei, camphoræ ana* ℥.i. postea destillentur. Hic stillatitius liquor vulgaribus Narcoticis longe tutior. Datur ad ℥ ij. tempore somni. Humectantem interim victus rationem obserua. Abstine à salsis, acribus, piperatis, flatulẽtis. Vino vtere dilutissimo, & aliquando buglossato, Extra prandium & cænam, præsertim æstate, potus sit aqua purissima, incoctis leuiter *acidis cerasis siccatis, vel granis ribes aut berberis*, *vel admisto succo granatorum*. Deum Opt. Max. supplex oro, ut sua benedictione salutaria sint, quæcumque ad pristinam valetudinem tibi, restituendam præscripsi remedia. *Victus ratio.*

Tui obsequentissimus Frambesarius.

Remis. 4. Iunii, anno. 1621.

TITVLVS IV.

De Lethargo.

Distinctio 1. De Lethargi dignotione.

Canon I.

Quid Lethargus.

Quomodo fiat.

Lethargus est soporosus præter naturam affectus, cum febre lenta, obliuione atq; marcore, à frigida & humida cerebri intemperie cum materia pituitosa in cerebro putrescente ortus. Ex pituitosi quippe humoris cerebrum madefacientis copia, sopor pene inexpugnabilis inducitur, quem febris comitatur, quia humor licet frigidus incalescit atque putrescit. Sed ea quidem lenta nec impense actis & erodens, propterea quod cum natura talis humor est, tum in parte frigida putrescit. Obliuio præterea contingit, læsa à frigida cerebri intemperie memoria: atque segnitia, membris nimio frigore ex pituitæ dominio torpescentibus. *Ex Gal. Paul. Trall. Alt. Fern. Gorr. &c.*

II.

Quo ratione lethargus à Caro differat.

Lethargus discrepat à Caro quod hic febris sit expers, ille particeps. Vel vt aliis placet febris Carum præcedat eaque vehementior: Lethargum vero subsequatur ignauior. Itaque sopores qui per febrium circuitus συμπτωματικῶς ægrotantes premunt, magis καρωτικοὶ sunt quam λήθαργικοὶ. Est enim ὁ κάρος velut symptoma quoddam: λήθαργος per se consistit & cerebri actiones labefactat. *Ex Gorræo, Holl. & aliis.*

DISTINCTIO II.

De Lethargi præsagitione.

Canon I.

Vt lethargus sit periculosus.

Lethargus cum affectus sit ex genere acutorum, nisi ei succurratur celeriter iugulat. *Altom. ex Celso.*

II. Lethar-

II.

Lethargicus in ſeptem diebus moritur, ſi vero hos effugerit ſanus euadit. *Hipp. l. 2. de morbis.* *& oligochronius affectus.*

III.

Maximi periculi in lethargo nuncius tremor eſt, itemque frigidus circa caput ſudor. Periculum item minantur ſi multa ſint atque liquida quæ deiiciuntur. Optimum autem eſt abſceſſum in lethargo poſt aures fieri, malum equidem tunc ſoluitur. *Ex Arabibus.* *Lethalia lethargi ſigna.*

IV.

Quemadmodum ſæpe ex morbo morbus naſcitur, ſic pleriſq; morbis lethargus ſuccedit, ſed ſæpiſſime ex phrenitide impenſius refrigerata naſcitur. Frequenter etiam in illum continens febris tranſit, morbiq; alii permulti, quib. immodica vacuatio contigit: Gorr. ex veterum decretis. *Quibus morbis lethargus ſuccedat.*

DISTINCTIO. III.

De Lethargi curatione.

Canon I.

LEthargum ita curabis. Initio materiam repelles: deinde ægrum excitabis: tum materiam vacuabis: poſtremo confirmabis caput: accidentia corriges: & imprimis rationem vitæ inſtitues. Hollerius. *Curatio lethargi ve inſtituenda.*

II.

Statim ab initio, ſi nihil prohibeat in Lethargia, ad vacuandum incidenda vena eſt. Ex conſenſu Gal. Paul. Aëtii, Trall. Altom. Holler. &c. *Vt phlebotomia molienda.*

Consultatio I.

De Lethargo.

INexpugnabilis pene dormiendi neceſſitas, obliuio & marcor cum lenta febre, indubitata ſunt Lethargi ſigna. Cuius cauſa eſt frigida & hu- *c. 1. d. 2. t. 6. l. 1.*

humida cerebri intemperies cum materia pituitosa in cerebro putre-
c.18 d.2. t. 1. l.1. scente coniuncta, vt ex ægri temperamento, ætate, anni tempore, regio-
c.1.d.2 t 6 l.1. ne, victus ratione, atque ex affectus specie etiam dignoscere est. Quod
ad *prognosim* attinet, hic affectus nisi ei succurratur, cum ex genere acu-
c.2.d.2.t.6 l.1. torum sit, Celso authore, celeriter iugulat. Nam vt Hippocrates *lib.2. de morb.* scriptum reliquit, septem diebus occidit. Hos vero si lethargicus
c.21 d.3. t.1 l.1. effugerit, sanus euadit. Recta victus ratione quæ pituitæ generationi
c.1.d 3,t.6. l.1. aduersetur præscripta, ex cibis, tenuantibus, incidentibus, concoctu facilibus, hydromelitis vel vini albi oligophori potu, & rebus non naturalibus debito modo adhibitis, ad auxilia statim properandum primo materiam vacuantia, auertentia, & repellentia, deinde intemperiē relictam emendantia, & partem affectam corroborantia, non negle-
c.2.d.3.t.6 l.1. ctis interim medicamentis per interualla præparantibus. Ad vacuationem auersionemque sanguis quam primū detrahendus, pro ægrotantis viribus, purgatio dein imperanda ex *agarico, diaphœnico, vel hiera diacolocynthidos.* Acria enemata è *malua, alth. salu. maior. origano, centaurio minori, roremarino, beton. seminib fœnic florib. chamameli, colocinth. agarico, hiera simplici, diacolocyn. diaphœnico, oleo chamamel. rutaceo melle rosato,* frequenter iniicienda. Nec non & *suppositoria* acria & *hiera diacolocynth. melle & sale confecta.* Ad pituitā per os & nares elicienda errhina, gargarismi & apophlegmatismi ex vsu erūt. Ad reuulsionē præterea cucurbitulæ partim leues, partim cū scarificatione occipitio & humeris admouendæ. Extremæ corporis partes donec rubescant & doleāt fricandæ, atq; vellicādæ pungendæque sunt, vt inde æger excitetur. Admouendus etiam capiti in eum finem sinapismus *ex caricis & sinapi ex aceto contritis confectus.* Ad repellendum initio adhibendum *oxyrhodinum* quod aceti minimum recipiat, cui mox *oleum chamamelinum erit admiscendum.* Ad relictam intemperiem corrigendam, cerebrumque corroborandum, *theriaca* vtendum *& mythridatio, aromatico rosato, diambra, conserua anthos salibeton, acoro condito vel opiata* ex hisce omnibus confecta. Admouendi item litus ex *oleis digerentibus & discutientibus,* vitatis tamen propter febrem calidioribus: fotus ex *beton salu. serpyll. maioran. in vino rubro decoctis:* atque sacculi *è milio & sale tosto.* Hæc breuiter de propositi affectus diagnosi, prognosi, & curatione dicta sint.

Consultabat Frambesarius cum D. Viscotio, pro villico Pronensi Remis agrotante, anno 1589.

CON-

CONSVLTATIO II.

De Lethargico affectu.

AD Medicinam methodo faciendam, affectus diagnosis imprimis habenda, dein exitus Prognosis assidentibus prædicenda, tum aggredienda curatio est, vt (excentis locis est à Galeno proditum. Qui æquissimum præsidem superioribus mensibus ægrotantem curarunt, soporoso præter naturam affectu, cum Principum functionum læsione correptum fuisse testantur. Apoplexia autem dici nequit, quia sine stertore, ac spirandi difficultate fuit. Adde quod leuis Apoplexia in paraplegiam desinit, fortis curationem non admittit, lege Hippoc. λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ ῥηίδιον. Hic affectus à Latinis *Vetternus* à Græcis κῶμα & καῦφορα generaliter nuncupatur. Veterni species sunt *Carus & Lethargus*, intensione & remissione differentes, vt quibusdam placet. Nam *Carus* est profundior somnus Lethargo, quia qui Caro premuntur, oculos habent clausos, immotos, neque interrogati respondent; si pungantur, sentiunt quidem, sed non loquuntur: At Lethargici habent oculos apertos, mobiles & interrogati respondent. Nonnulli Lethargum à Caro discrepare putant, quod hic febris sit expers, ille particeps: Alii vero quod febris Carum præcedat eaque vehementior; Lethargum subsequatur ignavior. Adeo ut sopores qui per febrium circuitus συμπτωματικῶς ægrotantes premunt, magis, καρωτικοὶ sint, quam ληθαργικοὶ, cum Carus velut symptoma quoddam sit; Lethargus vero perse consistat & cerebri actiones labefactet. Cum a.D. Præses inexpugnabili dormiendi necessitate, cum febre lenta & obliuione laborauerit, ac oculos apertos habuerit, interrogatusq; responderit, non Caro tentatus est, sed Lethargo: quem frigida & humida cerebri intemperies cum materia pituitosa putrescente induxit, Hæc diagnosis. Quod ad *Prognosim* attinet, cum insignẽ cerebri imbecillitarem relictam percipiamus, nec organa sensus pristinæ valetudini restituta videamus, cum obtenebrationes hebetudinesque oculis obuersentur, ac si tenebricosa vertigine

exagitarentur. metus est profecto ne nouo in capite excrementorum pituitosorum proventu facto, Epilepsia, vel Apoplexia, vel Paralysis, vel aliud generis eiusdem symptoma tandem superveniat. Ad cuius præcautionem cerebrum per epicrasim idoneo phlegmagogo repurgandum, ac specificis antidotis corroborandum. Vinum medicatum non ita pridem illi præscripsi. Paratum fuit ex *floribus lauendulæ, saluiæ, calendulæ, granis iuniperi & vino albo generoso*, per aliquot dies in balneo marino maceratis. Id inter remedia antiapoplectica in tuo diætetico recensetur, Doctissime Quercetane. Censeo insuper thermarum Borbonensium usum, præsertim vero ἐμβροχὴν, quam vulgo dulciam vocant, valde profuturã cerebro pristinæ tẽperaturæ restituendo: quia & diætã exsiccantem *cum decocto rad. Chynæ, sarsaparillæ, & ligni Sassafragi* conuenientissimam esse ad pituitam cum in cerebro, tum in toto corpore luxuriantem absumendam. Hæc mea est de diagnostico, prognostico ac prophylactico sententia.

Consultabat Frambesarius Remis cum D. D. Quercetano Violetensi Dambraneo atq; Herueto, pro D. Gouionio Præside, die 15. Augusti. anno 1608.

TITVLVS V.

De Vertigine & Incubo.

Distinctio I. vtriusque diagnosim complexa.

CANON I.

Quid vertigo. *Vertiginis causa proxima.*

VErtigo est affectio, qua omnia circumagi videntur, ita quidem cerebrum sensusque exagitans, vt sæpe laborans corruat, nisi propinquis nitatur adminiculis. Cuius causa proxima est tenuis caliduſque vapor per arterias in cerebri ventriculos irrepens, qui in plexu choroide spiritus & humores exagitans, & varie impellens, turbulentos sensus motusque reddit. Hic porro vapor ex humore quodam vitioso non continenter & assiduo,

assiduo, sed circuitibus, & quoties euidentium causarum vi-
cietur, efflari consueuit. Hic autem humor interdum in cere-
bro, sæpius in ventriculo & præcordiis aliisque partibus subsidet,
hinc vertigo alia primario cerebri affectu, alia ventriculi aliarumque
partium consortio fit. Illam demonstrant capitis dolor & grauitas, au-
rium tinnitus, olfactus vel auditus oblæsus: hanc vero nausea, inappe-
tentia, oris amaror & cordis erosio cardiogmos appellata. Aut si qua
pars alia huic malo dedit originem, eius affectæ indicia elucebunt. His
qui vertigini sunt obnoxii, accessionem cient euidentes hæ causæ, Solis
æstus, exercitatio immodica, & quæcumque humores calfaciunt aut
exagitant aut cerebrum concutiunt: deinde rotarum circumactus &
aquarum vortices. *Fernelius ex veter. decretis.*

Huiusque sedes.
Quotuplex vertigo.
Quibus notatu interno, scatur vertigo primaria ab ea quæ fit per consensum.
Euidentes vertiginis causæ.

II.

Δῖνος Græcis atque ἴλιγγος, vertigo Latinis dicitur, cum caput in or-
bem verti videtur. σκοτόδινος vero, id est vertigo tenebricosa, cum etiam
tenebræ oculis offunduntur. σκότωμα pro vtraq; vertigine sæpius vsur-
patur, Ex Gal. *Altom. Holler. & reliquis.*

Vt vertigo simplex & tenebricosa differant, nominibusq; Græcis aistinguantur.

III.

Vertigo senibus, hyeme & austrina cœli constitutione contingit.
Hipp. aph 31. & 17. l. 3.

Quibus & quando vertigo contingat.

IV.

Incubus est grauis corporis oppressio & nocturna suffocatio, respirationem offendens vocemque intercipiens. Sensus quidem non adimuntur, sed tamen
stupefiunt hebetanturque quemadmodum & mens & imaginatio. Et-
enim laborans vel ab hoste se inuadi, vel ab aliquo venerem exigente
tanquam ab incubante mole premi, qui manu attactus mox effugiat,
vel absurdiora quædam spectra imaginatur ac fingit. Causa est crassior
pituita aut melancholia non in cerebro, sed circum præcordia inhære-
scens, qua per crapulam & cruditatem turgescente, diaphragma pul-
monesque premuntur: crasso autem vapore illinc in fauces & cerebrū
expirato vox supprimitur, sensus atque mens obturbatur, visisque tri-
stibus offunditur. *Fern. ex veterum dec.*

Incubus, quibusq; signis dignoscatur.
Qua ex causa oriatur.

V. In-

V.

Quibus hæc contingat. Incubus pueris est familiaris, & obæsis corporibus, necnon quibus concoctio impeditur, vt literarum studiosis quibus minuitur concoctio, & quorum cerebrum studiorum assiduitate debilitatur.

DISTINCTIO II.

De Vertiginis & Incubi præsagio.

CANON I.

Quid portendat vertigo. VErtigo proxima est epilepsiæ atque apoplexiæ. Vtramq; enim præcedit. *Gal. com. in aph. 17. l. 3.*

Itaque hæc affectio paruifacienda non est, cum in morbum conuitialem vel attonitum facile facessat. *Ex Altom.*

II.

atque incubus. Incubus epilepsiæ & apoplexiæ affinis est in quas si diutius persistit, sæpe degenerat. *Fernelius.*

DISTINCTIO III.

De Vertiginis & Incubi curatione.

CANON I.

Quibus remediis perficienda vertiginis curatio. CVratio vertiginis perficitur sublatis causis per contraria, sanguinis missione (si conueniat) è cephalica vel media, vel basilica, ex arteriis post aures, cauterio. In vaporibus à materia calida primum digerendo, deinde vacuando, postea adstringendo, vapores prohibendo pulueribus, opiatis & similibus: per topica, discutiendo, roborando: ieiunos reficiendo optimis alimentis & cito nutrientibus. *Hollerius.*

II.

Summa curationis incubi est huiusmodi. Clyster discutiens flatus & euacuans in paroxysmo, sanguinis missio in plenitudine, pituitæ coctio, euacuatio, opiatæ quibus flatus discutientes, vnctiones pectoris, sacculi cordi applicati, parcior cæna vel nulla, cibi minime flatuosi, decubitus in latus. *Hollerius.*

CON-

CONSVLTATIO I.

De Vertigine idiopathica.

AFfectus ita ex interuallis cerebrum ſenſuſq; exagitans, vt ſæpe laborans corruat niſi propinquis nitatur adminiculis, Vertigo eſt, non ſimplex ſed tenebricoſa, cum non modo circumagi videantur omnia, verumetiam obtenebrationes hebetudineſq; oculis obuerſentur. Ea autem non ex ventriculi conſortio fit cum nulla ventriculi ſymptomata, vt nauſea, inappetentia, ſtomachi eroſio, aliave id genus moleſta ſint, nec ex alterius ſubditæ partis conſenſu, cum nulla eius affectę indicia eluceant, ſed ex primario cerebri affectu dependet, vt antecedens capitis grauitas atq; dolor, aurium tinnitus, auditus, olfactuſq; obleſio manifeſte demonſtrant. Proxima huius cauſa, vapor eſt caliginoſus ex craſſis humoribus cerebrum occupantibus, vel ex leui occaſione cæcitatis excalefactiſq; efflatus, qui ſpiritum animalem exagitans & varie impellens, turbulentos ſenſus reddit. Quod ad *prognoſim* attinet hæc frequens vertigo ex idiopathia cerebri orta valde periculoſa eſt. Minatur enim Epilepſiam, vel Apoplexiam. Vapor quippe ſi quando craſſior euadens omnes cerebri ventriculos obſtruat attonitum; ſin anteriores tantum comitialem morbum excitabit. Itaq; magna cura & diligentia curari debet. *Imprimis* autem ſecanda vena eſt cum præſertim plethoricum ſit corpus. Deinde *pilulis cocciis & de agarico, cum ſyrupo de ſtœchade ſubactis* cerebrum erit per epicraſim repurgandum. Clyſteres acres ad reuulſionem ſæpe iniiciendi. Cucurbitulæ etiam cum ſcarificatu ſcapulis affigendæ. Pyroticum præterea occipitio admouendum ad deriuationem materiæ coniunctæ. Errhinis & maſticatoriis excrementitius humor per os & nares quoq; eliciendus. Flatus item diſcutiendi, ſimulq; frigida cerebri intemperies corrigenda topicis capiti adhibitis, vt litu ex oleis digerentibus: fotu *decocto cephalico: & ſacculis ex milio, ſale, ſeminibus aniſ. & fœnicul. in ſartagine torrefactis*. In acceſſione autem odoramentis, frictionibus, & id genus aliis æger excitandus. Ad cerebrū inſuper cōtemperandum & corroborandum ſingulis matutinis vtendum opiata ex cephalicis conſeruis & electuariis concinnata. Commorandum in aere puro & lucido. Cibis veſcendum boni ſucci, ac concoctu facilibus, flatuq; omnino carentib.

c.1.&2.d.1. t.7.l.1.

c.1.d.2.t.7. l.1.

c.1.d.3.t.7. l.1.

Fugienda omnia à quibus vapores ſurſum feruntur. Bibendum vinum aquoſum album, tenuiſſimum, non admodum antiquum, aut hydromeli. Exercitium mediocre imperandum. Somnus diurnus vitandus. Cauendũ ab animi perturbationib. Res in gyrũ actæ & rotatæ ac celeriter motæ, quia malũ exacerbare valent, nequaquã intuendæ ſunt.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Dambraneo, pro ciue Fimenſi, anno 1590.

CONSVLTATIO II.

De Vertigine ſympathica.

Affectus diagnoſis. QVæ ſuperiori mẽſe, Aquilone ſæuiente lipothymia Dominæ Trelloniæ ſexagenariæ in templo jeiunæ, ac ſæpius poſtea ex interuallis alibi contigit, vertiginis ſpecies eſt, quæ Græcis δῖνος dicitur, cũ caput in orbem verti videatur: non quæ σκοτόδινος, cũ obtenebrationes oculis non obverſentur. Hæc autẽ neq; proprio cerebri vitio ortum habuit, quia nec capitis dolor, nec aurium tinnitus, nec vllius ſenſus oblæſio præceſſit: neq; ventriculi conſortio, quia de nauſea, anorexia, oris amarore & cardiogmo minime cõqueſta eſt. Sed ab hypochondriis potius proceſſit, vbi leuẽ percepit dolorẽ, à crudo humore illic ſtabulãte; vnde malignus vapor per arterias, ad cor indeq; ad cerebrũ elatus animi deliquium attulit. Quod ad *prognoſim* attinet, eiuſmodi ἔκλυσις, periculo vacat, quia πολλάκις quidem, ſed nec ἰσχυρῶς, nec ἀνευφανερῆς προφάσιος extitit. Ad deterioris mali prophylaxim, præter diætã κατὰ λόγον inſtitutam, cacochymia per epicraſim blando repurganda pharmaco; ex *folijs Orientalib. in aperiente decocto* cum hepatico tum ſplenico infuſis, addito *ſyrupo de cichorio cum rheo*. Roboranda item viſcera, vſu opiatæ cephalicæ & cardiacæ, *ex conſeruis florum betonicæ, ſaluiæ, borraginis, violarum & roſarum, myrobalanis conditis, fantalis ac margaritis præparatis cum ſyrupo capillari*: ac fotu, litu & aliis topicis diſcutientibus, admixtis aſtringentibus. Hæc breuiter de propoſiti affectus dignotione, præſagitione, & præcautione dicenda eſſe duxi.

Prognoſis.

Prophylaxis.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Dureto, Pariſiis, anno 1620. 6. Idus Ianuarij, pro Domina Trellonia, Domini Syllerij Galliarum Cancellarij ſorore.

CON-

CONSVLTATIO III.

De Vertigine tenebricosa intermissionis experte.

NOuum Vertiginis genus, & ante hunc diem in Medicorum scholis inauditum, à trib. annis hunc Chirurgum amicum nostrum exercet. Vertigo enim fit, cum vapor tenuis per arterias in cerebri ventriculos irrepens, in plexu choroide spiritum animalem exagitãs, & varie impellens, turbulentos sensus & motus reddit. At hic vapor ex humore quodã vitioso, non continenter & assiduo, sed circuitibus efflari consueuit; vnde Vertigo affectio periodica habetur. Verum laborans perpetuo & sine intermissione, non simplici sed tenebricosa vertigine corripitur, adeo vt quoties ambulare tẽtat statim corruat, nisi propinquis nitatur adminiculis. Ea autem non è ventriculi consortio fit, cum nulla ventriculi symptomata, vt nausea, inappetentia, cardiogmos, aliave id genus molesta sint, nec ex alterius subditæ partis consensu, cum nulla eius affectæ indicia eluceant, sed ex primario cerebri affectu dependet, vt antecedens capitis grauitas & dolor, aurium tinnitus, & auditus oblæsio manifeste demonstrant. Nos autem primariã perpetui & contumacis huius morbi originem perquirentes, à maligna & venenata quadam causa neruorum principium læsum esse putamus. Cum ante annos 12. multos curarit ægrotantes lue venerea infectos, nonnulli Medici credunt frequenti litu hydrargyri neruorum genus læsum fuisse: vnde tandem eiusmodi scotoma natum est. Alij illorum sententiæ nequaquam subscribunt, quod membra tremore non concutiantur. Vtut sit in hoc maligno σκοτοδίνῳ θεῶντι animaduertimus. Metuimus ne aucto in dies malo, perfecta tandẽ totius corporis paralysis cõsequatur. Ad plenitudinem sanguinis minuendam, vena initio secta est. Ad repurgandum cerebrum, *catapotia coccia, dè agarico* & similia, sæpius præscripta sunt, aconon nunquã potiones phlegmagogę. Ad reuulsionẽ clysteres acres interdum iniecti. Cucurbitulæ cum scarificatione scapulis adhibitæ. Ad deriuationem materiæ conjunctæ Pyrotirũ in primis occipitio est inustũ, deinde brachio. Errhina & masticatoria non fuerunt neglecta. Ac principiũ neruorũ corroborandũ, cõseruæ opiatæ, variaq; electuaria, à variis Medicis præscripta sunt. Instituta diæta exsiccãs *cũ decocto ligni sancti*. Anno superiori adiit nostro cõsilio thermas Plũberias.

Sed malum ita ſolutu contumax vt nullis hactenus præſidioru m ge neribus profligari potuerit. Si quæ remedia huic affectui peculiariter conferre exiſtimes, vt ea in medium proferas etiam atq; etiam ſupplex petit Doctiſſ. Quercetane.

Conſultabat Frambeſarius cum Dom. Quercetano, pro Ioanne Vatrio Chirurgo Remenſi, menſe Auguſto, anno 1608.

CONSVLTATIO IV.

De Incubo.

c.4.d.1.t.7.l.1. GRauis hæc *corporis oppreſſio, ſuffocatioq; nocturna, reſpirationem impediens, vocemq; intercipiens*, Latinis Incubus, Græcis ἐφιάλτης dicitur. Oritur ex craſſiore pituita circum præcordia inhæreſcẽte, qua per ventriculi cruditatem turgeſcente diaphragma, pulmoneſq; premuntur, craſſo autem vapore illinc in fauces & cerebrum expirato vox ſupprimitur, ſenſus atq; mens obturbatur, viſiſq; triſtibus offunditur. Quod *c.1.d.2.t.7.l.1.* ad *prognoſim* attinet, periculum eſt ſi diutius id malum perſiſtat, ne in *l.2.d.3 t.7.c.1.* Epilepſiam vel Apoplexiam tandem degeneret. Itaq; illi diligenter occurrendum. Ad curationem parce actenuiter viuendum eſt. Cibiſque vtendum attenuantibus, concoctu facilibus non vaporoſis, nec flatulentis: Propotu vino albo, tenui atq; diluto, vel hydromelite. Pituitoſus humor in ventriculo viciniſq; partibus ſcatens, è quo vapores ſuſcitantur, oxymelitis vſu præparatus, catapotiis ex *hiera cum agarico*, interdum potionibus phlegmagogis, & acrioribus quandoq; enematis vacuandus eſt. Nec omittenda videtur phlebotomia, cum venæ præſertim ſanguine turgeant. Prohibendus item vaporum ad caput aſcenſus, dato à paſtu puluere ad cochlearis dimidium, *ex coriandro præparato, corallo margaritis electis, cinamomo, ſaccharo roſato, raſura eboris, oſſis è corde cerui confecto.* Proſpiciendum tandem ventriculo, necnon & capiti ſumptis & admotis roborando.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Philberto Ducis Lotharingi Archiatro, pro matrona Nanceiana, anno 1592.

TITV-

TITVLVS VI.

De conuulsione.

Distinctio 1. de conuulsionis diagnosi.

CANON I.

COnuulsio quæ σπασμὸς Græcis dicitur, est *neruorum musculorumq; suam originem versus, præter voluntatem contractio dolorifica.* Etsi enim spasmus motui voluntario haud absimilis videtur, quod vterq; fiat retractis ad sua capita neruis ac musculis, & parte simul in quam inseruntur adducta; ab eo tamen discrepat quod iniussu nostro, cum doloris sensu contingat, voluntarius vero motus sponte nostra sine labore edatur. *Frambesarius ex Gal. Altom. Fern. &c.* *Quid conuulsio.*

II.

Conuulsio vniuersalis est, vel particularis. Illa totum corpus, hæc partem affectam adeo arcte occupat, vt flecti haud possit. Cum corpus in priora curuatur, conuulsio Græcis ἐμπροσθότονος dicitur; cum in posteriora ὀπισθότονος, cum æquali robore in vtramq; partem intenditur, τέτανος id est distentio; quæ nomina solent etiam solius ceruicis conuulsionibus accommodari. Particularis conuulsio in oculo σφιγμὸς, in mandibula τελσμὸς, in ore κυνικὸς σπασμὸς, in pene σατυρίασις nuncupatur. Sic in brachio, in manu, in crure, cæterisque partibus spasmus sed proprio destitutus nomine animaduertitur, eo scilicet neruo aut musculo affecto qui partis motioni destinatus est. *Frambes. ex Gal. Fernel. Gorr. &c.* *Quotuplex conuulsio.*

III.

Conuulsionis non perpetuo eadem est sedes primo affecta. Nam interdum cerebrum ipsum patitur, sæpe spinalis medullæ initium: quandoq; neruus aliquis aut musculus qui particulari motioni deputatus est. Id autem prompte dignosces. Nam si vna cum toto corpore faciei quoq; partes conuellantur, cerebrum ipsum affectum esse indicant, quod à musculis ex cerebro neruos suscipientibus moueantur. At si faciei partes illæsæ permaneant, reliquo corpore conuulso, spinæ initium afficitur, quod communis omnium infra faciem neruorum origo est. Vbi vero determinata pars aliqua conuulsa videtur, necesse est *Quæ pars in conuulsione primo affecta sit.*

neruum, aut musculum qui eius motioni dicatus est, affici, *Frambes. ex Gal. l. 3. de loc. aff. & alibi.*

IV.

Quot modi fiat conuulsio.

Conuulsio alia per se, alia per consensum. Illa perpetua, hæc motibus interrupta. Illa à causa morbifica prodit, parum agente natura: hæc à natura noxam pellente, non à solo morbo peragitur. Illius causa in parte affecta consistit, huius aliunde aduenit. In illa quippe nerui ac musculi conuellentem causam intra se continent: in hac vero noxia causa aliunde ad cerebrum delata, id per neruum offendens excitat vim animalem ad conuulsiuos motus, quibus propulsare iniuriam nititur. *Frambesarius ex Gal. Iacotio, &c.*

V.

Quibus ex causis oriatur conuulsio.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος. Conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione. *Hipp. aph. 39. l. 6.* Quemadmodum enim videmus citharæ chordas vbi sub australi constitutione multa turgent humiditate, aut flante Aquilone vehemētius exsiccantur, adeo distendi vt interdum etiam rumpantur, nisi à prouido citharædo laxentur: sic in neruosis animalium corporibus conuulsionem fieri par est, contractis ab alterutra causa neruis, musculos secum adducentibus. Cum autem Hippocrates conuulsionem ex repletione, & inanitione fieri asserit, eam intelligit quæ πρώτως γίνεται, non quæ κατὰ συμπάθειαν. *Gal. com. in aph. 1. l. 5.* Hæc quippe non accidit ob materiā quæ implere possit neruosas partes, neq; ob inanitionem materiæ, sed à qualitate quadam alteratis per continuationem partibus, aut substātia fluida vel spiritali, veluti aura aliqua maligna, ad neruorum principium delata, quæ non modo ex scorpionum, phalangiorum aut alterius venenati animalis ictu ducit originem, verumetiam ex interna quadam causa, ex qua similis essentia generari possit. *Ex Gal. 2. de loc. aff.*

Qui dignoscatur num conuulsio fiat à repletione, vel inanitione, vel per cōsensum.

VI.

Conuulsionis species atque causa discernitur tum ex inuasionis modo, quod ex repletione repente gigni soleat, ex inanitione vero sensim multoq; tempore: tum ex iis quæ antecesserunt. Si enim ab ardente febre, vel ab ellebori alteriusve medicamenti potione, vel ab immoderata sanguinis profusione, vel ab immodicis vigiliis, vel ab inediis, vel ab improbo labore conuulsio fiat, ab inanitione est. His quippe ex causis

ex cauſis propria ſubſtantia diſſipata, nerui & membranæ ſiccẽſcunt, ac in ſeſe contrahuntur. Vbi vero conuulſio vel ex ebrietate & crapulâ, vel ex ſuppreſſa quadam vacuatione conſueta, vel ex intermiſſa exercitatione proficiſcitur, repletioni fertur accepta. Cum autem conuulſio ex repletione, vel ob inflammationem ab affluxu ſanguinis, vel præfrigidi craſſique humoris neruos in latum extendentis, in longum coarctantis copia fiat, illa propriis phlegmones ſignis præſentibus, hæc iiſdem abſentibus. Illa plethoræ, hæc pituitoſæ præſertim cacochymiæ indiciis dignoſcitur. Ad repletionem referenda & quæ ex vulnere concitatur conuulſio, quod ratione cõſequentis inflammationis in neruoſas partes irrepentis contingat, quemadmodum & conuulſionis ſpecies à flatu craſſo in neruorum propagines inſiliente illata, qua ſæpe manuum pedumq; digiti, nonnunquam & crura in ſeſe contrahuntur ſummo dolore, ſed eo breui & qui frictione ſola miteſcat, iis qui vino & crapulæ aut ſocordiæ ac deſidiæ ſe dediderunt frequens. Gallice *goutte crampe* dicitur. Si autem à malignis vaporibus ex vtero ad neruorum principium aſcendentibus, vel à lumbricis, vel à morſu virulento neruoſæ partis inducatur conuulſio, per conſenſum fieri dicitur. vt & conuulſio ſtomachica ab acribus humoribus os ventriculi vellicantibus orta: quanuis hanc nonnulli ad inanitionem reuocãdam eſſe contendant, quod humores mordaces vim habeãt exſiccandi. Ab immodico item frigido ſi conuulſio contingat, ex plenitudine fieri quibuſdam videtur, quoniam neruoſorum corporum ſubſtantiam cogens ac conſtringens frigidum, ad diffl andum difficilia efficit, & propterea vt repleantur cauſa eſt: quanuis ſi corpus ſiccum fuerit & ſuperfluitatibus carens, conuulſio à frigore poſſit ex ſiccitate fieri. Nam in interiores corporum neruoſorum partes penetrans, eas exugit, ac exprimit, eaq; ratione ſicciores reddit atque inanes. *Frambeſarius ex Galeno Fernel. Altomar. &c.*

VII.

Pueris conuulſio accidit, ſi febris acuta fuerit, nec aluus egeſſerit & vigilarint, & pauẽſcant, & eiularint, & coloré mutarint, & pallidum aut liuidum aut rubrum contraxerint. Fiunt autem hæc promptiſſime quidem pueris nupertime editis, vſque ad ſeptimum annum. Adultiores

Quibus maxime conuulſio contingat.

res vero pueri, & viri non amplius per febrem corripiuntur conuulsione, nisi quid ex signis pessimis accesserit, qualia in phrenitide contingunt. *Hipp. lib. 3 prog.*

Conuulsio totius corporis promptissime pueris euenit potissimum lactentibus, plurimo & intempestiuo alimento vtentibus. Cum enim tres sint facultates quibus gubernatur corpus, duabus quidem pueri quam alii fortiores sunt, vna vero debiliores quæ in neruis est, & ob eam rem promptissime conuelluntur, sed ab hac conuulsione rursus ad habitum naturæ facillime redeunt: perfectis autem neque fit neque desinit facile conuulsio, propter robur facultatis in neruis. *Gal. in com.*

VIII.

Et quãdo. In statu frigido & humido conuulsiones multis, & pueris magis ab initio contigisse, easdemque febribus superueniisse obseruauit *Hippocrates 1. epid. 2. sect.*

DISTINCTIO II.

De conuulsionis prognosi.

CANON I.

Quæ curabilis & quæ incurabilis cõuulsio sit.

Πρόδηλον ὡς ὁ μὲν ἀπασμὸς ἐπὶ πληρώσει, δυνατός ἐστιν ἰαθῆναι κενώσει. τὸν δ' ἐπὶ κενώσει καὶ ξηρότητι τῶν νεύρων, ὃ πάνυ τι δυσπόριστόν ἐστιν ἰάσασθαι. Quod ex repletione conuulsio curari possit per euacuationem constat: at quæ fit ex inanitione & neruorum siccitate non facile admittit curationem. *Gal. com. in aph. 1. l. 5.* quod siccæ intemperiei consummatæ remedium nullum sit in ægris, non magis quam senii in sanis. *Ex eodem.* Quocirca omnis ab inanitione conuulsio mortifera est atque funesta, collapsis adeo naturæ præsidiis ab exhausto partium solidarum primigenio humore, vt trium principiorum ἔκλυσις, facultatumq; non solum in officio laborantium infirmitas, sed etiam priuatio consequatur, vnde cita mors obrepit. *Ex Dureto.*

Vt superueniens conuulsioni febris salutem, febri: contra conuulsio mortẽ portẽdat.

II.

Ὑπὸ ἀπασμοῦ ἢ τάνου ἐνοχλούμενος, πυρετὸς ἐπιγενόμενος, λύει τὸ νόσημα. Qui à conuulsione aut distentione infestatur, febre superueniente liberatur. *Hipp. aph. 57. lib. 4.* eodem die, aut postridie, aut ad summum perendie. *in Coac.*

Quo-

Quocirca πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ. Febrem conuulsioni superuenire melius est, quam febri conuulsionem. *Hipp. aph. 26. l. 2.*

Est quidē & tetanus conuulsio, sed non videntur in eo partes conuulsæ, quoniam κατ' ἴσον ὀπίσω τε καὶ πρόσω πίνεται, æqualiter ante & retro tenduntur, atque ideo præcipuū illi nomen est inditum tetanus Gal.

Cum enim sanum aliquem repente conuelli contigerit, huiusmodi conuulsionem ex repletione partium neruosarum fieri necesse est. Replentur autem tum nerui à frigidis & glutinosis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, vnde contracti versus originem suam nobis nolentibus conuulsionem patiuntur. Cui febris superueniens, solita est magna ex parte calfacere frigiditatem, extenuare crassitiem, atque dissoluere superfluam humiditatem, adeoq; ipsam sanare conuulsionem. Si vero febri ardenti conuulsio superuenerit, ab inanitione est, quæ fere incurabilis existit, quoniam longum quidem tempus exigitur ad siccitatem neruorum remouendam, σωτονίαν * autem morbi tempus non expectat, sed cito vires dissoluit, & ubitum exitium affert. Itaque cum febris vehemens ignis instar neruos arefecit, vt inde eos tendi conuellique necesse sit, nulla iam salutis spes superesse potest. *Gal. in com. & alibi.*

* Acuties, acerbitas, vehemētia.

III.

Σπασμῷ λυτικὸν πυρετὸς ἐπιγενόμενος ὀξὺς μὴ πρότερον γεγονώς. εἰ ἢ ἔστι πρότερον γεγονὼς, παροξυνθεὶς ὠφελεῖ ἢ οὖρα διέξοδος ὑαλοειδῆς πολλὰ, ἢ ῥύσις κοιλίης, ἢ ὕπνοι. Conuulsionem sanat * exorta febris acuta quæ prius non fuit; quod si prius fuerit, exacerbata. Quinetiam prodest vrinam fluere albumineam, aluum ferri, & somnos inire. *Hippocrates in Coac.* Triplex est omnis ratio exoluendi conuulsionem, quæ fit distentis humore frigido & glutinoso neruis: vna, consumptio quam facit exorta febris acuta quæ prius non fuit; altera, vacuatio materiæ conuulsificæ; tertia, concoctio siue pepasmus. Ac vacuatio quidem materiæ conuulsificæ natura & artificio ad imitationem naturæ comparato, suscipitur atq; absoluitur perirrhæa & diarrhæa; illa vesicæ, hæc verò intestinorum & alui. Perirrhæa ceroitur in vrina multa, crassa & alba, quæq; plus habet mucoris, vt ita dicam, quam liquoris. Vt enim talis vrina materiam præripit & occasionem abscessuum in articulis futurorum: sic eosdem sanat obortos. Est autem peræq; facilis à forti naturæ contentione translatio è neruis ad venas, quam ab iisdem venis ad neruos: vnde non raro in febribus exoriuntur tremores deliriorum

Quibus modis soluatur conuulsio ex repletione.

* *Sanat ad verbum, exoluit.*

Nam soluere & sanare idem sunt apud Hippocrat. Dur.

prænuncii. Albumineam vero dixi vrinam, quam ipse vitream nominauit: qualis apparet in calculosis vesicæ. Diarrhœa fit à pituitosis excrementis, tum à cerebro totoq; corporis habitu, tum vero à vasis & neruis lumbaribus in mesocolon & intestina crassa diffluentibus. Somnus veroarctior quidem, sed tamen suauis nec turbulentus locum habet potissimum in pueris qui ex facili conuelluntur, quorum à morbis redintegratio comparari solet per somnum. Cernitur etiam somni benignitas in ebriosis qui obmutescunt repente conuulsi, quando ad eam ventum est horam qua exoluuntur crapula, & vocem amissam recipiunt. *Ex Dureto in com.*

I V.

In Coac. l. 2 Σπασμῶ, γυναικείων ἐν ἀρχῇσι φανέντων, πυρετὸς μὴ ἐπιγενομένου, λύσις. Conuulsionis finem adferunt muliebria quæ primum aut statim apparent, atq; id sine febre.

Vt conuulsio insuper soluatur menstrua purgatione. Conuulsio præterea in mulieribus mensium eruptione quandoque exoluitur. Sic mulier vultuosa & melancholica crebris conuulsionibus ineunte acuta febre correpta est, cum vicissitudine garrulitatis, obscænorum verborum, & comatis. Actum desperationi propinqua erant omnia, cum liberali menstruorum profluuio per ἀντίῤῥοπον & liberalem abscessum, illud periculum euasit quod imminebat. *hist. 21. p. 3. lib. 3. epid. Dur.*

V.

Quæ conuulsio fugax. Οἱ ἐν ὑστερικαῖς ὁπόρως σπασμοὶ δύχερεῖς. *Hipp. in prorrhit. 27.* Quæ cadunt in hystericas sine febre conuulsiones, faciles. *& in Coac. lib. 2.*

Quæ per consensum vteri, aliarumq; partium fiunt conuulsiones, vt plurimum fugaces, quoniam non fixam, sed facile mobilem causam habent. *Ex Dureto & alijs.*

V I.

Qui spasmus ab hypercatharsi lethalis. Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον. Conuulsio ex elleboro, lethalis. *Hipp. aph. 1. l. 5.*

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν. Ex nimia purgatione conuulsio superueniens, malum. *Hipp. aph. 4 l. 5.*

** Albo hũc enim simpliciter elleborum*

Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατώδης. Ex medicamenti potione conuulsio lethalis est. *Hipp. aph. 25. lib. 7.* Vbi iis qui elleboro, *aliove cathartiço supra modum purgati sunt, conuulsio accidit ob immodicam vacua-

vacuationem,aut pharmaci ἐνεργίαν * ex neruis etiam humiditates vehementius attrahentis,ac ipsorum substantiam violentius exsiccantis, lethalis est. At si contingat neruis per vomitus vehementiam morsus ratione laborantibus,ob consensum quem habent cum ore ventriculi, nequaquam exitialis est.*Ex Gal.*

nominare consueuerunt,non veluti nirum,cum adiectione. Gal.

**efficaciã.*

VII.

Αἵματος πολλοῦ ῥύεντος σπασμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν. Vbi sanguis plurimus fluxerit,conuulsio superueniens,malum.*Hipp.aph.3.lib.5.& in Coac.aph.13.cap.de hamorrh.*

Vt spasmus à profusiori hamorragia lethalis.

Mortifera conuulsio largo superueniens sanguinis profluuio, quod fecit gargalismus sanguinis ineunte morbo effera bile perfusi, aut fortis naturæ cõtẽtio in repletione particulari, vnde ὑπέρκρισις,aut etiam venæ vel arteriæ in tromate sectio, siue erosio. Hæc enim conuulsio est neruorũ symptoma præ nimia siccitate cõtractorum. Cuius quidem siccitatis nimiæ causa est succi affluentis defraudatio,affixi valida suctio à venis exhaustis succum alibilem reposcentibus à neruis quem ipsis nutriendi causa impertiuerant, *Ex Dureto in Coac.*

VIII.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνος τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται. Si ebrius quispiam repẽte obmutuerit,cõuulsus moritur,nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit qua crapulæ soluuntur, vocem recuperet.*Hipp. aph.5.l.5.*

Conuulsio ab ebrietate quando lethalis.

Repletis neruis talis conuulsio fit. Solet autem facillime eos replere vinum, vt quod calidam habeat temperaturam. Eiusmodi quippe natura prompte omnia subintrat, præsertim cum non admodum crassam substantiam habuerit. Substantiæ igitur copia vinum neruis affert conuulsionem. Rursus autem qualitate sanat eam quam fecit affectionem,neruos calefaciendo atq; exsiccando: & si hoc aliquando facere nequeat,mortem subsequi est necessarium, qua autem vi vinum sanat conuulsiones,eadem & febris sanat. *Gal.*

IX.

Vt spasmus à vulnere fere lethalis.

Ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγενόμενος, θανάσιμον. Cõuulsio ex vulnere lethalis est. *Hipp.aph.2.lib.5.* Conuulsio ex vulnere nonex necessitate sem-

per mortem affert, sed vt plurimum. Ex vulneribus autem fiunt conuulsiones ratione sequentis ipsa inflammationis, vbi partes neruosas attigerit. Et primum videntur conuelli quæ è directo sunt partium inflammatione laborãtium, deinde postquã principium attigerit ipsum, passio ad totum extenditur corpus. *Galenus.*

X.

Quis tetani terminus.

Ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέτταρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται. Quicumq; tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: Si vero hos effugerint, sani fiunt. *Hippocrat. aph. 6. l. 5.*

Tetanus est affectus peracutus, vt qui sit ex emprosthotono & opisthotono compositus. At fieri non potest vt in morbis peracutis crisis differatur in longum tempus.

In primo igitur circuitu dierum κρισίμων hæc passio iudicatur ad mortem vel ad salutem, non tolerante natura diutius tensionis laborem: Sed si vltra diem quartum progrediuntur, certissima spes est naturam superasse morbum. *Ex Gal.* Tetanus autem peracutus perhibetur affectus, non ratione materiæ quæ crassa est, sed ratione vehementis doloris, qui maxime vires prosternit. Cum enim cuncti in tetano musculi tendantur, id diu perferre corpus nequit, quare breui interimit, vel soluitur. *Ex Heurnio.*

DISTINCTIO III.

De conuulsionis therapia.

CANON I.

Vt pro causarum varietate, varia curandi indicationes.

VT variis ex causis fiunt conuulsiones, ita & curandi ratione differunt. Siquidem conuulsio ex repletione vacuationem, ex siccitate humectationem, ex morsu lenientia, ex frigore calfacientia postulat. Phlegmone si auctor mali fuerit, illi occurrendum. Si à vigiliis oriatur, his consulendum, flatus cum in vitio sunt, discutiendi, veneni dira vis si in suspicionem venerit, domanda. Cum per sympathiam vitium accidit, parti primo affectæ prospiciendum, vt fons mali exhauriatur. *Frambesar. ex medic. consensu.*

I I.

Curatio conuulsionis ex plenitudine statim à venæ sectione auspicanda, modo nihil prohibeat. Liberalius autem mittitur sanguis, si conuulsio ex phlegmone oriatur, quam si ex repletione citra inflammationem. *Curatio conuulsionis ex repletione.*

Nec hic quidem semel & vniuersim tantum sanguinis detrahere oportet, quantum affectus exigit, sed aliquid symptomati relinquendum, quod plerumq; sudores mouet, vigilias adfert, & robur deiicit ægrotantis. Quare ad virium tutelam aliquid reponendum est quod postea remisso accidente tuto auferri poterit. *Gal. lib. 1. de cur. rat. ad Glauc.*

Quod si à pituitosis humoribus citra sanguinis permistionem redundantibus conuulsio euenerit, hi primum omnium extenuandi, incidendi, atq; ad expulsionem præparandi erunt. Præparati subinde phlegmagogis pharmacis vacuandi.

Cucurbitulas etiam cum scarificatione admouere prodest; si crura contrahuntur, coxis & postremæ vertebræ; si brachia, dorso & primæ vertebræ. Caput præterea errhinis & apophlegmatismis purgandum. Toto corpore expurgato balnea sulphurea, bituminosa, nitrosa conferunt, si naturalia desint, ex *decocto herbarum cephalicarum, maioranæ, saluiæ, betonicæ, chamameli, rorismarini, abrotoni, pulegij, &c.* laudantur. Inunctiones item adhibendæ ex *oleo de castoreo, nardino, rutaceo, irino, hypericino, lumbricorum, aut aliis id genus. Theriaca, mithridatium, conseruæ cephalicæ*, & similia medicamenta vsurpanda. *Castoreum* sumptum & admotum longe præstantissimum remedium est.

Victus ratio interim calida, & sicca, atq; primis diebus tenuis instituenda. Pro potu aqua mulsa eligatur, cui saluiæ aut cinamomi parum fuerit incoctum. Vinum prorsus circa initia circumcidatur, quia tota substantia neruos ferit.

Vbi tamen affectus bene processerit, exigua quantitate concedatur; cum præsertim extenuando ac calfaciendo conferat. Frigus aprime cauendum est. Ideoq; in eo conclaui in quo cubabit æger, ignis continuus esse debebit, maximeq; tempore antelucano, quo præcipue frigus intenditur. *Frambesarius ex Asclepiade, Galeno, Paulo, Celso, Altomar. Fuchs. &c.* *Gal. com. in aph. 5. l. 5. Cels. c. 3. l. 4.*

III.

A flatib. Si à flatibus fiat conuulsio, his resolutis præsertim frictione cum pannis calentibus, aut vnctione aliqua digerente adhibita, cessat, nisi etiam pituita flatuum mater sit vacuanda. Quod præstabitur primum pilulis clementioribus, vt ante cibum, *de hiera, mastichinis*, deinde fortioribus, vt *de agarico, & coccijs. Ex Gatinaria, Maresc. &c.*

IV.

Curatio conuulsionis ab inanitione. Curatio conuulsionis ab inanitione ac siccitate, tentanda humectantibus tum alimentis, tum medicamentis, vt iusculis carnium succulentis, euchymis carnibus contusis, aqua hordei cum syrupo violato, tandem vino dilutiore. (Initio enim materiam in neruos penetrare facit) vsu lactis asinini, vel caprilli cum saccharo rosato.

Fotibus & balneis ex herbis remollientibus & humectantibus cum capitibus & intestinis veruecum in aqua decoctis, linimentis ex *hydrelæo, oleo violato, amygdalino, butyro recenti, vnguento resumptiuo*, & aliis id genus topicis. Purgatio interim aut nulla esse debet, aut blanda, ex *cassia, manna, clysteribus* humectantibus. *Ex Paulo, Altom. Gatin. &c.*

V.

Ab ictu feræ venenatæ. In conuulsione à venenosi animalis morsu, vt venenum extrahatur, cucurbitula cum multo igne supra partem affigēda, vel cauterium, vel antipharmacum. Intro sumenda theriaca cum herbæ decoctione, quæ sit veneno accōmodata, theriaca etiam vulneri imposita prodest. *Hollerius.* Extrahitur etiam venenū, parti punctæ admoto ano galli aut gallinæ deplumato: necnō & scabiosa cum vitello oui in cataplasmatis speciem pertrita & admota; vt & cæpa cruda, vel cocta. *Gatinaria.*

VI.

A nerui punctura. Si à nerui punctura fiat, vulneri latiori reddito & aperto oleum de terebinthina imponendum, vel de euphorbio, cum emplastro de galbano, sedandus dolor, vulnus ad cicatricem non ducendū, nisi post multum tempus. Extremum remediū est, tēdonem vel neruum ictum abscindere in parte supra punctūram. *Hollerius.*

VII.

Ab acribus humoribus stomachū vellicantibus. Si ab acribus succis os ventriculi rodentibus inducatur spasmus, his per vomitum euacuatis sedabitur, data ægrotanti aqua tepida; quomodo Galenus adolescentem quendā simili conuulsione correptū 12. meth. med. curasse testatur. *Ex Altomar.*

VIII. Quæ

VIII.

Quæ per vteri, alteriusq; partis consensum accidit conuulsio, curata sede primario affecta, curabitur. *Ex Altomar. &c.* *Ab vteri consortio.*

IX.

Si vero ab immodico frigore conuulsio illata sit, balneis, frictionibus, vnctionibus, cæteriſq; medicamentis calfacientibus haud ægre curabitur. *Ex Altom. &c.* *A frigore immodico.*

CONSVLTATIO I.

De Conuulsione ex repletione.

CRurum contractio quæ mercatori in naui refrigerato ab aliquot diebus contigit, conuulsio est ex repletione: non ea quidem ob inflammationem ab affluxu sanguinis profecta, cum nulla phlegmones signa appareant, sed præcopia frigidi crassiq; humoris neruos musculis incertos contrahentis. Quod ad *prognosim* attinet, hic affectus cum nec ab inanitione, sed à repletione, nec seni sed iuueni repente subortus sit, haud insanabilis videtur. Ad moliendã curationem, aluo remolliente clystere subducta, secanda quãprimũ media cubiti dextri vena, vt sanguinis pleonexia dematur: mox phlegmagoga catapotia validiora: qualia sunt coccia & fætida, ad cachochymiam pituitosam cum in capite, tũ in reliquo corpore luxurianté repurgandam exhibẽda. Victus ratio excalfaciens, exiccans atq; tenuis instituenda. Quin & hidrotica potio ex ligno sancto singulis matutinis 8. dierum spatio ex vsu erit ad supervacanei humoris reliquias, per sudores dissipandas. Ad coniunctam morbi causam discutiendam, topica nequaquam negligenda. Adhibendus spinæ & partibus affectis fotus *ex saluia, maiorana, absynthio, origano, marrubio, ebulo, flœchade*, & similibus in aqua & vino decoctis, & à fotu litus ex *oleo liliorum, lumbricorum, vulpino, nardino, adipe anatis, cum* tantillo *pulueris castorij, & vnguento Martiato cum aqua vitæ.* Si his auxiliis ægrotans pristinæ valetudini non restituatur, ad thermas Barbotanas ineunte vere mittendus erit. *Prædictio.* *Curatio.*

Consultabat Frambesarius cum D. Bessonada Polemarchi Roclaurensis Medico, pro Britanno Mercatore Burdigalæ anno 1613. mense Octob. laborante.

CON-

CONSVLTATIO II.

De Spaſmo ex inanitione.

Diagnoſis CONtractio crurũ ſenſim facta poſt immoderatam ſanguinis profuſionem, Conuulſio eſt ex inanitione. Quemadmodum enim cytharæ chordas flante Aquilone vehementius exſiccatas, adeo diſtẽdi videmus, vt interdum rumpantur: ita contractis præ nimia ſiccitate neruis muſculos ſecum adducentibus, ſpaſmus accidit. Siccitatis vero nimiæ cauſa eſt humoris affluentis defraudatio, affluxi valida ſuetio à venis exhauſtis ſuccum alibilem repoſcentibus à neruis quem ipſis nutriendi cauſa impertiuerant. *Prognoſis.* Quod ad *prognoſim* attinet, omnis ab euacuatione ſpaſmus non facile curationem admittit, præſertim vero à profuſiori hæmorrhagia ſubortus, quod vna cum ſanguine influens ſpiritus vitali calore perfuſus, tandemq; partium ſolidarium primigenius humor qui reſarciri nequit, exhauriatur. *Therapia.* Si quæ tamen curationis ſpes affulſerit, humectantibus tum alimentis, tum medicamentis tentanda eſt, vt iuſculis carnium ſucculentis, euchymis carnibus contuſis, *aqua hordei cum ſyrupo violato*, tandem vino dilutiore: vſu lactis aſinini vel caprilli cum ſaccharo roſato: fotib. & balneis ex herbis remollientibus & humectantibus; cum capitibus & inteſtinis veruecum in aqua decoctis: linimentis ex *hydraleo, oleo violato, amygdalino, butyro recenti, vnguento reſumptiuo*, & aliis id genus topicis: ac clyſteribus ex diacaſſia, & malactico decocto paratis, quoties adſtrictior fuerit aluus.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Altino, pro præſidiario milite legionis Picardicæ, Pariſiis laborante anno 1614.

CONSVLTATIO III.

De Tetano.

Dignotio. CLariſſimi Medicorum Coryphæi, Rigor neruorum ceruicis, quo Chriſtianiſſimus Rex tentatur, Conuulſionis eſt ſpecies. At non ἐμπροσθότονος, nec ὀπισθότονος, cum nec in priora, nec in poſteriora curuetur caput, ſed τέτανος, quia in neutram partem immobilis cervix *Prædictio.* intenditur. Ideo autem inflecti nequit, quod in contraria trahatur à muſculis oppoſitis. Quoniam robuſtioris naturæ potentiſſimus Monarch

narcha ab aeris inclementia hoc peracuto affectu repente correptus est citra febrem, intra quatriduum, vt spero, ab eo liberabitur, iniecto imprimis ad materiam mortificam auertendam, clystere acriusculo: exhibito mox vnico ex colocynthidis ecchylomate catapotio, ad pituitam è capite in subditos musculos irruentẽ, absq; molestia per aluũ valenter educendam: & adhibito parti affectæ litu ex oleo amygdalino & irino, lana succida superposita, ad impactum humorem discutiendum. Si contumacior mali causa, his non extirpetur, pro viribus erit è cephalica detrahendus sanguis. Hæc habui de proposito Regis morbo quæ dicerem. *Curatio.*

Consultabat Frambesarius cum DD. Riuerio & Laurentio Archiatris Regiis pro HENRICO MAGNO *Galliarum Rege Christianissimo, in exercitu Durolanensi anno 1597. mense Octobri laborante.*

CONSVLTATIO IV.

De Tremore.

TRemor quo laborantis corpus concutitur, ex duobus contrariis perficitur motibus: vno quidem à facultate animali membrum attollente, sed id quidem diu nequeunte propter neruorum imbecillitatem: altero vero ab humore pituitoso, crasso, & lento in neruos motorios diffuso propter grauitatem suam membrum deprimente. Pituitam quippe cum in reliquo corpore, tum in cerebro exuperare arguũt frigidius ægri temperamentum, ætasq; senecta. Quod ad *prognosim* attinet, affectus hic ægrius ex eo curationẽ admissurus est, quod æger iam sit prouectæ ætatis, totusq; corporis habitus valde extenuatus, & tabidus, ac vires proinde multum imbecilles. Tentanda tamen curatio κα-θάρσει, παρογχεπύσει, ϗ διαφορήσει. Imprimis ergo repurgãdum cerebrũ, potione ex agarico, diaphœnico, vel alio conuenienti phlegmagogo. Sed purgationi præmittenda videtur bidui aut tridui præparatio, per apozema *ex decocto cephalico, & syrupis de stœch. de 5. radicibus, aliisq; incidentibus* constans. Deriuanda deinde per os & nares pituita apophlegmatismis atq; errhinis. Tum diaphoresis procuranda cephalicis discutientibus, quæ materiã reliquam per halitum resoluant, intemperiem

c.18.d.1. t.1.l.1.

c.4.d.2. t.1.l.1.

c.9 l.1.t.3. d.3.

cerebri corrigant, partemque primario affectam roborent, vt sacculis calidis vertici capitis rasi admotis, cucuphis ex cephalicis & aromaticis pulueribus concinnatis fotibus *ex saluia, betonica, maiorana, primula veris floribus anthos & stœchad. baccis lauri*, & similibus in æquis partibus aquæ & vini decoctis: atque litibus ex oleis digerentibus, vt *chamæmelino, antithin. rutaceo, irino*, non modo capiti, sed & toti spinæ extremisq; partibus adhibitis. Ac tandem balneis in quibus cephalicæ herbæ & radices incoxerint, atq; vaporariis ex hisce comparatis. Cucurbitulæ item citra scarificationē à priori vertebra vsq; ad spinā lumbosque affigendæ, vt scilicet crassi & lenti humores vertebrarum foramina obstruentes ad cutis extimam superficiem trahantur, atque adeo subinde facilius discutiantur. Si his remediis malum non cedat, decoctum *ligni sancti & sarsæ parillæ* per aliquot dies erit illi ex vsu, ad excrementitium humorem exsiccandum, & sudoribus euocandum exhauriendumque. Exhibendus autem illi victus euchymus, mediocriter tenuis, modo ex assis, modo ex elixis, vt neque nimio plus humectet, neque omnino siccet, propter insignem corporis marcorem atque ariditatem. Vitanda vero omnia quæ neruos offendere possunt. Vinum itaque præsertim meracius circuncidendum quoad in totum morbo solutus fuerit. Bibat interea hydromeli *cum decocto saluiæ aut betonicæ*, aut aquam cum saccharo coctam. Hæc mihi videntur ad pristinam ægrotantis sanitatem restituendam facienda.

Hæc consulebat Rhemis Frambesarius cum D. D. Dambranto & Bleucorteo pro D. Hieronymo Ceruo Remigiano 3. Cal. octob. 1588.

TITVLVS VII.

De Epilepsia.

Distinctio 1. De Epilepsiæ diagnosi.

CANON I.

Quid Epilepsia,

Quibus notis grauis epilepsia dignoscatur.

EPilepsia *est periodica totius corporis conuulsio, cum mentis & sensuum oblæsione.* Ac si grauis quidem sit, multa ex ore spuma exit, quam noxius in cerebro humor valido motu exagitatus concitat, ac solutis musculis interdum vrina vel stercus, vel semel præter voluntatem excernitur, & obscura vox eliditur. Sin autem leuior existat, non tam expressa sunt eius symptomata. *Ex Gal. Paul. Fernel. aliisq; variis auth.*

II.

Quæ sit epilepsiæ causa continens, ex communi medicorum sententia.

Causa interior traditur humoris pituitosi aut melancholici ingens copia, quæ repente cerebri ventriculos meatusq; infarciens, efficit vt æger cohibito animali spiritu corruat. Hæc tamen non affatim ac penitus spirituum ductus obturat, sed eius nonnihil etiam præterfluit, quo cerebrum concussione adnititur quicquid noxium est excutere. Cæterum non sola noxii humoris copia epilepsiam infligit, quod in sopore eius copia insit citra conuulsionem: quod etiam quum subito desinit epilepsia, ei sane quemadmodum & apoplexiæ excusso in neruos humore, necessario succederet paralysis, id vero nusquam obseruatum est. Quocirca præter humoris copiam venenata & cerebri substantiæ grauiter infensa atq; inimica qualitas, epilepsiæ causa statuenda est, quæ quoties exagitatur ac prorepit in cerebrum, ea quidem ferente, cerebro autem contra pugnante, quasi colluctatione quadam ac dimicatione fit epilepsia. Huius autem fomes modo in cerebro, modo in ore ventriculi, nonnunquã & in aliis distantiorib. sedibus delitescit, è quibus furtim per cæcos ductus in cerebrũ serpit & progreditur. Hino epilepsiæ tres differentiæ consurgunt, vna cerebro assignatur, altera est quæ ventriculi; tertia quæ alterius cuiusuis partis consensu fit. Quæ in cerebro fit epilepsia aperto eorum qui è viuis decesserunt capite animaduersa est sæpius aliunde suscitari quam ex ventriculorum infarctu. Causam interdum deprehendi cerebri abscessum esse, interdum corruptam meningis portionem caluæ adhærentem, summo

Qua ex Fernelii sententia.

Vbi mali fomes delitescat.

Quotuplex sit epilepsia.

Vt epilepsia primaria causa varia.

Quibus notis internoscatur epilepsia ex cerebrii diopathia.

dolore: quibus è locis teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat. Hanc speciem ostendunt capitis grauitas aut etiam dolor atrox, sensuum mentisque stupor aut tarditas, faciei pallor, turbulẽta insomnia, & quod accessio repente hominem adoritur nulla symptomatum præsensione. Alteram quæ ab ore vẽtriculi haud secus atq; oculorum suffusio originem sumit, præcedunt ventriculi dolor, distentio, compunctio, & difficilis inediæ toleranria, quumq; accessio proxima est, nausea, cordis dolor aut animi defectio: quũ vero ea desierit, vomitio alias pituitosa, alias biliosa. Tertia species sæpe à manuum pedumve digitis, vel à crure, interdum ab vtero suspiratur, præsertim cum fœtus gestatur, cum quo & putria multa coerceri solent. Omniũ manifestissime hæc species deprehenditur. Ex ea quippe sede in qua mali fomes delitescit, prehendente accessione velut auraquædam frigidior per continuatas partes in cerebrum efferri percipitur, cuius etiam impetus incipiens iniecto arctiore vinculo (si pars id commode ferat) intercludi cohiberiq; potest. *Fernelius.*

Per sympathiam vẽtriculi, alteriusq; partis.

III.

Quibus epilepsia contingat.

Occupat hoc mali genus maxime pueros, eosq; adhuc paruulos, deinde vero adolescentes & iuuenes: minime senes & decrepitos. *Ægineta.*

DISTINCTIO II.

De Epilepsiæ prognosi.

CANON I.

Vt comitialis morbus fere longus.

MOrbus comitialis nisi crebris accessionibus, & symptomatum vehementia statim iugulet, longus esse consueuit. Nam si pubertatis tempore vel menstruorum initio, aut puerperio minime soluatur, aut si post hoc tempus contractus fuerit, vsq; ad mortis diem sæpe prorogatur, nisi congruam medici curationem consequatur. *Ex Paulo.*

Vt ante pubertatẽ solutu facilior epilepsia, quã post pubertatem.

II.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὀκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἴσχει. ὀκόσοισι δ' ἂν πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται τοῖσι τὰ πολλὰ συναποθνήσκει. Quibuscũq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscumq; autem anno vigesimo quinto, fere commoriuntur. *Hippocr. aph. 7. lib. 5.*

Cura-

Curatur enim epilepsia demptis humoribus pituitosis, frigidis & crassis ex quibus gignitur. Hinc epilepsia correptos ante pubertatem ex ætatis commutatione in eam quæ calidior est & siccior, si in victu & aliis remediis recte se gesserint, liberari contingit. Quæ vero vltra pubertatem processerit epilepsia, aut post vigesimum quintum annum acciderit in iuuentute, ætate calida sicca, ea profecto durat magna ex parte ad finem vsq; vitæ. Nam iuuentus contraria quum eum non profligarit morbum, quomodo sequens ætas similis, nempe frigida humida ad exitium adducet, quem veluti similem sibi conseruare nata est? *Ex Galeno.*

III.

Quando periculosior epilepsia.

Morbus comitialis Vere periculosior, quo tamen tempore magis irruit. *Ex Hipp. & Cælio Aureliano.* Sacer morbus inueteratus est incurabilis. *Ex Hipp. lib. de sacro morbo.*

IV.

Vt epilepsia in melancholiam, ac melancholia in epilepsiam metuendæ permutatio.

Magna ex parte epileptici fiunt melancholici, & melancholici epileptici. *Ex Hipp. 6. epid.*

V.

Vt epilepsiæ quartanæ superuenire bonum.

Quartana aliave febri diuturna si corripiatur, sæpe pro valetudine est ipsi epileptico. *Ex Arab.*

DISTINCTIO III.

De Epilepsiæ therapia.

CANON I.

Vt epilepsia infantibus curanda.

IN infantibus quos comitialis morbus frequentius corripit, nutrici imprimis prospiciendum. Vitæ ratio incidens & attenuans illi instituenda, vt lac siccius & calidius efficiatur, maloq; conuenientia præsidia præscribenda. *Ex Holler.*

II.

Quid ad curandam epilepsiam in accessione molien-dum.

In accessione quamprimum materia noxia à cerebro modis omnibus auertenda, sensusq; excitandus, vt celerius soluatur paroxysmus. Intermissionis vero tempore morbifica materia prius præparanda, deinde sensim vacuanda, reuellenda, deriuanda, nec non & maligna qualitas oppugnanda, tum frigida & humida cerebri intemperies corrigenda, caputq; corroborandum. *Frambesarius.*

Quid intermissionis tempore.

III.

Vt curãda epilepsia per consensum ventriculi, alteriusq; partis.

Si ex ventriculi consensu fiat epilepsia, prouidendum imprimis stomacho per vomitum aluumq; repurgando, ac sumptis & admotis corroborando. Si epilepsia contigerit à venenata aura è distantioribus sedibus ad cerebrum conscendente, iniicienda supra transmittentem partem fortis ligatura, cucurbitula cum scarificatione loco affigenda, ad inhibendum vaporis ascensum, dein vacuato corpore lepidium, sinapismus & alia id genus quæ calfacere, extenuare, adurere & exulcerare possunt medicamenta parti affectæ adhibenda, quo virus exhalare commode queat. *Ex variis authoribus.*

IV.

Quando phlebotomia in morbo comitiali administranda.

Non omittenda in comitiali morbo phlebotomia, si omnia consentiant, vbi magnitudo causæ hoc postulat, materiæ orgasmus, cerebri oppressio, hypochondriorum obstructio. Ad maiorem autem reuulsionem secanda malleoli potius quam cubiti vena, Galeni consilio. *Ex Holl. & Dureto.*

V.

Qua vena secanda. Vt ætatis, temporis, loci & victus mutatio epilepsiæ præsidio sit.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴ αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν ὡρέων, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων πιέουσι. Quicumq; pueri morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis & temporum, & locorum & victuum quoq; liberantur. *Hipp. aph. 47. lib. 2.* Neque vero mutatio quælibet epilepsiam soluit, sed quæ calidiorem & sicciorem corporis habitum efficit, quæ nimirum ad contrarium transfert. *Galenus.*

CONSVLTATIO I.

De Epilepsia.

c. 1. d. 1. t. 8. l. 1.

PEriodica totius corporis conuulsio, qua laborans subito concidit, sensuum omnium atq; mentis functionibus interceptus, vt nec audiat, nec videat, nec expeditus præteritorum meminerit, epilepsia est eaq; non leuis, cum multa præsertim ex ore spuma in paroxysmo exeat, solutisq; musculis interdum vrina vel stercus præter voluntatem excernatur, & obscura vox elidatur. Huius causa est ingens pituitosi humoris copia, anteriores cerebri ventriculos repente infarciens, nec

c. 2. d. 1. t. 8. l. 1.

non

non & maligna venenataq; qualitas istic prorepens. Cerebrum quippe partim illius mole grauatū, partim huius infensavi vellicatum, seipsum contrahit atque concutit, haud secus ac sternutatione, vt quicquid noxium est excutiat, contractum vero nervos ac musculos ad se trahit, vnde repentinus in terram casus contingit. Hunc autem caducum morbum, nec ex ventriculi, nec ex alterius subditæ partis consensu, sed ex primario & peculiari cerebri affectu fieri ostendunt, grauis capitis dolor, sensuum mentisq; stupor ac tarditas, turbulenta insomnia, faciei pallor, & quod accessio ægrum repente adoriatur, nulla symptomatum in subiectis partibus molestorum præsensione. Quod ad *prognosim* attinet, hic comitialis morbus quoniam acutissimos habet paroxysmos, valde periculosus est. Nisi tamen symptomatum vehementia statim iugulet, cum ante pubertatem contigerit, magna diligentia adhibitis, curationem aliquando est admissurus. Nam auctus cum ætate calor humidus cerebrum exsiccabit, in quo præcipua recuperandæ sanitatis spes videtur posita. In *curatione* duo tempora maxime obseruanda, paroxysmi vnum, intermissionis alterum. In paroxysmo danda est enixe opera, vt materia protinus à cerebro omnibus modis auertatur, ac sopitus excitetur sensus, quo citius soluatur accessio. Itaq; in eum finem bracchiis & cruribus ligaturæ dolorificæ, frictionesq; adhibendæ, conuulsæ ac distortæ partes inungendæ, irrigandæ, & in rectum dirigendæ, os aperiendum, cuneusq; dentibus interponendus. *Theriaca, mithridatium, sinapi, hierapicra cum oxymelite* ori indenda. Oleum *saluiæ, rorismarini, vel anisi* arte chymica extractum in aures, nares q; infundendum. Ac sternutamentum vehementibus ptarmicis proritandum. Suffitus *Castorij, assæ fœtidæ, raditis & seminis paoniæ*, naribus admouendus. Glans acris immittenda, ex *agarico, sale gemma, hiera, & melle despumato confecta*. Intermissionis vero tempore morbificus humor ante præparandus, deinde sensim vacuandus, reuellendus, deriuandus, malignaq; qualitas summopere oppugnanda: tum cerebrum frigidius, humidius, indeq; imbecillius calfaciendum, exiccandum atque corroborandum. Ad præparandam pituitam crassam lentamque, melicratum ex *hyssopi, stœchados, & calamenti decocto vel oxymeli simplex, vel scylliticum*, vel apozema præscribatur huiusmodi: ℞. *radicum scillæ præpar. angelic. enulæ campan. paoniæ maris, acori, ireos Florent. an.* ℥j. *polyp. querc.*

eodem cap.

c.1. & 2. d.2.t.8.li.

c.2.d.3. t.8.l.1.

quern.sem.cartham.passul.mundat glycyrrhiz. rasæ an. ℥ *vj. beton. hyssop thym. chamedryos, chamæpyt. melissophyl. visci querni an. M. j. saluiæ maioran. an. M. ß. flor. cordial. anth. genist. an. P. j. seminum pæon. maris, seseleos an* ℥ *ß. seminum anis. fœnic. an.* ℥ *ij. fiat decoctio ad* ℔ *j. in colat. dissol. syrup. de hyssopo. syrup. de stœch. & oxymel simp. an.* ℥ *j. fiat apozema conditum cinamomo, pro iij. dosibus.* Ad materiam vero per interualla vacuandam paretur *syrupus catharticus ex eiusdem decocti* ℔ *j. in qua turpeti gummosi* ℥ *ß. agaric albi* ℥ *j. fol. sen. mundat.* ℥ *ij. gingib. & cinam. an.* ℥ *ij.* per noctem infusæ parum bullierint cum *mellis optimi & sacchari albi* ℔ *ß. confectus*, quo bis in mense vtatur ad ℥ ij. *cum aqua betonicæ.* Purgatio interdū ex *diluto rhei & agarici an.* ℥ j. in quo dissolutæ sint *hieræ diacolocynth.* ℥ *ij.* decernatur. Hyberno præterea tempore *pilulæ de hiera cum agarico, coccia & fœtidæ* ex vsu sint. Acribus etiam clysteribus frequenter aluus perfundatur, qui præter cætera accommodata recipiant *diaphœnici, hieræ simplicis* & aliquando diacolocynth. *an.* ℥ *ß.* Ineunte Vere Hollerij consilio aperiatur malleoli vena ad maiorem reuulsionem, vt humor αὐάῤῥοπ & fiat κατάῤῥοπ. Cucurbitulæ item cum scarificatione, scapulis & occipitio affigantur. Nec frictiones vnquam omittantur. Ad materiæ deriuationē errhina & apophlegmatismata vsurpentur. Sternutatorius puluis ex *radic. pæon. pyrethri an* ℈ *ij. nucis moschat.* ℈ *j. ellebori nigri puluerati* ℈ *ß constans*, insuffletur in nares. Ex radicibus etiam *pæon. ac pyrethr. & nuce moschat. cū masticbe* subactis, fiant masticatoria. Ad malignam qualitatem oppugnandam gestetur collo nodulus *ex seminis pæoniæ, radicis visci querni & corallij rubri an.* ℥ ij. cuius vaporem demissis in sinum naribus sæpe inspiret. Nec enim cōtemnenda videntur amuleta à veteribus pariter ac recētioribus tantopere cōmendata. Ad frigidam & humidā cerebri intemperiem corrigendam, roburq; illi conciliandū inungatur caput prius rasum, vel saltem detōsum, ex *oleo anethino, rutaceo, sampsucino, irino*, adiecto pulueris *cyperi aut ireos* momento. Admoueatur cucupha ex *cephalicis pulueribus* cōcinnata. imperetur opiata *ex conserua. bugloss. beton. anth. an.* ℥ *j. mitrida. optimi, theriaces an.* ℥ *ß. confect. Alkermes & lætificantis Gal. an.* ℥ *i. seminum & rad. pæon. maris, visci querni, cranij humani, rasuræ corn. cerui, corallij rub. pulueratorum an.* ℥ ij. & aliis generis eiusdem alexipharmacis, quæ tota substantia & occulta proprietate malignam qualitatem in hoc malo delitescentem

c. 4. d. 3. t. 8. l. 11.

tem

tem profligare tradũtur admixtis cõfecta, qua vtatur ad nucis auellanæ magnitudinẽ, mane poſt purgationẽ tribus vel quatuor horis ante cibũ. Victus ratio inſuper inſtituatur calfaciẽs & exſiccãs, quæ incidat & extenuet. Solis volatiliũ animalium carnib. veſcatur parca manu, aſſis potius quã elixis, *ac ſaluia, maioran. pulegio, hyſſopo* conditis. Frequẽs *capparorũ* eſus mirifice proderit. A fructibus abſtineat, præſertim à crudis & horariis, à lacte & lacticiniis, à leguminib, & piſcibus, à lactuca, portulaca, aliiſque frigidis & humidis oleribus. Item ab alliis, cæpis, ſinapi, & eiuſmodi euaporantibus. Circumcidatur vinum, præſertim vetuſtum, meracum & copioſius ſumptum, vtpote quod caput repleat. Sitq; pro potu aqua ſimplex, in qua incoxerit *raſura cornu cerui*, cum exigua parte *gingiberis*, vel in qua *cinamomum & coriandri præparati ſemen* decoctum fuerit vel *aqua mulſa*. Somnus diurnus omnino vitetur, nocturnus vero ſit moderatus, Curæ, ſollicitudines, mœſtitiam, timorẽ, omneſque animi perturbationes fugiat. His omnibus rite adminiſtratis, ſi perſtiterit affectus, *Guaiaci vel ſarſæ parillæ decoctum cui radix paoniæ, angelicæ, ſaluia, betonica, ſtœchas, & alia id genus cephalica, ſint admiſta*, bis in die mane & veſperi exhibendum. Nam præterquam quod incidit, extenuat, exſiccat, malignã quoq; qualitatem abigit. Quod ſi ne hoc quidem remedio leuetur æger, ad cauteria confugiendum erit, extremo occipiti, vel vtrique brachio admouenda. Hac methodo morbus hic comitialis mihi videtur curandus. c. 21. d. 3. t. 1. l. 1.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Gonzale Medico Principis Aſculani, pro nobili puero Abbauillæo, anno 1592.

CONSVLTATIO II.

De Epilepſia ſympathica.

QVÆ generoſiſſimam Dominam immaniter excruciat Epilepſia, nõ idiopathica, ſed ſympathica: nec è craſſo & frigido humore cerebri ventriculos obſtruente, ſed è tenui ac feruido vapore, ab hypochõdriis, vteri ac lienis vitio, per venas, arterias & neruos in mentis ſedem interuallis quibuſdam irrepente orta eſt. Qualis ſtomachi conſortio ab *Diagnoſis.*

in gluuie & ebrietate multis accidere consueuit, non crassa cibi & potus substantia è sitodocho ad encephalon translata, sed spirituosis vtriusq; halitibus illic transmissis. Hac ratione inducti recentiores quidam Medici longe doctissimi contra vetustiores Dogmaticos acerrime contẽdunt continentem comitialis morbi causam spiritualem potius quam corpoream esse, propter subitam paroxysmi generationem & solutionem, quæ à tenui potius, quam à crassa materia fieri videtur, cum lentus humor non nisi diuturno tempore moueri ac discuti possit. Ab effectus diagnosi, ad *Prognosim* pergendum. Vt Epilepsia Melancholiæ, ita Melancholia Epilepsiæ consectaria esse solet, teste Hippocrate *6. Epid.* proposita porro diathesis dissytos & chronios proculdubio Futura, quod ab hysterica atque splenica cacopragia iamdiu contracta videatur. *Medendi scopus* duplex, vnus therapeuticus, alter prophylacticus. Ad moliendã paroxysmi therapiam, continens morbi causa detrahenda est. Ad præsentem quippe exacerbationem profligandam, vapores maligni in caput elati protinus discutiendi, materia vnde suscitantur euacuanda & reuellenda, superuacaneus in cerebro humor ex iis procreatus per conuenientes ductus deriuandus, ac animalis spiritus præ venenata eorum qualitate sopitus & prostratus excitandus & reuocandus. Quod medicamentis præstabitur intrinsecus assumptis, & extrinsecus admotis. Ad malignos vapores discutiendos, hæc *theriacalis aqua* ad cochlear cum tantillo *syrupi de pæonia* exhibeatur. ℞. *theriacæ* ʒ. *i. confectionis alkermes* ℈. *ij. aquarum pæoniæ, liliorum conuallium & ceraſorum nigrorum an.* ʒ. *i. aquæ cinnamomi* ʒ. ß. *misce.* Eodẽ liquore aures, nares atque tempora foueantur. Ad materiam vnde vapores suscitantur sursum euacuandã & reuellendã, vomitus prouocetur penna *oleo amygdalarum dulcium* perfusa in guttur demersa, *ac sale chalcanthi* ex *syrupo scillitico ad* ℈. *i.* propinato. Ad eandẽ deorsum educendam & auertendam clyster iniiciatur *è decocto aristolochiæ rotundæ, polypodii querni, seminum carthami, pæoniæ, foliorum maioran. betonic. & aliorum cephalicorum, benedicta laxatiua, hiera paccii, melle mercuriali oleo rutaceo & castorii* ʒ. *i.* Ad luxuriantem in cerebro pituitam ex vaporib. genitam pernares deriuandam, ptarmica vsurpentur eiusmodi: ℞. *elleb. nigri* ʒ. *i. mastich.* ʒ. ß. contundãtur, & in nodulo subtiligentur; vel recipe *rad. ireos, cyclam. ana* ʒ. *i. ellebori albi, thymi, nigellæ ana* ℈. *ii. castorii* ℈. *i.* aptentur in nodulũ, qui maceretur in *aqua*

pæoniæ

paoniæ, & naſo admoueatur ſubodorandus, ad ſternutationē ſine moleſtia mouendā. Si hæc imbecilliora videantur. ℥. *rad. ireos. florum maioranæ ſiccæ, hyſſopi, ſeminū paon. nigellæ, caryophyll. piperis ana.* ℈. *i. ellebor. albi* ℈. ß. *moſchigr. iiij. miſce fiat. puluis*, qui narib. inſuffletur vel ℥. *pyrethri ſubtiliſſime puluerati* ℈. *ii. ammoniaci* ℈. ß. ſubigantur cum *ſucco iridis*, fiat maſſula, quæ ad ignem calefacta naribus indatur, ad ſeroſæ aquæ copiam è cerebro proliciendā. Ad ſpiritum animalem excitandum & reuocandū, ſertulū ex *rutæ, paoniæ, florib. liliorū conuallių, calendulæ & tiliæ* concinnatū narib. olfaciendū admoueatur. Vincula & frictiones femorib. & cruribus adhibeantur. Profligato paroxyſmo, nedeinceps recurrat, prouidendum. Ad morbi prophylaxim, antecedentis cauſæ aphæreſis procurāda. Ad detrahendā antecedentē morbi cauſam, excremētitius humor prima corporis regione luxuriās per epicraſim repurgandus: veteri ac lienis obſtructio exped ēda, nec ſubdita dumtaxat corroborāda viſcera, ne exitioſos halitus ad caput tranſmittant, verū etiā cerebrum, ne eos tā facile admittat. Excrementitius humor initio blande repurgabitur hac opiata: ℥. *polyp. querni, viſci querni, ſeminis carthami, ana* ℥. *ij. paſſularū à vinaceis purgatarū, glycyrrhizæ, ana* ℥. *i. pruna dulcia, iuiubarū ana n. xx. ſeminū paon. & cardui benedict. ana* ℥. ß. *florū cichor. violar. borrag. bugloſſ. roſar. an. P. ij. florum calendul. tiliæ arboris, lilii conuall. an. P. i. ſantali citrini* ℥. *iij. cinnā. aniſ. an.* ℥. *i.* ß. decoquātur & exprimantur, ac clarificentur in ſufficiēte quantitate huius decoctionis clarificatæ, atq; in vas vitreū inditæ, adde *foliorū ſennæ Orietal.* ℥. *iij. agarici trochiſc. rhabarbari elect. an.* ℥. *vi. epithym. P. i.* Vas vitreū optime ſigillatū in baln. mariæ. indatur, ibi triduū moretur, vt omnia in ipſo ſufficienter digerantur: deinfortiter exprimātur. Expreſſioni addātur *pulpæ caſſiæ, tamarindorū, cū aquæ violar. extractæ an.* ℥. *iij. mannæ granatæ, penidiorū, ſacchari violati q. ſuff.* fiat electariū coctum ad perfectionē. Cui° ℥. ß. exhibeatur in forma boli: vel ſi forma potus gratior ſit, diſſoluatur in decocto, aut aqua cōuenienti. Dein morbi materia apte præparata radicitus euelletur valentiori cathartico, qualis erit hic ſyrupus elleboratus: ℥. *rad. ellebori nigri veri* ℥. *i. polyp. querni, agarici trochiſc. turpeti, aſari, viſci querni, ſeminis cartham. ana.* ℥. *vi. ſeminū paon. aniſ. citrii, cardui benedict. acetoſ. ana* ℥. *iij. dictamni Cretenſis, florū tiliæ arboris, calendulæ centaurii minor. hyperic. ana. P. ij. florū violar. bugloſſ. Nymphææ, ana P. i. macerentur in ſuff. quātitate oxymelitis ſcillitici, & aquæ fumariæ*, idq; in vaſe vitreo optime clauſo, ad ignem baln. Mariæ, perduos dies adminimū,

dein fortiter exprimantur & clarificentur. In ℔.ij. huius colaturæ macera deinceps, & digere ad eundem ignem balnei per quatuordies *rad. ellebor. nigri, veri* ℥.*i. foliorum ſen Oriental.* ℥.*iij. macis, caryophyll. cinnam. an.* ℥.*i.* denuo fortiter exprimantur, & per vnum aut alterum diem in eodem balneo quã optime purificentur, vt artis eſt, ſemel aut bis in die ad minimum fæces, quas in fundo vitri ſub ſidere percipies, reiiciendo, & quod purius eſt, denuo purificando, idque reiterando, donec materia nullas amplius fæces deponat ad fundum vaſis. His peractis adde *ſacchari violat. q. ſ.* & coquantur in ſyrupum, addendo ſub finem coctionis *rhabarbari ſeorſim in ſucco roſarum pallidarum macerati & expreſſi* ℥. *i.* ß. fiat ſyrupus mediocriter coctus. Doſis eſto ℥.*i.* vel ℥.*ij.* per ſe exhibeatur, vel *cum aqua lilii conuall.* ſemper addendo potioni guttulas aliquot *ſpiritus vitrioli.* Ad morbifici vero humoris præparationem, ac uteri lieniſque obſtructionem liberandam, quod ſequitur *hydromeli* valde profuturum eſt: ℔ *raſuræ ligni buxei* ℥.*iij. radicum enulæ campan. pæon. maris, ariſtolochiæ rotundæ, viſci querni, ana* ℥.*i. chamædryos ceterach, artemiſiæ, betonicæ, an. M.i. ſeminum rubiæ maior. rutæ, cardui benedict. & citrii, an.* ℥. ß. macerentur per 24. horas *in* ℔.*viij aquæ mulſæ*, dein coquantur ad tertiæ partis conſumtionem, addendo ſub finem coctionis, *florum tiliæ arboris, lilii conval. calendul. ac centaur. minor. ana* P.*i. ſcillæ præpar.* ℥.*i.* demum tranſcolentur per manicam hypocraticam, aromatizentur cum pauco *cinnamomo* fiat *hydromeli antepilepticũ*, cui adiiciantur *aliquot ſpiritus vitrioli guttulæ*, dum aceſcat & palato gratius reddatur. Singuli diebus mane & veſperi *ij. aut* iij. ℥. propinentur, longo temporis ſpatio. Ad viſcerum robur, vtatur ante paſtum ſequenti *electario*, & poſt paſtum condito infra deſcripto: ℔. *margarit. elect. corall. rub. raſur. ebor. corn. cerui, ana.* ℈.*ij. cranii humani calcinati, viſci querni ſeminis pæon. ana* ℥ ß. *cinnam.* ℈.*i. confect. alkermes* ℥.*i.* ß. *cũ ſaccharo in aqua cardui diſſoluto* fiat electariũ per tabellas pond. ℥.*ij.* ℔. *cortic. citri cõditi* ℥.*i.* ß. *conſerv. nouellæ roſarũ* ℥.*i. conſeruæ bugloſſ. & borrag. an.* ℥. ß. *cydoniati* ℥.*iij. vngulæ alcis, lapidis Bezoardici raſur. ebor. cornu cervi. coralli rub. ana.* ℈.*i. cum ſaccharo* fiat conditum granulatim foliis auri cooperum. Ad cerebrum vero corroborandum coronali ſuturæ hoc inducatur cataplaſma, ℔ *theriacæ, mithridat ana.* ℥. *vi olei aneth. rutæ & menthæ, an.* ℥. *olei de caſtoreo* ℥. ß. *pulueris rad. ſem. & florum pæon. baccarum iuniperi, viſci querni, ana* ʒ. *i. pulueris rad. iridis, florum betonic. maioran. menth. hyperic.*

ric.thymi,ana ʒ ß.fiat cataplasma. Ex eodem scutum parari poterit, stomacho apponendum, ad ventriculi robur. Ad Epileptici paroxysmi curationem pariter & præcautionem, aqua hirundinum præstantissima, hoc modo parata: *℔.vii.vel viij.pullorum hirundinum nidos sola languine hirsutorum, nec dum perfectis plumis vestitorum.* Hos in vase terreo vitreato, firmissime obstructo, ad reuerberandum componito, dum toti pulli in cinerem cum visceribus & plumis, redacti sint. Ex hoc cinere accipe ʒ. *iij.cineris cranij humani, ʒ.ij.puluerisrad.visci querni, rad.angelic.Zedoariæ, ana ʒ.i.ß.seminis pæon.granor.iuniperi conquassatorum ana ʒ.vi. castorei ana ʒ.i. succi rad.& folior.pæon.aceti scillitici ana ℔.i.aquarum hyssop.florum tiliæ, liliorum conuallium, saluiæ roris marini, ana ℔.i.* macerentur simul omnia in vase fortiter obstructo ad aliquot dies in baln.marino: deinde fiat destillatio in cineribus, mediocri igne, ad siccitatem. Cauendum ne destillatum adustionis saporem referat. Vt autē huius aquæ vis augeatur aridas fæces accipe, easque in calcem, vi ignis, albissimam redige, quibus in manica aut filtro hypocratis impositis, super fundatur destillatus liquor, qui crebra repetitione suæ calci reaffundatur, & identidem traiiciatur: dum totum salem, in quo posita est summa remedii virtus secum eduxerit. Hæc aqua exhibebitur ad dimidium cochlearis argentei, vt ægra à lapsu & sopore suo excitetur, omninoque paroxysmus abigatur. Sed eius vsus per aliquot dies consequentes erit continuandus, vt recursuris paroxysmis prospiciatur, & præcaueatur eorū reditus.

Consultabat Frambesarius cum D.D. Pena & Mayerno, Medicis Regiis, pro generosissima Virgine, Parisiis. anno 1609.

TITVLVS. VIII.

De Apoplexia & paralysi.

CANON. I.

Apoplexia est repentina priuatio sensus & motus totius corporis cū principum functionum læsione, respirandi difficultate atq; stertore. Hac quippe perculsus totus repente quasi attonitus cōcidit, iacetq; clausis oculis sine sensu sine motu, sine mente, sola respiratione à mortuo dissidens, quæ & admodū difficilis mox euadit, & cū stertore grauissimo. Hocq; vno maxime à caro, catalepsi, & ab vteri strangulatu distat, quod

Quid Apoplexia.

Quibusq; notis dignoscatur.

Quaratione differat à caro, catalepsi, ac uteri suffocatione.

quod in his fere respiratio facilis & libera seruetur. A syncope vero dissidet apoplexia, quod nullus aut imprimis obscurus ac languidus in illa arteriarum pulsus existat, in apoplexia vero plenus ac validus, nisi quum iam in propinquo mors est. Ab epilepsia item differt, in qua non abolitus sed deprauatus tantum facultatis animalis motus est: atque similiter ab hemiplegia seu paralysi, quæ non toto cerebro obstructo, sed altera tantum eius parte gignitur. *Ex communi medic. consensu.*

A syncope.

Ab epilepsia.

Ab hemiplegia.

II.

Apoplexiæ causa.

Apoplexiæ causa fere crassior frigidiorq; pituita est, dum affatim & vniuerse omnes cerebri ventriculos implet, aut dum minimum quiddam retis admirabilis arterias per quas spiritus ex corde in cerebri sinus influit, repente obstruit, aut coarctat. Tum quippe sinus influente spiritu destituti, nihil deinceps suppeditare possunt sensuum motuũq; neruis, moxque necesse est animal collabatur. *Ex Fernelio.*

A sanguine etiam atque à melancholico humore excitari posse apoplexiam negat Fernelius, contra medicorum reliquorum sententiam.

III.

Quaratione excitetur apoplexia.

Πᾶσαι μὲν αἱ ἀποπληξίαι γίνονται, τῆς ψυχικῆς δυνάμεως ὀπίσω ἀδυνατούσης τοῖς κάτω τῆς κεφαλῆς, ἤτοι διὰ φλεγμονώδη τινὰ διάθεσιν ἐν αὐτῷ τῷ ἐγκεφάλῳ συμβᾶσαν, ἢ τῶν κοιλιῶν αὐτὸ ἐμπεπλαμένων ὑγρότητος φλεγματώδους. Omnes apoplexiæ fiunt vi animali non potente ad partes infra caput existentes defluere, idque aut propter aliquam affectionem inflammationi similem, quæ in ipso est cerebro constituta, aut ventriculis ipsius humore pituitoso oppletis. *Galenus in aph. 42. lib. 2.*

IV.

Qui propẽsi in apoplexiam.

Quibus caput graue frequenti sopore tentatur, & corpus omne pigrescit inertiusque euadit, & oculi tenebris offunduntur, hi apoplexiæ opportuni sunt, maxime vero senes, pituitosi & crapulæ addicti, qui breui angustaque sunt ceruice. *Fernelius ex Gal. & Paul.*

Si apoplexia iuuenes & per æstatem infestet, magnam necessitatem fatetur.

V.

Quæ potis-

Ἀποπληκτοι μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ πεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

ἑξήκοντα. Apoplexiæ in ætatibus maxime fiunt à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum. *Hipp. aph. 57. lib. 6.* Non omnes quidem, sed quæ ex atra bile fiunt, quoniam iis qui hanc agunt ætatem, quemadmodum & autumno maxime abundat eiusmodi humor. *Galenus.*

simum ætate contingat apoplexia.

VI.

Paralysis alias ex debili fit apoplexia, actum proprie paraplegia dicitur, alias ex stupore sensim aucto, qui paralysis est nuncius. *Fernel.*

Quomodo fiat paralysis.

VII.

Paralysis perfecta est vel imperfecta. Perfecta exquisitaque vbi sensus & totus simul deperditus est: imperfecta vero vbi sensus perit constante motu, vel motus amittitur manente sensu. Paralysis autem potissimum dicitur vbi alterum duntaxat latus dextrum aut sinistrum sensum simul & motum amisit, proprieque hemiplegia, quasi dimidii corporis resolutio, nominatur. Est præterea & vniuersalis paralysis, vbi illæso capite omnes illi subditæ partes sensu motuque priuantur: & particularis vbi in vna aliqua tantum parte, vt brachio, manu, crure accidit. Cum autem sensus motusque non quidem aboletur, sed torpet & hebescit, stupor Latinis, νάρκη Græcis appellatur. *Ex. conf. med.*

Quotuplex paralysis.
Quid perfecta paralysis.
Quid imperfecta.
Quid hemiplegia.
Paralysis vniuersalis.
Particularis.
Quid stupor.

VIII.

Hemiplegiæ causa in altera duntaxat parte spinæ inhæresit. Si cum dextera vel sinistra corporis parte, faciei quoque partes dextræ vel sinistræ resoluantur, cerebrum ipsum vna cum spinæ medulla affectum est secundum partem dextram vel sinistram. In resolutione vniuersali tota spinæ medulla in transuersum afficitur. Crure tantum resoluto, causa non supra lumbos quæ renda est. Si aliud quodlibet membrũ resolutũ fuerit, in ea medullæ spinalis parte à qua neruos suscipit, causa subsistit. Ea porro causa crassa fere est pituita neruo tenaciter impacta, hũcq; obstruẽs & impediens quominus animalis spiritus in eã distribuatur partẽ, in quã neruus propagatur. Aliquando etiã aliquis præter naturam tumor neruum aut medullam constringens, & contusio ex casu vel ictu, & vertebrarum luxatio, solutio denique continui, aliud ve generis eiusdem spiritus influxum & distributionem interpellans. *Ex Fernel. & aliis autin.*

Primaria sedes hemiplegiæ.
Paralyseos vniuersalis.
Particularis.
Causa paralyseos.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

De Apoplexia & Paralyseos prognosi.

CANON. I.

Vt grauis apoplexia incurabilis, leuis haud curatu facilu.

Τὴν μὲν ἀποπληξίαν ἰσχυρὴν μὴν ἀδύνατον, ἀσθενῆ δὲ οὐ ῥᾴδιον. Soluere apoplexiã fortem impossibile, debilem vero non facile. *Hipp. aph. 42. lib. 2.* Ἀποπληξία δ' ἀνίατός ἐστιν ὡς τὰ πολλὰ, διὰ τὴν βλάβην τῆς ἀναπνοῆς. Apoplexia autẽ vt plurimũ curationẽ non admittit, propter respirationis læsionẽ. Magna quippe vel parua læsio respirationis vehementẽ arguit vel leuẽ apoplexiam. Illa autem omnino exitialis est, nec vlla ideo remedia illi temere adhibenda: hæc autem licet solutu neque facilis sit, opportunis tamen auxiliis adhibitis forte curari potest. *Ex Gal.*

II.

Vt leuis apoplexia in paralysim degeneret.

Apoplexia nequaquam aut raro curatur, vt quæ mortem minetur præcipitem. Ac si remediis aliquando soluatur, in paralysim degenerare consueuit, protrusa nimirum è posteriore cerebri ventriculo in spinalis medullæ partem alterutram materia, vel aliquam mentis læsionem relinquere, vel memoriæ saltem iacturam facere. *Ex AEgineta, Aëtio, &c.*

III.

Vt periculosior paraplegia, quã paralysis sensim facta.

Si paralysis ex debili apoplexia fiat, ne in hanc recurrat periculum est. Vnde paraplegia longe grauior ac periculosior est, quam paralysis sensim facta, licet hæc pertinax sit. *Ex Fernel. &c.*

IV.

Vt paralysis particularis fere curabilis. Nonnunquam incurabilis.

Resolutio quæ non per omnia membra, sed in partibus fit nunquam acutus, sæpe longus, fere sanabilis morbus est. *Celsus.*

V.

Paralysis quæ à nerui diuisione oritur, insanabilis est: nec minus si ex spinalis medullæ transuersis incisionibus seu luxatione valida. Adhæc si resolutum membrum minuatur, aut eius color immutetur, non absque ratione difficulter curabitur, aut forte non curabitur. Non enim facultate animali duntaxat priuatum esse indicabit, verum & naturali & quodammodo vitali. *Ex Aegineta, & Altomario.*

VI. Para-

VI.

Paralysis in senibus vix aut numquam curatur, eo quod natiuum calorem habent imbecillem: vnde multi generantur in illis frigidi crassiq; humores. Plus æstiuo vernoq; tempore, quam hyemali aut autumnali sperare licet, si recte regatur æger. Si febris tremorve concurrat, pro valetudine. *Ex veterum decretis.*

Cur paralysis in senibus curationem non admittat.

Quando magis sperandum sit.

DISTINCTIO III.

De Apoplexia & Paralyseos therapia.

CANON. I.

AD tentandam apoplexiæ curationem morbificus humor, etiam non apparatus (quia morbus hic acutissimus inducias apparandi non permittit) quam primum vacuandus, auertendus, deriuandus, ac discutiendus est: sopitaq; naturalis facultas ad obstruentis materiæ expulsionem proritanda, omnibusque modis procuranda obstructionis solutio, vt spiritus animalis exitum habeat ac vitalis aditum. Ad eaque præstanda valentioribus vtendum remediis: quia morbus attonitus, cũ sit vehementissimus, leuioribus non cedit auxiliis. *Frambesarius.*

Quid ad tentandã apoplexiæ curationẽ moliendũ. Quibusq; remediis vtendum.

II.

In Apoplexia sanguinea nullum præsentius remedium phlebotomia. Itaque liberaliter excephalica mittendus sanguis, non semel quidem & vniuersim, sed sensim & partite, vt excitentur, non exoluantur vires. At in pituitosa apoplexia merito phlebotomia suspecta est, quia vel hominem occidit vel liberat, Celso authore, adeo vt post sanguinis detractionem, si non redit & motus & mens, nihil spei supereſt. Itaque si nihil repugnet, corpore acriori enemate præparato, parum sanguinis per interualla detrahito, quia affectus magnitudo id præcipit, tanquam princeps scopus venæ sectionis, Hippocratis & Galeni decretis: idque audientibus facito, si plethoricum sit corpus. Sin autem immodica venere, aut alia quauis spirituum inanitione virtus corporis exhausta sit, cucurbitulis cum scarificatũ ceruici, scapulis & natibus affixis contentus esto

Quando in Apoplexia mittendus sanguis. Quando Phlebotomia suspecta sit.

tus esto præsertim in obœsis corporibus, mollioribus & debilioribus, in quibus venę vel non apparent, vel non ferunt phlebotomiam. *Ex Altomaro, Hollerio, Val. &c.*

III.

Quot in paralysi curanda proponantur scopi.

Ad moliendam paralyseos curationem tria requiruntur, primum vt morbificus humor sensim incidatur, extenuetur & detergeatur, deinde vt apparatus paulatim vacuetur, reuellatur & deriuetur, tum vt eius reliquiæ digerantur, intemperies corrigatur, cerebrum, nerui, partesque resolutæ roborentur. *Frambesarius.*

IV.

Qua & quomodo hic vsurpanda remedia.

A leuioribus paulatim ad vehementiora remedia hic progrediendum est. *Ex consens. omnium medicorum.*

V.

Vbi topica in paralysi adhibenda.

Topica nervorum origini adhibenda sunt, vt capiti, resoluta facie, spinæ dorsi, resolutis brachiis: vertebris lumborum, resolutis cruribus. *Ex consensu medicorum.*

CONSVLTATIO I.

De Apoplexia.

2.1.d.1.t.9. l.1.

REpente suborta sensus ac motus in vniuerso corpore priuatio, vna cum principum functionum læsione, spirandique difficultate atq; stertore, citra controversiam Apoplexia est: quam pituitosus humor, frigidus, crassus, ac lentus, propter senilem ætatem, hybernum tempus, immodicam Venerem, crebras ebrietates, assiduasque cruditates nimium auctus excitauit, omnes cerebri ventriculos affatim & vniuerse implens, ac subito commune neruorum principium obstruens, arteriasque retis admirabilis, adeo vt spiritus animalis è cerebro ad subdita membra prohibeatur exitu, ac vitalis è corde ad cerebrum aditu. Quod ad *prognosim* spectat, vehemens quidem apoplexia omnino lethalis est propter magnam respirationis noxiam, sed vbi leuior est, aliquis curationi relinquitur locus, etsi non prorsus vacat periculo, nec

2.18.d.1. c.1.l.1.

2.2.d.1.t.9. l.1.

lo, nec ſolutu facilis eſt, lege Hippocratis, ἀποπληξίην ἰσχυρὴν λύειν μὲν ἀδυνάτον, ἀσθενέα δὲ εὐρηίδιον. *Soluere Apoplexiam fortem impoßibile, debilem vero non facile.* Itaque cum reſpiratio aliquem adhuc ſeruet ordinem, nec omnino intercipiatur, nondum videtur deplorata ſalus. Sed fortaſſis Apoplexia in Paraplegiam deſinet, qua tamen laborans poterit auxiliis conuenientibus adhibitis aliquando liberari. Ad tentandam autem *curationem*, morbificus humor etiã non apparatus (quia morbus hic acutiſſimus inducias apparandi non permittit) valentibus remediis quamprimum vacuandus, auertendus, deriuandus ac diſcutiendus eſt: ſopitaque naturalis facultas ad obſtruentis materiæ expulſionem, excitanda: omnibuſque modis procuranda obſtructionis ſolutio, vt ſpiritus animalis exitum habeat, ac vitalis aditum. Statim igitur ad euacuandum, & auertendum, naturamque vna proritandam, acrior clyſter imperandus, conſtans ex *decocto ſaluiæ, beton. maiora. origan. calamint. rutæ, centaurii minoris, flor. anth. ſtœch. bacc. lauri, ſeminum anis. fœnic. ſeſel. cum agaric. albi ℥.ß. in quo diſſol. benedict. laxat. hierę diacolocynt. an. ℥.ß ſacch. rub. mellis anthoſ. an. ℥.i. ſucci mercurial. ℥.ii. olei aneth. & rutac. an. ℥.i.ß.* Acres etiam balani *digitos ſex longæ ex hierę diacolocynth. ſale gem. agaric. & elleboro cum melle deſpumato* confectæ in anum immittendæ, ad pigram aluum ſubducendam ac velut ſepultam excretricem ſuſcitandam. Hieræ præterea *diacolocynth. ℥.ß.* aut *pilularum cocciar. vel fœtidarum ℥.i.ß. in hydromelite vel aquæ calendulæ, vel ſaluiæ diſſoluta*, ex cochleari iniicienda in fauces, ad purgandum expultricemque ſtimulandam. Quoniam autem phlebotomia ſuſpecta eſt, effœtis præſertim viribus, eius loco cucurbitulæ cum ſcarificatu ſcapulis atque natibus affigendæ ad auertendam materiam, naturamque ſuſcitandam. In eumq; finem frictiones vehementes, cum aſperioribus linteis, atque ligaturæ dolorificæ extremis partibus adiiciendæ. Vellicandus barbæ pubiſque pilus, concutiendum agitandumque corpus, ligneo baculo os aperiendum, ac pennæ oleo irino imbutæ immittendæ ſunt, vomituſque prouocandus. Gargariſmus *ex oxymelite ſcylitico & hiera picra ſ. vel diacolocy. in os infundendus.* Errhinum ex *euphorbii. pirethri, & cinamomi an. ℥.ß. in aqua roſar. ℥. ii. paratum*, ex cochleari in nares inſtillandum, ad

t.1.d.2.c.9.

l.1.

c.2.d.2.t.

9 l.1.

c.1.d.3.t.9. l.1.

c.2. d. 3. t. 9. l.1.

deriuandam eliciendamque per eas pituitam, Ciendum item ſternutamentum, ex *puluere caſtorii piperis, ellebori, euphorbii*, naribus inſperſo. Sinapi comminutum ſalique permiſtum & in aqua vitæ maceratum, naribus illinendum, ac odoramenta excitatoria *ex caſtorio, opopanace, galbano, ſagapeno* adhibenda. Totum caput, collum, ſpina, brachia, oleo ſaluiæ arte chymica extracto, aut *nardino, irino coſtino, & aqua vitæ* inungenda ſunt. fotus item ex calfacientibus cephalicis, ſinapiſmus, emplaſtrum veſiccatoriũ rubificans, aliaque id genus topica tandem adhibenda, vt concreta ac velut congelata pituita fundatur atque liqueſcat, faciliuſque digeratur. In quem finem & ſartago igne candens prope caput admouenda. Vtendum præterea *mithridatio theriaca, anacardina confectione, diambra, acoro condito, conſerua betonic. maioran. ſaluiæ* ad corroborandũ cerebrũ, ac relictam intemperiem emendandam. Vbi malum remiſerit, cibus mollis, diſtribui facilis, ſucculentuſque aſſumendus, propinanda mulſa, cauendumque à vini potione. Si ſolutæ apoplexiæ ſuccedat paralyſis, propria curatione illi opitulandum erit.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Herbino, pro ciue Samarobrino, anno 1588.

CONSVLTATIO II.

De Paralyſi.

c.7.d.1.t. *9.l.1.* DImidii corporis reſolutio cum cacophonia repente ſuborta, Paralyſis eſt exquiſita, cum ſenſum ſimul ac motum perimat: hanc pituitoſus humor ratione ætatis ſenilis, hyemaliſque temporis in cerebro *c.18.d.1.t.* *1.l.1.* præſertim frigidiori exuperans excitauit, qui inde in ſpinalem medul- *c.8.d.1.t.9* lam affatim decumbens, neruos in dextrum corporis latus propagatos *l.1.* obſtruit, impeditque quo minus animalis ſpiritus in partes affectas deferatur ac diſtribuatur, vnde ſenſu motuque priuantur, fitque conſummata Hemiplegia. Cum autem faciei etiam pars reſoluta ſit, cerebrum vna cum ſpinali medulla affici conſtat. Quod ad *prognoſim* attinet, perfe-

perfecta quidem Hemiplegia, chronica ac ægre cedens affectio est, quod ab humore frigido, crasso & lento, neruis tenaciter impacto oriatur, eoque diuturnior ac solutu difficilior futura est, quod hyeme contigerit, quæ morbos contumaciores ac longiores facit, quod calor natiuus præ senecta ætate debilis sit, quodque ægrotans medicorum consilio minime sit obsequens. Sed magis adhuc metuendum ne turgidus humor qui magna vbertate è cerebro in spinalem medullam etiãnum influit, alterius quoque lateris neruos obstruens, vniuersalem Paralysin, aut in commune neruorum principium cumulatim irruens Apoplexiam excitet. Itaque duplex nobis proponitur medendi scopus, prior prophylacticus, ne grauiores affectus præ morbifici humoris orgasmo impendentes superueniant prohibens: alter therapeuticus, in curando pathemate iam genito consistens. Ad exitiosos affectus imminentes arcendos, iniiciendus statim clyster acriusculus, *ex salu. maioran. hyssop. calaminth. centaurii minoris, flor. chamæmel. melilot. stœch.* & similium cephalicorum decocto, in quo *phlegmagoga*, *diaphœnicum benedicta laxat. hiera diacolocynth.* Item sal commune vel gemmæ, *oleum liliorum, rutaceum*, *vinum maluaticum* dissoluantur. Emisso clystere mittendus sanguis ex cephalica lateris incolumis, sed parua quantitate, quia frigidus morbus, ætasque proiecta. Admouendæ cucurbitulæ ceruici & scapulis. Adhibendæ frictiones ac ligaturæ dolorificæ extremis partib. sanis. Sopitus ac somnolentus æger agitandus, concutiendus, vellicandus, omnibusque modis suscitandus, vt humores cum spiritu & calore ab internis ad externa retrahantur, ac reuocentur. Errhinis, ptarmicis, & aliis id genus auxiliis materia turgens à capite auertenda. Ad moliendam autem factæ paralyseos curationem, tria requiruntur, primum vt morbificus humor sensim incidatur, extenuatur, & detergeatur: deinde vt apparatus paulatim vacuetur, reuellatur, & deriuetur: tum vt eius reliquiæ digerantur, intemperies corrigatur, cerebrum, nerui, partesque resolutæ roborentur. Instituenda igitur victus ratio excalfaciens & exsiccans, quæ pituitæ generationem prohibeat, vnaque incidat, attenuat, & detergeat. Vtendum ergo assis carnibus *perdicum, pullorum, auicularum caryophyllis ac cinamomo confixis, pane biscocto, puro aquæ mulsæ*, vel cum *saccharo, & cinnamomo* coctæ. *vinum* initio prorsus

c. 9. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 5. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 7. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 39. d. 2. t. 9. l. 1.
c. 6. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 39. d. 3. t. 9. l. 1.

fugiendum, quia tenuitate sua partes neruosas facile permeat & implet, fluxionem que auget, sed declinante morbo concedendum, quod discutiendo & exsiccando non parum prosit. ὀλιγοποσία vero summopere impetanda. Præscribenda item medicamenta incidendi, attenuãdi, & detergendi facultate prædita, sed primum mitiora, quale est hydromeli, in quo *radix ireos Florentiæ, stœchas, salua, pulegium, serpyllum & similia* coxerint. Deinde valentiora, cuiusmodi sunt *syrupi de stœch. de 5. radicibus, de bizantiis, de hyssopo, cum decocto rad. pæoniæ, ruscí. asparagi, ireos sol. beton. salu. hyssop. chamæpytios, verbasci. florum anth. stœch. sem. iiij frigid. maior. nucis moschat. caryophyllorum, cinamomi &c.* Decoctum præterea *signi sancti* vel per se vel cum radice sarsæ parillæ, herbisque nerualibus valde profuturum est ad crassum & lentum humorem partibus neruosis impactum attenuandum, ac per sudores discutiendum. Simulac autem pituita leuiter ad expulsionem parata fuerit, exhibenda per epicrasim phlegmagoga blandiora, vt catapotia *de hiera, de agarico, assaieret, elephantina mastichina*, quæ purgando etiam roborant. Vbi vero validioribus auxiliis præparata fuerit valentius etiam purgantia ex vsu erunt, vt *pilulæ coccia, & fœtidæ, potiones ex agarico trochisc. diaphœnico, hiera diacolocynth. &c.* Actiora etiam *enemata* ad vacuandum simul ac reuellendũ, non modo principio, verumetiam toto morbi tempore vsurpanda, vbi præsertim aluum contigerit adstrictiorem esse. Post multas autẽ totius corporis vacuationes, sternutatoriis, errhinis, apophlegmatismatis, & gargarismatis, locus erit, ad materiam continentem deriuandam. Reliquiæ autem humoris discutiendæ, vnaque resolutæ partes roborandæ tum sumptis *saluia, betonica, anthos conseruis, nuce moschata condita, zinzibere, acoroque condito, diambra, theriaca veteri, mithridatio, aut opiata* ex hisce omnibus cum *syrupo de stœchade* parata: tum admotis toti spinæ, membrisque paralyticis, nerualibus oleis initio leuioribus, *vt chamæmel. aneth. rutaceo, vulpino*, deinde vehementioribus, vt *costino, de spica, de castoreo, de euphorbio aquæ vitæ permistis*: necnon & *oleis saluiæ, saluendulæ, caryoph. arte chymica extractis*: vnguentis calidis, vt *Martiato, Arregonio, Agrippæ*: fotibus ex herbis neuriticis, vt *primula veris, chamæpyti, saluia, rorem. cent. minori, calaminthe, hyperico, aromatisque nonnullis*, vt *nuce moschata, caryophyl. cinnamomo* in æquis partibus aquæ & vini decoctis: vaporariis item

c. 4. d. 3. t. 9. l. 1.

item ex iisdem factis, necnon & balneis sulphureis arte comparatis: frequentibusque frictionibus ex linteis calentibus, & pluribus deambulationibus ante cibum. Si quid malitandem supererit, ineunte vere mittendus æger ad thermas Plumberias, quas mirifice paralyticis conducere ipse comperi. Hac methodo laborans mihi videtur curandus.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Dambraneo, pro nobili viro sexagenario, Rhemis laborante, postridie Calend. Decemb. 1592.

TITVLVS. IX.

De Catarrho.

Distinctio I. De catarrhi diagnosi.

Canon. I.

Catarrhus est humoris superuacanei è capite in subiectas sedes decubitus. *Quid catarrhus.*

II.

Catarrhus alius frigidus est, à pituita crassa & lenta ortus, alius calidus fere à pituita falsa aut alioqui humore acri. *Hollerius.* *Quotuplex catarrhus.*

III.

Destillationis causa effectrix interdum frigida, nonnumquam calida. Interdum enim frigiditas humores qui sunt in cerebro constringēs, nonnumquam caliditas humores eosdem dissoluens catarrhum mouent, quemadmodum & quæ caput immodice replere possunt, vt vinum immoderatius ingestum, balnea calidiora, cruda alimenta in ventre diutius permanentia, quæque vaporum copiam ad cerebrum transmittunt, vt allia, cæpe, sinapi, raphanus, & odoramenta supra modum calida. *Ex consensu medic.* *Catarrhi causa.*

IV. Catar-

IV.

Note catarrhi frigidi Catarrhus frigidus dignoscitur tum ex antecedentibus, temperie, ætate, regione, cæli constitutione, & viuendi ratione frigidioribus & humidioribus, tum ex consequentibus capitis grauitate, distentione, & frigiditate, faciei pallore, sopore, ad motus voluntarios pigritia, mētis torpore, visu solito caliginosiore, auditu hebetiore, voce obmurmurante, & vrinis crudioribus. *Calidi.* Calidum contra catarrhum arguunt tum calida temperies, ætas, regio, cœli constitutio, victusque ratio: tum capitis calor & dolor, facies oculique rubentes, decumbens humor acer fauces exasperans, ac interiores oris partes naresque exulcerans, salsus sapor, inappetentia, sitis, febris & vrinæ magis coloratæ. *Ex recen.*

DISTINCTIO II.

De Catarrhi prognosi.

CANON. I.

Vt catarrhus securior vel periculosior, pro parte in quam irruit. SI ex capite in nares destillet humor, leue est malum: si in fauces pe-ius: si vero in pulmones, pessimum. *Celsus.* Exulcerationis enim pulmonum periculum est.

II.

Vt nulla destillationes negligenda Cunctæ destillationes breues si neglectæ fuerint, longæ esse consueuerunt, nihilque pestiferum, nisi si quando pulmonem exulcerarint. *Celsus.* Inde enim rabes, corporisque consumptio.

III.

Vt destillationes senibus incurabiles. Βεβήχοι δὲ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν ἐπιπαίνονται. Raucedines & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt: ac propterea ipsos senes fere comitantur ad mortem, vt alia morborum genera quæ ex frigidis humoribus ortum habent, quod facultas eorum imbecilla materiam concoquere non valeat. *Ex Hipp. aph.* 40. *l.* 2. *& Gal. com.*

IV. Gra-

IV.

Grauedini & raucedini febris ſuperueniens, ad earum concoctionem non inutilis. *6. epid.* *Vt deſtillationibus febrem ſuperuenire bonum.*

V.

Catarrhum ſæpius incurrentes à periculo tuti non ſunt. Varijs enim obnoxij ſunt ægritudinibus magna ex parte funeſtis. Deſtillatio quippè in neruorum originem affatim irruens, minatur apoplexiam, & paralyſim aut conuulſionem, in neruos opticos & auditorios cæcitatem & ſurditatem, in articulos arthritidem, iſchiadem, chiragram, gonagram, podagram, &c. in pulmones peripneumoniã, phthiſim, aſthma, in ventriculum cruditatem, lienteriam, dyſenteriam, præſertim ſi ſalſa ſit, in laryngem anginam, repentinamque ſuffocationem, in pleuram per venas affluens pleuritidem, in maiores venas putridam febrem. In dentes, ſcapulas, renes, veſicam, aliaſque internas externaſque partes decumbens, ingentes ſæpe illic dolores excitat. *Ex variis auth.* *Vt deſtillationes varios accerſant affectus longe pernicioſiſſimos, pro variu ſedibus in quæ decumbũt.*

VI.

Deſtillationibus ij magis expoſiti ſunt, quibus cum iecore calidiori cerebrum nimio perè frigidum humidum, imbecillumque eſt. *Qui catarrhis obnoxii.*

VII.

Autumnale tempus deſtillationibus valde opportunum eſt, propter frequentes cœli mutationes. *Quando magis contingant.*

DISTINCTIO III.

De Catarrhi curatione.

Canon I.

SI catarrhi materia ſit calida à calore liquante deſtillans, aut frigida à frigore comprimente delabens, materia & cauſa eadem remedia requirunt. Si vero materia ſit frigida & cauſa calida, aut contrà, materia & cauſa, remedia contraria poſtulant. In hoc igitur pugnantium indicationum complexu, vrgentioris maior eſt habenda ratio, altero interim non neglecto. *Sylu. apud Gatinar.* *Cur in curatione catarrhi, eius materia efficienſque cauſa accurate conſideranda.*

II.

In catarrhi curatione tres proponuntur ſcopi, primus vt eius ſcaturigo *c. 10 & 11. d. 3. t. 1. l. 1.* *Quot in ca-*

tarrhi curatione scopi proponantur.

rigo arceatur, secundus vt fons exhauriatur, tertius vt concitatior sistatur fluxio. Ad arcendam catarrhi scaturiginem instituenda victus ratio quæ materiam augeri prohibeat: ad eius fontem exhauriendum, materia apte præparata vacuanda, auertenda, deriuanda, discutienda: ad concitatiorem fluxionem sistendam, viæ per quas materia defluit laxiores adstringendæ, vt eius intercipiatur cursus, partes imbecilliores corroborandæ, ac intemperies omnino corrigenda. *Frambesarius.*

III.

Quando nulla materia præparatio præmittenda fluxio q̃ sistenda. Et quando non repellenda.

Si catarrhus tanta copia tantoque impetu confestim irruat, vt inde manifestum vitæ periculum impendeat, vel si destillatio tenuis, acris fauces erodens & exulcerans rectà in pulmones illabatur, materia protinus nec cocta nec vllo medicamine præparata, venæ sectione, purgatione & clysteribus acriusculis euacuanda & auertenda, mox adstringentibus sistenda fluxio. Alioqui fluxio non est in cerebrum partem nobilem retrudenda & repellenda. Adde quod adstringentia sputi eductionem remorentur. *Ex variis authoribus.*

IV.

Quando sanguis in catarrho mittendus. Quando nõ mittendus.

Sanguis in catarrho mittendus si plethora adsit: si catarrhus ab hepate calidiore, ac sanguine feruidiore ceu fonte oriatur: si in partem cuius officio vita carere nequit, vt pulmonem prolabatur: ac si febris coniuncta sit. Alioqui phlebotomia nequaquam molienda est, quod cerebrum partem exanguem & frigidam frigidiorem reddat, & quod humor à cerebro per asperam arteriam non per venas in pulmones destillet. *Ex Mesue, & recentioribus.*

V.

Quæ cathartica catarrho conueniãt.

In curando catarrho leuiora cathartica initio sunt eligenda, ne materia quæ fluit, magis exagitetur. *Ex Hollerio. Rondel. &c.*

VI.

Quando errhinis & ptarmicis in catarrho vtendum.

Errhinorum & ptarmicorum vsus nequaquam tutus est antequam cocta vacuataque catharticis materia fuerit, quod ambo catarrhi materiam exagitent, & motu ipso coqui prohibeant. *Syluius apud Gatinariam.*

VII.

Quæ catarrho sistendo adstringentia cõferãt.

Sistendo catarrho calido frigida, frigido vero calida adstringentia magis conueniunt. *Ex Rondel.*

CONSVL-

CONSVLTATIO I.

De Catarrho in pulmones decumbente, pro sene pituitoso hyeme apud Ambianos laborante
1592.

DEstillatio cui laborans est obnoxius, cum à capite in pulmones decumbat, non κόρυζα grauedo, nõ βράγχος raucedo, sed καταῤῥοος proprie dici debet, iuxta distichum:

Si fluat ad pectus dicatur rheuma Catarrhus,
Ad fauces, Branchus, ad nares esto Coryza.

Huius causa est superuacanea pituita, quæ tum in cerebro impense frigido & humido præ imbecillitate alimentum ad se delatũ non conficiente, nec vapores dissoluente, tum in vniuerso corpore propter ægri temperiem, ætatem, hyemem, regionem, cœli constitutionem, ac consuetam victus rationem, frigidam & humidam immoderatius exuperat, vt capitis distinctio, grauitas & frigiditas, faciei pallor, ad somnũ propensio, mentis torpor, sensus hebetudo, motus piger, vox per nares obmurmurans, intercepta via, vrinæ crudæ, deiectiones liquidæ & aquosæ, & alia id genus signa manifeste declarant. Hæc *diagnosis*. Quod ad *prognosim* attinet, frequens hæc in pulmones destillatio longe periculosissima est in hac præsertim ætate senili, & tanta virium imbecillitate: Metuendum enim ne post tussim & dyspnœam, asthma immedicabile inducat, vel si affatim irruat, repẽtinam suffocationem, ac subitaneam mortem inferat. Quæ vt præcaueantur, summa diligentia curatio suscipienda est, licet haud facilis esse videatur, quia propter caloris natiui penuriam, Catarrhi haud secus atque βράγχοι καὶ κόρυζαι, in valde senibus coctionem non admittunt, ac propterea ipsos senes ferè comitantur ad mortem, authore Hippocrate.

c. 4. d. 1. t. 10. l. 1.

e. 1. d. 2. t. 10. l. 1.

c. 4. d. 2. t. 1. l. 1. c. 5. d. 2. t. 10. l. 1.

c. 3. d. 2 t. 10. l. 1.

Ad curationem vero ordine moliendam, contraria imprimis viuendi ratio instituenda, quæ materiam augeri prohibeat: deinde materia catarrhi demenda est: tum fluxio sistenda, si necessitas vrgeat, alioqui materia in cerebrum partem principem nequaquam regerenda ac repellenda: Postremo parti mandati & recipienti prospiciendum erit.

c. 2. d. 3. t. 10. l. 1.

Sit

Sit igitur *victus* calfaciens & exsiccans concoctu facilis ac boni succi, vt ex *carnibus pullorum, perdicum, caponum, vitulina, hœdina, &c. quibus sorbilibus.* Sitque moderata cibi quantitas, ac cœna parcior prandio. *Potus* sit vinum aquosum, vel aqua mulsa, vel in qua parum cinamomi & sacchari decoctum fuerit, eiusque quantitas exigua. Nam procurata sitis multum confert. Vitentur aer frigidus, ventus Aquilonius, & quæcumque constringere humores in cerebro possunt. Item somnus longior & diurnus & supinus. Dormiat autem in ventrem magis, vt catarrhus in nares fluat. Excrementa alui in dies respondeant. Vt dematur materia catarrhi præparanda primum, deinde vacuanda, auertenda, & deriuanda. Præparanda autem pituita crassa & lenta tenuantibus, incidentibus, & detergentibus, initio mitioribus, vt *mellerosato, syrupo capillorum Veneris, syrupo glycyrrhizæ*, cum duplo *aquæ saluiæ, hyssopi*, vel decocti pectoralis *ex hordeo, glycyrrhiza, vuis passis, myxis, ziziphis, adianto*, & similibus compositi. Deinde valentioribus, vt *syrupo de quinque radicibus, de hyssopo, de prasio, de stœchade, cum aqua saluiæ, hyssopi, betonicæ, maiorana, vel decocto pectorali.* Item *oxymelite simplici & composito.* Præparata vero euacuanda & auertenda purgatione ex *pilulis cocciis* & de *agarico*, vel *diaphœnico, electuario Indo*, alióve *phlegmagogo* blandiori, ne materia quæ fluit exagitetur: *clysteribus* acriusculis ex *decocto maiorana, salviæ, calaminthes, origani, florum stœchad. malvæ, hordei*, in quo *hierapicra, mel rosatum, & oleum rutaceum* dissoluta sint: quibus vis inest ex alto reuocandi, nedum purgandi. Reuellenda præterea cucurbitulis non modo scapulis & brachiis, sed etiam natibus affixis, frictionibus, & ligaturis extremorum, cauteriis vtrique brachio admotis, vel vt Arculano placet, pyrotico in commissura coronali impositio, vel vt aliis placet, pone aures. Deriuanda vero per nares errhinis ex *aqua maiorana, succo foliorum & radicum betæ, decocto melantii*, & his fortiore *succo ireos & cyclamini*: & sternutatoriis ex *gingibere, pipere, ptarmica, pyrethro, sinapi, castoreo, &c.* Sed amborum vsus nequaquam tutus antequam probe cocta vacuataque cathartricis materia fuerit, quod ambo catarrhi materiam exagitent, & motu ipso coqui prohibeant, vt ex Gatinaria monet Syluius. Fluxio autem ab eorum quæ supra comprehensa sunt vsu adhuc perseuerans, vt ingruentis asthmatis vel impendentis suffocationis metus arceatur, sistenda erit gargarismatis, suffumigiis, formulis in ore retentis,

e.6.d.3.1. *10.l.1.*

retentis,& pilulis adstringentibus,aut incrassantibus. ℞.(igitur) *myrrhæ,aut olibani,aut sandaracæ* ℥ß. *fiat decoctio in vino pro gargarismate.* vel ℞. *cyperi,calami aromatici,glycyrrhizæ ana* ℥ij. *foliorum lentisci & myrtillorum ana M.ß.cortic.thuris* ℥ß. *fiat decoctio,* in colatura dissolue *diamori* ℥ij. *mellis rosati* ℥ß. fiat gargarismus. ℞. *olibani, sandaracæ ana* ℥ij. fiat decoctio in vino adstringente,excipiatur fumus.vel ℞. *ligni aloes, costi ana* ℈ij. *gallię moschat.* ℥ß. *olibani, sandaracæ ana* ℈j. *cum styrace liquida,* fiant trochisci, & super prunas suffumigium.Fiat etiam suffumigium ex *sola nigella Romana* in puluerem redacta & torrefacta. In eundem finem *spica vel myrrha* in ore contineatur.*Trochisci bechici* in ore etiam retineantur.Fiant *pilulæ ex bolo Armenio,terra sigillata,mastich.conserua rosarum, &c.* hora decubitus deuorandæ.Caput præterea rasum siccandum & corroborandum erit frictionibus matutinis,admotis sacculis *ex milio, sale, furfure, saluia, maiorana, seminibus anisi & fœniculi torrefactis in sartagine*:Suffitibus *ex caryophyllis,cinamomo,signo aloes,roremarino, saluia,maiorana, foliis lauri,mastiche,thure,gallia moschata, & moscho*: Litibus *ex oleo rutaceo, & anethino*: Pileolis intersutis *ex foliis lauri,maiorana, saluia, betonica, floribus anthos, stœchados, spica nardi,rosis rubris, semine nigellæ Romanæ,thure, mastiche, cinamomo,mace,nuce moschata,caryophyllis, & similibus*: Globulis odoriferis ex *caryophyllis,gallia moschata, nuce moschata, styrace calamita, ladano, cubebis, tragacantha, & aqua maiorana*:Necnon & vsu conseruarum *saluiæ betonic. anth.acori,corticum citri conditi, nucis moschatæ &c. theriacæ, mithridatij.* Quod autem pulmonibus iam impactum est bechicis detergendum, maximè vero *syrupo de hyssopo & capillari,* modo vice eclegmatis, modo iulepi forma dilutis. Illinendumque pectus ex *oleo chamamelino,liliorum,amygdalarum dulcium,lini,butyro recenti.* Si qua propositi catarrhi speranda curatio est,his mihi videtur perficienda remediis.

Consultabat Frambesarius cum Medico Ducis Parmensis, pro sene pituitoso, hyeme apud Ambianos laborante,anno 1592.

CONSVLTATIO II.

Pro iuuene æstiuo tempore Catarrho laborante.

c.2.3.& 4. d.1.t 10.l.1. CAtarrhus quo tentatur hic Iuuenis, à pituita salsa è cerebro in subiectas sedes illabente nascitur. Sed ortus sui causa iecori impense calido referenda est accepta. Inde enim multi vapores suscitantur qui in caput elati, frigore cerebri in aquosam pituitam concrescunt, quæ in cerebri ventriculis diutius obhærens salsam & acrem qualitatem tempore conquirit. Hæc autem ambientis caloris vi dissoluta, & aliis externis irritamentis prouocata, in subditas partes nunc destillat, eaq; ratione catarrhum infert & constituit. Siquidem non externum frigus cerebrum humore imbutum exprimens, sed æstus humores cerebri colliquefaciens, balneum laxans, & perturbans exercitatio, animi pathema, vinum immoderatius ingestum, & alia id genus quæ in caput impetum facere consueuerunt, destillationem excitarũt. Quocirca catarrhus, non frigidus, sed calidus esse videtur, vt ex faciei & oculorum calore, rubore, tenui materiæ consistentia, ex sapore salso, ex acrimonia interiores oris partes nareśque erodente & exulcerante, ex siti, & ex subita eius generatione liquidius constat. Hæc *diagnosis*. Quod ad *prognosim* attinet, periculum est ne catarrhus febrem moxaccersat, neve synanchem vel pleuritidem proritet, ac si diutius perseueret, ne peripneumoniam ac tandem phthisim inducat. Quamobrem non differenda sed incunda statim tum victus ratione, tum chirurgia, tum medicamentis curatio est. *Cuncta enim destillationes breues* (vt inquit Celsus) *si neglectæ sint, longæ esse consueuerunt. Ac si quando temporis diuturnitate pulmonem exulcerarint, exitiosæ.* Imprimis igitur frugalis vita est imperanda, cœna nulla, aut pauca, declinatio ab aëre feruido, à ventis austrinis, Solis & Lunæ radiis, abstinentia à vino & rebus vaporosis, vt cœpis, alliis, sinapi, raphano, & odoramentis supra modum calidis, à thermis, exercitationibus immodicis, animi perturbationibus, & iis omnibus quæ humores dissoluere in cerebro possunt. Vtendum cibis concoctu facilibus & boni succi, vt sorbitionibus ptisanæ, iusculis pullorum, gallinarum,

c.5 d.2.t. 10.l.1.

c.2.d.2.t. 10.l.1.

c.2.d.3.t. 10.l.1.

linarum, & carnium similium, *lactuca, portulaca endiuia, acetosa, bugloſſo, borragine alteratis, piſcibus ſaxatilibus. Oryzogala & amygdalogala cum ſaccharo roſato* erunt poſthac exhibenda. Aqua hordei propinanda. Poſt cibum neque legendum, neque ſcribendum. Fugiendus ſomnus diurnus. Vitandus decubitus ſupinus, eligendus vero pronus. Quod ad chirurgiam ſpectat, *phlebotomia* quam primum adminiſtranda eſt, cum præſertim nec temperamentum, nec ætas, nec vires reclamēt, primum ad vniuerſum corporis habitum refrigerandum, eaque ratione perennem vaporum generationem qui ab hepate & ſanguine calidiore in ſublime elati catarrhum mouent prohibendam: deinde ad totius corporis plenitudinem ex vaſis tumidis & diſtentis conſpicuam antecedentem febris impendentis cauſam, vacuandam: tum ad materiam alioqui ſynanchem vel pleuritidem, vel alia grauiora ſymptomata breui excitaturam in contrarium reuellendam. Eam tamen iterare ſatius erit, quam ſemel multam quantitatem ſanguinis extrahere. Venaque cephalica in brachio dextra anguſto foramine aperienda, ne ſpiritus natiuusque calor diſſipentur, qui cum catarrhi materia pugnant. Ad auertendum præterea cucurbitulæ ſcapulis & natibus poſthac erunt admouendæ: extremarum partium frictiones, vincula, pyrotica futuræ coronali aut brachiis, aliaque id genus auxilia chirurgica etiam adhibenda. Sed prius præparanda purgandaq; materia. Medicamētaigitur ſtatim à ſanguinis miſſione vſurpanda, primum præparantia, deinde purgantia, à quibus auertentia ex vſu erunt, tum fluxionem ſiſtentia, partemq; affectam roborantia. Vtendum ergo ad humoris acrimoniā demulcendam alterantibus *ſyrupis violato, papauerino, nenupharino, cum aquis ſtillatitiis lactucæ, nymphæa, cichorij, vel decocto hordei, glycyrrhiza, quatuor ſeminum frigid. maior. trium florum cord. ſem. papau. albi.* Mox ad catarrhi materiam repurgandam cathartica, ſed leuiora exhibenda, ne excandeſcat catarrhus, vt *caſſia in bolum* concinnata *ad ℥j.* cui *elect. de ſucco roſarum* ℈ij. adiecti ſint. Poſtea paulo valentiora vt potio ex *rhei elect. & agaric. an.* ℈ij. infuſis in decocto pectorali, cui *catholici & diaprun. ſolut. an. ℥ij. & ſyrupi roſarum pallidarum ℥j.* diſſolutæ ſint. Vel catapotia aurea, *ſine quibus, & de agarico ad ℥j. vel* ℈iij. A purgatione non chirurgica auxilia modo, ſed & medicamenta auertentia, vt enemata acriuſcula, errhina *ex aqua violarum, vel hordei*, & alia generis eiuſdem conueniunt.

c. 4. d. 3. t. 10. l. 1.

c. 5. d. 3. t. 10. l. 1.

Deſtil-

Deſtillatio vero acris & erodens, niſi ab alterantium, euacuantium & auertentium vſu conquieuerit, ne tandem exulceratis pulmonibus tabem inducat, compeſcenda erit adſtringentibus & incraſſantibus, vt *ſyrupis roſarum ſiccarum, myrtillorum, cydoniorum, papauerino & nenupharino, ex cochleari datis*, præſertim ſub horam ſomni, dum catharrus commouetur: Opiata *ex conſeruæ roſarum* ℥ij. *boli Armen. terræ ſigillat. vel trochiſc. de bolo, de berberis an.* ℈ij. *maſtich.* ℈j. *cum ſyrupo cydoniorum, data ad* ℥j. hora ſomni: Puluere ex *conſeruæ roſarum ſiccarum* ℥ß. *coriandri præparat.* ℥j. *aniſi conditi.* ℥iij. *roſarum ſiccarum puluerat arum* ℥j. *boli Armenæ* ℈iiij. *elect. diaireos ſimplic. diatragacanth. frigid. an.* ℥ij. *ſacch. roſati q. ſ.* dato à paſtu ex cochleari, ad vaporum aſcenſum ad cerebrum inhibendum. Item carne cydoniorum, & pyris auſteriuſculis coctis, ſecunda menſa datis. Poſt etiam coriandro, vt confirmetur venter & fumi prohibeantur: Gargariſmis ex *aqua roſarum vel plantag. & ſyrupo de papauere, vel ex decocto roſarum, hordei an. P. j. ſeminum plantag. papau. albi, portulac. an. zj. cum diamori & dianuci ap.* ℥j. Electuario *diatragacanth. frig. in ore contento*, vel ſolo tragacantho, vel terra ſigillata: Trochiſcis in ore contentis ex boli Armenæ lotæ *cum aqua roſarum, terræ ſigillatæ lotæ cum decocto papau. an. zj. elect. diatragacanth. frig. cum oui albumine diſſoluti* ℥ß. *cum modico ſyrupo roſarum ſiccarum, ad magnitudinem lupini, vel trochiſcis de glycyrrhiza ex ſucci glycyrrhiz.* ℥vj. *ſanguinis dracon. terræ ſigill. an* ℥vj. *ſacch. roſar. ad duplum, gummi tragacanth. in aqua roſarum ſoluti q. ſ. ad zj. ſumptis*: Catapotiis *iij. ex boli Armen. & ſucci roſarum an.* ℥ß. hora decubitus deglutitis. vel *pilulis de cynogloſſo ad* ℈ß. ſub horam ſomni deuoratis: Suffumigiis ex aceto ſupra lapidem vel ferrum ignitum effuſo, vel ex *ſantal. citrini* ℥ß. *roſarum, violar. an. P. ij. in aqua decoctis.* vel ex *roſarum rub. coriand. præpar. an.* ℥j. *gummi hederæ, ſandarac. maſtich. olibani an.* ℥ij. *trochiſc. de canphor* ℥ß. *ſemin. papau. albi* ℈ij. *concaſſ.* quibus ſuffumigantur cooperimenta capitis. Item pomis odoratis. Quibus omnibus etiam cerebrum corroborabitur. Hæc ſunt quæ huic ſupprimendæ deſtillationi conferre videntur.

Conſultabat Frambeſarius Plumberiæ, cum D. Paſcotio, pro ingenuo iuuene Lotharingo, æſtate laborante, anno 1592.

CONSVL-

CONSVLTATIO III.

Pro ſene frigido Catarrho laborante.

DVplex morbus catarrhi è cerebro in ſubditas partes ſæpius irruẽtis cauſa eſt, frigida & humida cerebri intemperies cum materia, & meatuum per quos humor defluit laxitas. Ille ſimilaris, hic vero organicus exiſtit. Illius morbi indicia ſunt, tum ætas, regio, temporis cõſtitutio ac victus ratio frigida & humida, tum diſtentio grauitasq; capitis & frontis, ad ſomnum inclinatio, faciei pallor, ac manifeſta pituitoſi humoris excretio. Hulus vero conſpicua nota eſt, humoris per palatum deſtillantis copia, quæ frigoris cerebrum comprimentis vi deorſum detruſa, meatus per quos defluat præter modum reſerat & relaxat. Quod ad *prognoſim* attinet, non eſt à periculo tutus qui tam graui catarrho valde eſt opportunus, cum funeſtos tandem morbos ſæpius excitet. Itaq; illius curationi diligenter incumbendũ. Hæc autem tribus continetur capitibus, primo vt perennis materiæ pituitoſæ generatio prohibeatur: ſecundo vt quæ in cerebro iam exuperat dematur: poſtremo vt laxior deſtillationis via adſtringatur, fluxioque intercipiatur; ac frigida tandem & humida cerebri intemperies corrigatur, caputque corroboretur. Ad pituitæ generationem prohibẽdam, inſtituenda victus ratio calfaciẽs, exiccans, concoctu facilis, ac boni ſucci, eaq; moderata. Atq; imprimis vitandus aer frigidus & humidus, necnon & ſomnus longior, diurnus ac ſupinus. Vt redundans materia dematur, primum præparanda, deinde vacuanda, auertenda & deriuãda. Ad præparandam pituitam craſſam & lentam, tenuantia, incidentia, & detergentia initio mitiora, vt *mel roſatum*, *ſerapium adiantinum*: mox valentiora, vt *oxymel*, *ſerapia de quinque radicibus*, *de ſtœchade*, *de hyſſopo*, *cũ decocto pectorali* ſunt vſurpanda. Præparata vero euacuanda erit purgatione ex *pilulis cocciis & de agarico*: vel potione ex *diaphœnico & elect. Indo*, in conuenienti decocto diſſolutis. Auertenda clyſteribus acriuſculis frequenter iniectis, cucurbitulis occipiti, ſcapulis & natibus affixis, frictionibus, ligaturis, & cauteriis vtriq; brachio admotis. Deriuãda per nares errhinis ex *decocti maioranæ* ℥iij. *ſucci betæ* ℥iß. *mellis* ℥j. & ſternutamentis

c. 4. d. 1. t. 10. l. 1.

c. 5. d. 2. t. 10. l. 1.

c. 2. d. 3. t. 10. l. 1.

mentis proritatis ex puluere *maior. nigellæ, nucis moſch. an. ℈j. pyreth. & ellebor. albi an. ℈ß.* in nares per calamum attracto. Laxiores vero meatus per quos decumbit humor tandem adſtringendi iſtypticis gargariſmis, ex *roſis rubris, hordeo, ſemine papaueris albi, decoctis in* aqua & modico aceti. Orbiculis in ore contentis, ex *boli Armenæ in aqua roſarum lotæ ʒiij. amyli ʒij. gummi tragac. & Arabici an. ʒiß. ſacch. candi ℥j. cum ſyrupo papauer. lupinorum inſtar formatis.* Eclegmatis ex *conſer. roſar. veter. ʒj. diacodij ℥iß. diatragac. frig. ʒiij. ſyrupi roſarum ſiccarum q. ſ.* Catapotiis ex *bolo Armena, terra ſigillata, maſtiche, conſerua roſarum,* ſub horam ſomni deuoratis. Ad frigidam & humidam intemperiem, & inde natam cerebri imbecillitatem emendandam, extrinſecus admouendi erunt ſacculi ex *floribus betonic. ſtœchad. chamamel. melilot. roſarum, foliis lauri, maioran. thure, maſtiche, nuce moſchata, caryophyllis.* Suffitus ex *ſuccino, ſemine melanthii, ſtyrace calamita, benioino, macere, caryophyllis, nuce moſchata,* in puluerem c. aſſiuſculum redactis. Litus ex *oleo rutaceo & anethino.* Cuculli ex *ſampſuco, roſis rubris, floribus roriſmarini, ſaluiæ & ſtœch. ſpica nardi, cortice citri ſicci, macere, pipere, nuce moſchata, caryophyllis, in puluerem redactis,* & bombace carpta exceptis. Sic propoſitus catarrhus mihi videtur methodo ſiſtendus.

Conſultabat Frambeſarius pro ciue Augenſi, anno 1592.

CONSVLTATIO IV.

Pro iuuene calida deſtillatione laborante.

QVæ laborantem grauiter affligit deſtillatio, ex duplici morbo naſcitur, vno ſimilari, altero organico, quibus ſublatis vna etiam diſparebit. *Similaris* morbus eſt cerebri intemperies nõ frigida quidem, ſed calida, humores in cerebro diſſoluens, pluresque vapores à ſubiectis partibus attrahens, quam cõcoqui aut per halitum expelli poſſint. Vnde non ſimplex, ſed cum materia exiſtit. Hanc quippe indicant non antecedentes cauſæ modo, temperies, ætas, regio, temporis conſtitutio, victuſq; ratio calida: verumetiam conſequentes eius notæ, naſus faciesq; rubicunda, partes capitis calidæ, temporum arteriæ multum pulſantes,

c. 3. & 4. d. 1. t. 10. l. 1.

pulſantes,acer tenuiſque humor qui ſubinde per os excernitur,quæq; illi ſucceſſit febris,vt & cibi faſtidium. Organicus vero morbus eſt reſeratio meatuum per quos humor defluit,non tantum ab externo aere feruidiori,ſed potiſſimum ab acrimonia & vellicatione deſtillantis humoris orta. Quod ad *prognoſim* attinet,affectus hic nequaquam negligendus, cum febrem habeat coniunctam, ac niſi mature illi ſuccurratur,peripneumoniam,ac exulceratis tandem præ humoris acrimonia pulmonibus phthiſim minetur. Ad moliendam curationem morbus vterque catarrhi parens extirpandus eſt. Ad calidam intemperiem cum materia delendam, refrigerans victus ratio inſtituenda, fugiẽdus aer feruidus,ventus auſtrinus: abſtinẽdum à vino & rebus vaporoſis, *vt cæpis,alliis,ſinapi,raphano, & odoramentis* ſupra modum calidis, à balneis calidioribus,exercitationibus immodicis, animi perturbationibus,& iis omnibus quæ intemperiem calidam augere, humoreſq; diſſoluere in cerebro poſſunt. Medicamenta etiam refrigerantia quæ humoris acrimoniam demulceant,& tenuitatem incraſſent vſurpanda,vt *ſyrupus violatus,nymphæatus,papauerinus,cũ aquis ſtillatitiis lactucæ,nimphææ, cichorii,vel ptiſana*. Poſtea ad intemperiem vna cum materia, necnon & febrem vna cum antecedente eius cauſa ſummouendam, venæ ſectio ſemel atque iterum adminiſtranda eſt. Vt materia reliqua dematur, purganda eſt ex *caſſia,rheo,catholico,& diapruno ſolutiuo*, vel *catapotiis aureis & ſine quibus*: Auertenda clyſteribus acriuſculis,cucurbitulis, occipiti,ſcapulis,& natibus admotis,frictionibus,vinculis & aliis id genus remediis. Deriuanda per nares errhinis & ptarmicis leuioribus. Vt fluxio tandem ſupprimatur, meatus per quos deſtillat humor adſtringendi, *ſyrupis roſarum ſiccarum,myrtillorum,cydoniorum,vice eclegmatis,trochiſcis in ore contentis,catapotiis & ſuffumigiis*. Hæc recta eſt propoſitæ deſtillationis arcendæ ratio.

c.5.d.2.t.10.l.1.

c.3.d.3.t.11. l.1.

c.2.d.3.t.10.l.1.

c.4.d.3.t.10.l.1.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Bertrando Medico Regio,pro ſtrenuo Vaſcone,in obſidione Lauduni, anno 1594.

TITVLVS X.

De medendis doloribus capitis.

Distinctio 1. De dignoscendis doloribus capitis.

Canon I.

Vt varii affectus pro partium affectarum varietate.

AFfectus præter naturam, alii partes animales obsident, vt caput, oculos, aures, nares, &c. Alii vitales, vt thoracem, pulmones & cor: alii naturales, vt ventriculum, intestina, anum, iecur, lienem, renes, vesicam, testes ac vterum.

II.

Vt capitis affectus in tres ordines ex affecta sede distinguuntur.

Capitis affectus in tres ordines ex affecta sede distinguuntur. Alii quippe capitis membranas, alii cerebri substantiam, alii meatus atque ductus obsident. Membranarum nomine meninges & pericraniũ intelliguntur, in quibus solis vt exquisite sentientibus dolores fiunt, cephalalgia, cephalæa & hemicrania. In cerebri substantia, quæ omnis principis facultatis nempe mentis, imaginationis & memorię sedes est atq; instrumentum, læsæ functionis symptomata sunt phrenitis, mania, melancholia, lethargus. In cerebri ventriculis atq; in iis ductibus per quos animalis spiritus in sensuum motuumq; organa distribuitur, sensus motusque symptomata fiunt, vertigo, incubus, epilepsia, apoplexia, paralysis, conuulsio, tremor, catarrhus. *Ex Fern.*

Quotuplex sit capitis dolor.

III.

Quid cephalalgia generatim sumpta.

Proprie dicta.

Quid cephalæa.

Quid hemicrania.

Doloris capitis tres statuuntur differentiæ, cephalalgia, cephalæa & hemicrania. Cephalalgia tamen plerumque generatim sumitur pro omni capitis dolore siue recens sit, siue inueteratus, siue totum caput, siue alteram duntaxat eius partem occupet, ita vt cephalæam & hemicraniam etiam comprehendat: sed proprie pro recenti capitis dolore vsurpatur. Cephalæa autem inueteratus atq; contumax capitis totius dolor est. Hemicrania vero dolor in dimidia tantum capitis parte, nũc dextra, nunc sinistra consistens. *Ex Gal. dogm.*

IV. Omnis

IV.

Omnis dolor capitis fit ab intemperie, vel ſolutione continui. Vtriuſq; autem morbi cauſa interna eſt vel externa. Interna quam προηγουμένην Græci vocant, eſt humorum aut vaporum flatuumve in capite naſcentium vel aliunde affluentium copia vel vitioſa qualitas. Externa vero & euidens, quæ προκαταρκτικὴ Græcis dicitur, æſtus eſt, vel frigus, vel intemperans victus aut potus, vel ictus, vel alia generis eiuſdem. Contingit autem ſæpius capitis dolor à calida & frigida intemperie, nuda & cum materia ſanguinea, bilioſa, melancholica, pituitoſa, flatuoſa, vaporoſa. Nuda capitis intemperies calida ex æſtiui Solis ardore, immodica exercitatione, æſtuoſo cœlo ſuſcepta, excandeſcentia & aliis id genus cauſis euidentibus contrahitur. Ab hac dolor omnium vehementiſſimus excitatur, quia caliditas primarum qualitatum δεικτικωτάτη. Caput primo ſtatim manus iniectu calidius deprehenditur, aridior facies apparet, rubẽt oculi, frigidis perfuſionibus & inunctionibus gaudent & iuuantur ægri. Intemperies vero frigida ab ambiente aere frigido, præſertim vbi quis aperto capite in eo diutius verſatus ſit, & ab improuida frigidorum omnium admotione gignitur. Vehemens quoque dolor eſt, ſed nullus in capite ſentitur calor, nec arida & contracta facies, ſed ſubtumida & decolor apparet, nec rubent oculi, nec frigida gaudent ac iuuantur ægri. Intemperies autem coniuncta tum ex redundantis materiæ cauſis & ſignis, tum ex doloris qualitate dignoſcitur. *Ex variis auth.*

Vnde capitis dolor oriatur.

Quæ doloris capitis cauſa interna.

Externa.

Cauſæ ac notæ intemperiei capitis calidæ.

Frigidæ.

Cum materia coniunctæ.

V.

Τὰ μὲν μετὰ βάρους ἀλγήματα, πλῆθος δηλοῖ· τὰ δὲ μετὰ δήξεως, ἢ χυμῶν, ἢ ἀτμῶν δεδμύνται. τὰ δὲ μετὰ σφυγμῶδες φλεγμονὴν, τὰ δὲ μετὰ τάσεως, εἰ μὲν ἄνευ βάρους ἢ σφυγμοῦ γίνοιτο, πνεύματος λεπτοῦ καὶ φυσώδους πλῆθος δηλοῖ. εἰ δὲ μετὰ σφυγμοῦ φλεγμονὴν ὑμενώδους σώματος. εἰ δὲ μετὰ βάρους γίνοιτο ἡ διάτασις, πλῆθος ἐντὸς τῶν ὑμένων ἰχῶρος. Dolores cum grauitate humorũ plenitudinem indicant, cum mordacitate vero aut humorum aut vaporũ acrimoniam, cum pulſu autem inflammationem, cum tenſione vero, ſi quidem citra grauitatem & pulſum fiant, flatus tenuis & ventoſi abundantiam demonſtrant: cum pulſu vero, membranoſi corporis inflammationem. Si vero cum grauitate diſtentio fiat, humorum copiam intra membranas contentam. *Gal. l. 2. de comp. med. κ. πω.*

Vt ex dolorũ qualitate, cauſæ dignoſcantur.

Itaque dolor acer, erodens ac perforans ab humore fit, aut vapore bilioso & acri feriente membranas: grauans à frigidorum pituitosorũque copia: distendens à flatuum aut humorum miriorum exuperantia qui inter cranium & pericranium vel inter caluam & crassam meningem se insinuant, easq; membranas didũcunt ab osse: dolor pulsans à tenui bilioso q̃ue sanguine, vel à spiritu redundante, quo turgentes ac distentæ arteriæ vehementius pulsant, membranasque concutiunt. Eius ferè generis est dolor omnis qui statis horis quotidie siue cum febre, siue citra hanc recurrit. Sed enim horum dolorum causæ ex iis signis certius discerni possunt, quæ demonstrant quis humor in corpore exuperet. *Fernel.*

VI.

Quibus notis dolor capitis externus ab interno internoscatur.

Dolor capitis aut externus est, aut interior. Externus quoniam pericranio incumbit, capillos inuerti non sinit, & capitis pressu exacuitur, interior vero mitescit. Dolor item in superficie hærens pericraniũ affici significat: qui vero in profundo est, cerebri meningas. Præterea si intra caluariam morbus consistat, dolor ad oculorum radices vsq; porrigitur, quod oculorum tunicæ à cerebri membranis ortum ducant. Si vero extra caluariam affectus sit, non illuc vsq; extẽditur dolor, ex Galeni reliquorumq; Græcorum sententia. Ferneliustamen falsum & à veritate prorsus alienum esse contendit, interiores solos dolores ad oculorum vsq; radices pertinere, quod externi eodem sæpe pertingant, quoniam & pericranium cui insident, oculorum cauum succingit. Sed respondet Rondeletius externos dolores fere ab externis causis, præsertimq; frigore contrahi: Pericranium autem qua parte succingit oculorum cauitatem, nec externi frigoris, nec caloris, nec siccitatis iniurias perpeti. Quo fit vt dolores qui extra cranium contingunt, ad oculorum vsque fundamenta minime perueniant.

VII.

Vt capitis dolor, idiopathia vel sympathia contingat.

Cephalalgia alias ex capitis ἰδιοπαθείᾳ accidit, cum videlicet mali causa omnis in ipso capite est: alias ex συμπαθείᾳ vel cũ toto corpore, vt in febribus, vel cum subiectis partibus prius affectis, vt vẽtriculo, iecore, vtero, quorum affectionibus omnium maxime cõsentit caput. Cephalæa autem semper proprio & primario fit capitis affectu, hemicrania vero præcordiorum subditarumq; partium sympathia. *Ex Fern.*

DISTIN-

DISTINCTIO II.

De dolorum capitis præsagitione.

CANON I.

Καθάπερ ἡ ἔγκαυσις ἄκ ἐστὶ δύσλυτος διάθεσις, ἕτως οὐδὲ ὅπ ψύξις ἐν τῷ πε- ριέχοντος γένηται, δυσκόλως θεραπεύεται πρόσφατος. Quēadmodum ardor nō ægre ſolubilis affectio eſt, ita neq; frigiditas ex ambiente nos aëre cōtracta, difficulter curatur ſi recēs eſt. *Galen. 2. de comp med. κῆ τόω.* *Prognoſis cephalalgiæ à nuda intemperie calida & frigida ortæ.*

Simplex vero intemperies calida frigidaque diutius vix ſolitaria ſubſiſtit, quin congenerem ſibi materiam accerſat, & ex ſimplici compoſita euadat. *Ex Fernel.*

II.

Κεφαλαία χρόνιός πε καὶ δύσλυτός ἐστι κεφαλαλγία. Cephalæa eſt capitis dolor diuturnus, difficulterque ſolubilis, *Gal. c. 9. l. 3. de loc. aff. & 2. de comp. med. κῆ τόω.* *Cephalæa.*

III.

In cephalalgia à plenitudine ſanguinis præſertim biliosi, metuenda phrenitis, vel febris ſynochus, cauſuſve. *Frambeſarius.* *Quid portendat capitis dolor à bilioſo ſanguine excitatus.*

IV.

Dolor capitis continenter excrucians, ſomnumq; auferēs, periculo haud vacat. Inſaniam enim in proximo eſſe ſignificat, & maxime ſi vomitus accedat æruginoſus. Quin & capitis dolor ſi grauiter vrgeat, nec curatione miteſcat, ſed potius increſcat, ſurditatē, phrenitidē, apoſtema, ſpaſmumq; minatur. Magno item capitis dolori, ſi diſtenſio neruorum concurrat, ſummum vitæ periculum imminet, *Ex Arabū decretis.* *Continenter excrucians, & grauiter vrgens.*

V.

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδὼὰι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῷ κεφαλῇ καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσι, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. Quicunque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. *Hipp aph. 51. l. 6.* *Repente cū ſtertore & vocis priuatione prehendēs.*

Quibus enim adhuc ſanis dolor in capite repente accidit cum vocis & actionum voluntariarum læſione, ij verſantur in magno vitæ periculo,

periculo,atq; eo maiore si stertant,& eis sensus vna cum motu perierit. Quia hoc indicium est apoplexiæ manifestum,cuius causam referre oportet non solum ad spiritum flatuosum,sed etiam ad materiæ vniuersim fluentis multitudinem,quam ad cerebrum fuisse delatã indicant symptomata dolori superuenientia,quæ multam pituitam in vẽtriculis cerebri aceruatam esse commonstrant. Ob id febris succedens vt quæ calfacit,extenuat atque resoluit spiritum flatuosum & pituitosos humores,hoc periculo si qua res alia liberare potest *Ex Gal.*

VI.

Cum puris,aqua vel sanguinis eruptione.

Κεφαλὴν πονέοντι καὶ σφοδρὸν πονέοντι, πύον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυὲν ἔκ τε τὰς ῥῖνας, ἢ ἔκ τε τὸ στόμα, ἢ ἔκ τε τὰ ὦτα, λύει τὸ νόσημα. Caput dolenti & vehementer laboranti,pus,vel aqua,vel sanguis effluens per nares, aut os,aut aures, morbum soluit.*Hipp.aph.10.l.6.*

Quando videlicet contigerit dolorem capitis fieri propter inflammationem vel humorum crudorum in capite aceruatorum multitudinem. Tunc namque inflammatione suppurata aut humore excreto, morbi fit solutio.*Galenus.*

VII.

Cum senioribus symptomatis.

Κεφαλῆς ὀδυνάων ἰσχυρέων καὶ συνεχέων, ξυὺν πυρετῷ, ἢν μὲν τῶν θανατωδέων σημείων προσγένηται, ὀλέθριον κάρτα. Capitis dolores vehementes & continui cum febre,si lethalium signorum quid accesserit,valde exitiosi sunt.Si vero absque talibus signis dolor viginti dies transmiserit, & febris tenuerit, sanguinis è naribus eruptionem, aut abscessum quendam ad infernas partes expectare oportet.*Hipp.3.prog.*

VIII.

Si à principio non inuaserit.

Capitis dolor si à principio non inuaserit,certũ est indicium futuræ crisios per vomitum,aut per fluxũ sanguinis è naribus. *Ex Gal.ad Glauc.*

IX.

Vt vrinæ perturbatæ febricitantibus capitis dolorem arguant.

Οἱ κόσμοισιν ἐν πυρετοῖσι τὰ ὑπόκαυσα ἀναπεπταμένα οἷον ὑποζυγίοις τετέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢν παρέσονται. Quibus febricitãtibus vrinę perturbatæ sunt, veluti iumentorum,iis dolores capitis vel adsunt vel aderunt.*Hipp.aph.70.l.4.*

Quia crassæ & perturbatæ vrinæ humorum indicant à flatuoso spiritu commotionem, propter quam permulti feruntur ad cerebrum vapores,qui capitis dolorem iam excitant,vel breui sunt excitaturi.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

De curandis doloribus capitis.

CANON. I.

Qua methodo omnis affectus capitis interior curandus sit.

A Domnem capitis affectum, cuius interna origo est, curandũ, causa antecedens imprimis venæ sectione, vel purgatione detrahenda: deinde materia cõiuncta masticatoriis, gargarismis, errhinis vel sternutatoriis per os & nares educenda: tum præsidia topica ad reliquias humoris discutiendas, intemperiem cerebri corrigendam, caputque roborandum, extrinsecus admouenda. *Frambesarius.*

II.

Cui capitis dolori phlebotomia sit administranda.

Phlebotomia imperatur si plenitudo & sanguinis copia, si vehemẽs obstructio, si vulnus, casus, concussio, febris, inflammatio, atque adeo vbi intolerabilis dolor est. Si à reliquo corpore vitium est, primum basilicam, deinde cephalicam, aut semel mediam diuidito. Si à suppressis mensibus, aut hæmorroidibus, venas malleoli incidito. Perseuerante malo venam frontis, temporum, quæq; post aures sita est, aperito. Eam tamen eligito, in cuius regione dolor incumbit magis, *Hollerius.*

Qua vena secanda sit.

III.

Τὰ ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἢ ἐμμετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει. Dolenti posteriorem capitis partem, recta in fronte vena secta prodest. *Hipp. aph. 68. l. 5.*

Ad euacuandum cum auersione. Auersio enim ad contraria fit secundum longitudinem quidem supra infraque: secũdum latitudinem vero ad dextram & sinistram: secundum altitudinem, ad anteriora & posteriora. In doloribus itaque partis capitis posterioris, cum auersione nunc euacuatio ex fronte fiet, sicuti anterioris ex occipite. Sic enim diuturnæ oculorum fluxiones sæpius sanatæ sunt, ex occipite sanguine detracto, vna cum cucurbitulæ vsu. *Galenus.*

IV.

Vbi arteriotomia conferat.

Arteriotomia probatur in iis, qui ob intemperiem arteriarum capite dolent ac vertigine: atq; vbi sanguis calidus & vaporosus dolorem facit. Eligenda in fronte, temporibus aut post aures quæ micat, magis calet & rubet, & vbi dolor acerbior est. *Hollerius ex l. 6. de san. tuenda, li. 13. meth. lib. de sang. missione.*

Qua arteria sit eligenda.

V.

Quando purgatio imperãda.

Poſt phlebotomiam & ante phlebotomiam imperatur purgatio, aliquando etiam ſine phlebotomia purgamus. Ante phlebotomiam leui pharmaco molienda purgatio, ad primæ regionis cruditatem excludendam, ne in venas cum ſanguine reptatur. Purgationis vices clyſter perſæpe ſupplet: qui in doloribus capitis tanti eſt momenti, vt deorſum materiam reuellendo plerumque repetitiones ipſas fieri prohibeat. Vnde periodicis in doloribus, inſtante etiam acceſſione, commode iniicitur, totaque morbi hiſtoria repetitur. *Hollerius.*

VI.

Quando maſticatoriis & gargariſmis abſtinendum, errhiniſque vtendum.

Humor è capite nec maſticatoriis, nec gargariſmis euocandus iis quibus pulmones catarrho, phlegmonæ, vlceri ſunt obnoxii, quibuſq; vlcera ſunt in ore vel faucibus. Tunc errhina commodiora quæ materiam deducant ad nares. Nam etiamſi humor illectus è capite vel mũgendo vel expuendo repurgetur, fit tamen humori conſuetum iter, & noctu inter dormiendum ad partes infirmas delabitur. Vbi conueniunt, tempus vtendi matutinum & ante cibum. *Ex Hollerio.*

VII.

Quando errhina officiant. Gargariſmataq; ex vſu ſint. Quibus ſternutatoria noceãt, quibuſque iuuent.

Errhina oculis imbecillioribus & iam laborantibus, atque vbi naſus opportunus eſt vlceribus, noxia ſunt. Tum ſatius gargariſmatis vti, quæ ab oculis diuertunt. Tempus vtendi matutinum, longe à cibo, à balneo vel aliter laxata cute. Ab imbecillioribus paulatim tranſeundũ ad fortiora. Sternutatoria etiam nocent in defluxione ad pulmones: iuuant quibus caput vaporibus repletum eſt, & quibus iam tenuata, inciſa & concocta eſt materia. Poſt horum vſum, ſi mordicatio percipiatur, lac muliebre in nares iniiciendum, vel oleum violatum. Caput autem anterius per nares, medium per choanam & palatum, poſterius per nucham, neruos & venas magis purgatur. *Hollerius.*

VIII.

Quæ topica cuiq; tempori conueniant.

In omnibus capitis doloribus commune eſt, vt topica in principio repellentia parti admoueantur: in decremento digerentia, in fine declinationis roborantia. Repellentibus vtendum magis refrigerantibus, in dolore calido, vt & in corporibus durioribus, æſtate, regione calidiore, iuuentute. Contra vero temperanda res eſt in contraria conditione. Topica quæ repellunt tepida admouentur, vbi materia

materia frigidior & crudior: frigida, vbi materia calida & biliosa. *Hollerius.*

IX.

Repellentibus in capite abstinendum, si febris adsit, quia febrilem vaporem transpirare vetant, & ob id febres augent. Item si rota in caput fluxit materia, quia hanc valentius impingent: ac denique si cephalalgia cum catarrho est calida, quem compressa materia augerent astringentia. *Syluius apud Gatinariam.* *Quando repellentibus in capite abstinendum.*

X.

In calidis affectibus capitis si doloris vehementia aliis non cedat remediis, ad narcotica tactus sensum stupefacientia, ob id modo quodam dolorem sedantia veniendum est, sed caute applicanda sunt, nec ita valentia, nec diu hærere permittenda sunt, præsertim capiti parti principi & natura frigidæ, quia multos ita sopiuerunt, etiam partibus aliis indita, vt postea numquam sint expergefacti. *Syluius ex Galeno.* *Quando & quomodo, & quibus narcoticis vtendum.*

XI.

Topica calfacientia capiti adhibenda, ventriculo vacuo, non pleno, ne inde vapores calore suo in caput trahant. *Ex Syluio.* *Quando calfacientia capiti admouēda.*

XII.

Πρὸς τὴν κεφαλαλγίαν, καταρχὰς μὲν ἀποκρουστικῇ θεραπείᾳ χρητέον, ἐκ τῶν ψυχόντων καὶ συφόντων δυνάμεως γινομένῃ. μετὰ δὲ ταῦτα τὰ παρηγορικῶν, καὶ περιπικῶν φαρμάκων μιγνύναι χρὴ τοῖς ἀποκρουστικοῖς, εἰ μή τι καὶ τῶν διαφορητικῶν προσθιτέον, ἀφαιρουμένων τὰ καθ' ἕκαστον τῶν ἀποκρουστικῶν. Ad capitis dolorem principio repellente curatione vtendum est ex refrigerantibus & adstringentibus constante. Postea vero mitigantium & concoquentium nonnihil repellentibus admiscendum. Deinde etiam discutientium quippiam addendum, paulatim detractis repellentibus. Optima autem censenda sunt quæ tenuium partium substantia prædita adhibentur. *Gal 2. de comp. med. κατὰ τόπ.* *Quo ordine topica capiti dolenti sint adhibenda.*

XIII.

Εἰ μὲν ὅλῳ τῷ σώματι συμπάσχοι ἡ κεφαλὴ, τότε τὸ προνοητέον πρός τε τὴν δυσκρασίαν, καὶ πρὸς τὴν κρατοῦσαν ἰλὺν ἰσταμένως, ἐξ ἀρχῆς μὲν εἰ ἰσχνὸς ἕξις καὶ μάλιστα τὰς φλέβας, φλεβοτομήσομεν. εἰ δὲ μᾶλλον ποιότης καθαρτικῷ χρησόμεθα φαρμακῷ. εἰ δὲ μόριόν τι συμπάσχοι, οἷον ἦπαρ, ἢ μήτραν, ἢ στόμαχον, τούτοις βοηθητέον. *Qua ratione capiti per consensum laborāti succurrendū.*

Si vniuerſo corpori caput per conſenſum coafficiatur, illi proſpiciendum, cum intemperiei, tum materiæ prædominanti inſtando. Ac ſi plenitudo quidem præſertim circa venas ſ erit, venam ſecabimus. Si vero qualitas magis inualuerit, purgante medicamento vtemur. Si autem vni alicui parti condoleat veluti hepati, aut ventri aut ſtomacho, illis opitulandum. *Idem.* Proſpiciendo videlicet ante omnia parti primario affectæ, & quæ caput conſenſu tandem afficit. Poſtea ipſi capiti, primum per adſtringentia ipſum roborantia, ne talem doloris cauſam recipiat: deinde per ea quę iam receptam in ipſum affectionem abigãt, vt refrigerantia ſi calidam intemperiem conceperit, calfacientia, ſi frigidam. *Syluius apud Gatinariam.*

XIV.

Cui capitis regioni adhibenda topic.

Siue refrigerare capitis caliditatem ex æſtu Solis aliiſve ex cauſis cõtractam, ſiue calefacere frigiditatem oporteat, idonea eſt capitis iuxta ſynciput regio. Per ſyncipitis enim regionem ob laxitatem ſynarthroſeos iuxta coronalem ſuturam, & ob oſſium tenuitatem & raritatem, facile tum caliditas, tum frigiditas omnium quæ capiti adhibentur medicamentorum intro diſtribuitur. Refrigerantia autem medicamenta occipiti nequaquam ſunt admouenda, propterea quod iſthic medullæ ſpinalis initium exiſtat, vnde numeroſæ prodeunt neruorum in reliquum corpus diſſeminatorum propagines. *Ex Gal. 2. de comp. medic. κατ τόπ. & reliquis Græcis.*

Conuenientiſſimus quoq; narium locus eſt ad illinendum. His ſiquidem admota non tarde qualitatem ſuam per inſpirationẽ cerebro communicant. Proinde etiam narcotica dum cogimur in auxilium vocare, ea naribus potiſſimum, non ſyncipiti ſunt illinenda. Auribus etiam nonnulli admouent, quibus ego parcendum ſuadeo. *Ioubertus.*

XV.

Quando quies & quãdo motus caput dolentibus conducat.

Omnes qui caput dolent, augeſcente adhuc & vigẽte dolore, quieſcere ſatius eſt: remittente vero & declinante, idoneis locis deambulare. Apta vero ſunt iis qui calefieri deſiderant, calidiora, qui refrigerari frigidiora. Et ante cibum quidem pluribus deambulationibus vtendum, à cibo autem paucis & lentis. *Galenus lib. 2. de comp. medic. κατ, τόπ.*

Qualiaque loca illis idonea ſint.

XVI.

Vt in cepha

Si critica ſit cephalalgia, præſertim criſi per vomitũ aut hæmorrhagiam

giam impendente, remediis non eget, nisi forte his quæ vomitum aut sanguinis fluorem è naribus accelerent, & promoueant. *Syluius ex Galeno.* *Cephalalgia vehemens non sit remediis locus.*

XVII.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον. Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat. *Hippocrat. aph. 46. lib. 2.* *Vt dolor dolori nonnunquam remedio sit.*

Quod vis sensibilis tota ad vehementiorem ducatur ac distrahatur. *Gal.* Vnde vincula dolorifica extremitatibus ad reuulsionem iniecta, capitis reliquarumque partium dolorem non raro obscurare contingit, adeo vt illis adhibitis minus sentiatur dolor, de quo laborans ante conquerebatur.

CONSVLTATIO I.

De dolore Capitis ex nuda intemperie calida orto.

VEHEMENTISSIMVS capitis dolor qui Dominum repentè corripuit, à calida intemperie oritur, quam immoderatior pilæ exercitatio, in sphæristerio Soli ardenti expositio excitauit. Hanc enim capitis frontisque calor primo statim manus iniectu perceptus, oculorum rubor, doloriſque vehementia manifeste demonstrant, præterquam quod frigidis oblectetur & iuueturæger, calidis vero lædatur & offendatur. Quod ad *prognosim* attinet, intemperies quæ cephalalgiam infert cum nuda sit atque simplex, haud curatu difficilis existit, sed metus est ne ingens dolor ardorque humorum aut vaporum copiam accersant, coniunctamque cum materia intemperiem non ita curatu facilem contrahant. Quocirca medendi scopus duplex, vnus Therapeuticus, in remouenda intemperie calida consistens, alter Prophylacticus, humorum ac vaporum ad dolentem excalfactamque partem confluxum prohibens repellensque. Ad vtrumque consequendum, refrigerantia & adstringentia quamprimum vsurpanda. Deligendus ergo locus in quo decumbat æger, vbi aer natura frigidus sit, vel arte talis redditus, sparsis per aream *rosis, violis, nymphæa floribus, vitium capreolis, ruborum ramis*, & id genus aliis, aqua frigida humi proiecta, ac

Canone 4. distinct. 1. tituli 2. l. 1.

c. l. 1. d. 2. t. 2. l. 1.

c. 4. & 6. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 13. d. 3. t. 1. l. 1.

cta,ac de vasis in vasa subinde transfusa. Quies iniungenda, somnus procurandus, Venus & animi perturbationes vitandæ, aluus quoties adstricta fuerit sollicitanda. Nec multis vtendum cibis, sed euchymis ac natura frigidis, vt *cremore ptisanæ*, elixis pullorum carnibus, *succo arantiorum vel limonum vel omphacio conditis iusculis lactucæ, portulacæ, intybo temperatis.* Pro potu aqua hordei vel in qua parum cinamomi decoctum fuerit, interdicto vino. Medicamenta item refrigerantia ac modice adstringentia tenuium que partium sumenda, vt *syrupus acetosus simplex, violatus, nymphæatus, oxysaccharum*, cum tripla aqua cocta. Et extrinsecus admouenda, vt *oxyrhodinum ex olei rosati ℥ij. aceti ℥j. aquarum stillatitiarum nymphææ, lactucæ, rosar. an ℥ß. fronti, syncipiti ac temporibus*, sed non occipiti adhibendum. Et cataplasma ex *rosis, violis, nymphææ floribus, lactucæ foliis contusis, aqua rosarum aspersa*, fronti applicandum. His præsidiis reptantes ad cerebrum humores vaporesque erunt initio repellendi, necnon & frictionibus, ligaturis, & frequentibus enematis reuellendi. Sed quoniam præ calore capitis cucurbitulæ instar trahente, vix fieri potest, quin aliqui humores ad caput attracti sint, quos discutere opus est, caput deinceps *oleo chamæmelino* illinendum, admouendaque diaphoretica ad discutiendum quicquid materiæ ad caput pellectum fuerit. Proderit etiam corpus cum plethoricum atque impurum esse videatur, phlebotomia & catharsi vacuare, ne huic Cephalalgiæ Ephemera, vel Synochus vel ex intermittentibus febribus aliqua succedat. Hæc mihi videntur ad hunc sedandum dolorem, imminentesq; præter naturam affectus præcauendos, facienda.

c.33.& 39. d.3.t.1.l.1.

Consultabat Frambesarius pro nobili viro Ducis Guisiani à cubiculo, Rhemis, anno 1587. mense Maio laborante.

CONSVLTATIO II.

De dolore capitis, ex nuda intemperie frigida, contracto.

INgens capitis dolor sic repente subortus, ex frigida gignitur intemperie, ab aere impense frigido contractat, cũ præsertim laborãs aperto capite in eo diutius fuerit versatus, neq; frigidis gaudeat & iuuetur, neque

c.4.d.1.t. 2.l.1.

neque caput tactu calidum sentiatur, neque oculi rubescant, neque facies arida, & collapsa, sed subtumida & decolor appareat. Quod ad *prognosim* attinet, cum dolorifica intemperies nuda sit, citra vllius humoris affluxum, ac recens ab ambiente illata, solutu facilis est, omniq; periculo vacat, quod corpus bene temperatum purumque nacta fuerit. Calidis autem curãda remediis, capiti admotis atque sumptis. Sacculi igitur imprimis capiti sunt applicandi ex *milio*, *furfure*, *sale*, *saluia*, *maiorana*, *seminibus anisi*, *fœniculi*, *baccis lauri*, *iuniperi contusis* & in sartagine simul torrefactis parati: hisque calentibus caput accurate fouendũ, alioqui frictionibus ex linteis calidis vtendum. Nec inutiliter etiam adhibebuntur embrochæ, è *floribus meliloti & chamæmeli*, *betonica*, *saluia*, *maiorana*, *origano*, *pulegio*, *serpyllo*, *lauro*, *stœchade* & similibus in æquis partibus aquæ & vini decoctis. Mox à fotu *oleum rutaceum* calidum syncipiti superfundendum, vel *chamæmelinum* aut *anethinum*, ac si vehementiori calefactione opus sit, *nardinum*, *laurinum*, *& irinum*, per se, vel addito *euphorbio*, vel *pipere*, quibus etiam frons & narium ac aurium meatus illinendi. *Vino* vtendum subtili & oligophoro, vescẽdum ouis sorbilibus, carnibus auicularum, & iis similibus, danda etiam *theriaca* ad magnitudinem auellanæ, hora somni. Hæc videntur ad hominem dolore liberandum sufficere.

c. 1. d. 2. t. 2. l. 1.

c. 13. & 39. d. 3. t. 1. l. 1.

Consultabat Frambesarius pro honesto viro, Guisiæ, anno 1591. mense Nouembri laborante.

CONSVLTATIO III.

De Cephalalgia sanguinea.

APlenitudine sanguinis ortam esse Cephalalgiam argũunt, tũ plethoræ procreatrices causæ, eucrasia, ætas adolescens, vernũ tẽpus, victus lautior, neglecta exercitatio, tũ notæ πολυαιμίας indices, capitis grauitas, facieirubor atque calor, venarum tumor ac tensio, arteriarum temporalium valida pulsatio, pulsus magnus & vehemens, vrina rubicundior & crassior. Quod ad *prognosim* attinet, periculũ est ne ingens capitis

c. 15. d. 1. t. 1. l. 1.

c. 3. d. 2. t. 2. l. 1.

capitis dolor in hoc præsertim plethorico corporis habitu, continentem febrem, vel phrenitidem vel alium quendam exitiosum affectum tandem accersat, nisi, sublata causa, mature prouideatur. Quamobrem demenda quamprimum exuperans materia, coniunctaque capitis intemperies emendãda triplici remediorum genere, manu, victu, & medicamentis. Statim igitur secanda dextri cubiti vena, primum basilica ad sanguinis in toto corpore redundantis euacuationem: deinde cephalica, ad eiusdem ad caput affluentis reuulsionem. In quem vsum & cucurbitulæ homoplatis, & frictiones & vincula arctissima extremis partibus adhibenda. Protinus quoque instituenda victus ratio tenuis, ad imminuendam sanguinis copiam, & refrigerans ad calidam intemperiem corrigendam. Quocirca cubiculi refrigerandus aer apertis fenestris Aquilonem, non Solem spectantibus, immissa per Euripos aqua, sparsisque per aream floribus ac foliis salicum, vitium, iuncorum, arundinum, ac turba hominum ingredi prohibita, quæ halitu & transpiratu aerem calfacit atque inficit. Vtendum *pane loto*, *hordeato*, piscibus carne friabili præditis, fructibus austeris, oleribus frigidis, *lactuca, portulaca, intybo, cucumere, cucurbita, condimentis ex omphacio, aceto, succo arantiorum, aut limonum, aut citreorum, aut oxalydis* potu aquæ frigidæ, aut cum hordeo coctæ. Abstinendum *carnibus, ouis, vino, venere, ira*, omnique immodico animi corporisque *motu*, atque longiori *somno*. Hac viuendi lege instituta, pergendum ad medicamenta refrigerandi adstringendique facultate prædita, quæ sanguinem feruidiorem ac tenuiorem in caput repentem contemperant, incrassant, ad fluẽdumque ineptiorem reddũt, & meatus per quos fluit astringunt, cuius generis sunt *syrupi de granatis, de limonibus, acetosus, rosatus, violatus, nymphæatus, myrthinus, cum duplo aquarum cichorij, lactucæ, portulacæ, plantaginis, iulepi forma dati ad ℥vj. duabus horis ante pastus*. Et quoniam flauabilis quæ in sanguine erat naturalis, inflammata turget, sanguinisque ob transpirationem prohibitam calfacti portio tenuior, in bilem flauam prompte transit, vt crassior multo post in melancholiam, vtendum postea cholagogis, sed mitioribus, vt *rheo, myrobalanis citrinis in aqua intybi infusis, decocto prunorum, tamarindorum*. Extrinsecus vero topica principio admouenda affluentem in caput sanguinem repellentia, non frigida tantum actu & potestate, sed etiam adstringentia, vt valentius materiam in vicinas

c.3.& 4.d. 3.t.1.l.1.

c.33.d.3.t. 1.l.1.& c.2. d.3.t.2.l.1.

c.21.d.3.t. 1.l.1.

c.13. & 39. d.3.t.1.l.1.

c.8.& 12.d. 3.t.2.l.1.

cinas partes regerant, & simul caput roborent, ne tam prompte nouam fluxionem admittat. Qualia sunt oleum rosatum inunctum per se, vel cum mucagine *seminũ psyllij, oxyrhodinum ex olei rosati* ℥j. *& aceti* ℥ ß. *vel aquæ stillat. vel succi rosarum, plantag. lactuc. semperuiui, solani*, quibus actu maxime frigentibus imbuti panni raso syncipiti tandiu applicandi sunt, donec incalescant, tumq; noui horum loco substituendi. Post hæc materiam sanguineam biliosamque in capite reliquam clementer digerentia adhibenda sunt. vt fotus capitis ex *seminibus althææ, fœnigræci, floribus chamæmeli, meliloti, in aqua sufficienti coctis*: litus ex *oleo chamæmelino, & liliorum*. In quem scopum gallus etiam vel columbus, vel pulmones magni animalis adhuc calentes capiti possunt admoueri. Hæc mea est de propositi doloris diagnosi, prognosi, atq; curatione sententia.

Consultabat Frambesarius pro ingenuo adolescente, Mozoni, anno 1587. mense Aprili dolente.

CONSVLTATIO IV.

De Cephalalgia biliosa.

CVm iuuenis temperamento calido & sicco præditus, ac immodicis exercitationibus, vigiliis, meriq; potui liberaliori assuetus, æstate correptus fuerit acri ac mordaci capitis dolore, cum ingenti eius ardore, faciei pallore, ac oris amaritudine, nemini dubium esse potest à flaua bile in caput impetum faciente malum ortus sui causam ducere. Quod ad *prognosim* spectat, Cephalalgia hæc periculosissima. Minatur quippe phrenitidem, si meninges cerebri bilis appulsu iam feruentes inflammentur, febremq; ardentem, si bilis in venis maioribus turgens incendium putredinemq; concipiat. Quocirca quam celerrime fieri potest sæui huius doloris imminentiumq; morborum causa rescindenda est. Vt autem biliosus humor turgidus & veluti furibundus qui cruciatum excitat, absq; molestia, minoriq; negotio educatur & extrahatur, victu & medicamentis refrigerantibus & humectantibus primum alterandus, refrænandus, riteq; præparandus est, deinde conuenientibus auxiliis euacuandus, reuellendus, & repellendus. Imprimis itaq; æger moretur in aere frigido & humido qui arte parari potest, si ædiũ pauimentum

c. 16. d. 1. t. 1. l. 1.

c. 3. d. 2. t. 2. l. 1.

c. 21. & 39. d. 3. t. 1. l. 1.

mentum assidue liquoribus irroretur, floresq; ac germina quæ frigidæ humidæq; facultatis sunt, per aream spargantur, ac omnia quæ excalfaciunt remoueantur. *Victus* frigidus & humidus sit, nec nimiopere tenuis, quia naturis biliosis inimica est inedia. Vtatur sæpe *iusculis carnium lactuca, portulaca, oxalyde*, aliisq; id genus oleribus alteratis, piscibus saxatilibus, fructibus, etiam crudis, pomis, pyris acidis. *Potus* sit aqua, aut ptisana. Vino autem prorsus abstineat, quiescat, longiori somno indulgeat, lætetur, & omnes animi perturbationes declinet. Vtatur item medicamentis refrigerantibus quæ bilis feruorem restinguant, impetum furoremq; obtundant, *vt iulepo rosato syrupis de granatis, de limonibus, acetoso, violato, nymphæato, cum aqua cichorij, rosarum, lactucæ, vel decocto cichorij totius, endiu. lactuc. oxalydis, seminum cucumeris, cucurbitæ, portulacæ, florum violar. nymphæa, rosar. prunorum Damascenorum, ziziphorum myxorum &c.* Hac ratione bilis cocta & veluti subacta ac edomita, naturæq; obsequens reddita, cholagogis vacuanda & reuellenda est. Exhibeatur ergo potus *ex rhabarbaro ad ʒ ij. cum spicæ ϑ j. in aquæ intybi ʒ iij. infuso*, deinde valenter expresso, additis *diapruni simplicis vel solutiui ʒ ij. & syrupi rosarum pallid. ʒ j. vel ex decocto Manipul. vnius cichorij, lactucæ nouellæ, endiu. oxalyd. florum violarum & nymphæa, cum tamarindorum, & prunorum Damascenorum an. ʒ j.* in quo infundatur *myrobalan. citrin. ʒ ß.* dissoluaturque *syrupi violati ʒ j.* vel *catapotia aurea*, de *rhabarbaro* aut de *hiera simplici* deglutiantur. Clysteres refrigerantes in quibus cholagoga, vt *diacaßia* & *catholicum* sint dissoluta, frequenter iniiciantur, ad materiam in caput
a.33.34. & 35.d. 3.t.1. l.1. & c.2. ruentem deorsum auertendam. Si dolor à purgatione nequaquam mitescat, mittendus sanguis, non modo ad redundãtis bilis sanguini permistæ euacuationem, eiusq; in caput impetum facientis reuulsionem, sed etiam ad diffiationem & refrigerationem adeoq; doloris sedationem. Parce tamen detrahendus, quod eo largius vacuato laxatis veluti habenis bilis incandescat ac efferuescat. Ea de causa & cucurbitulæ homoplatis affigendæ, primum leues, deinde cum scarificatu. Interim topica etiam ab initio admouenda quæ fluentem in caput materiam reprimant repellantq;, ac calidam capitis intemperiem coniunctam vna oppugnent, vt *oxyrhodinum, oleum rosatum, aqua vel succus plantag. rosarum*, quibus synciput, frons, & tempora illinantur. Istæc remedia si intolerabilis eludat dolor, ad Narcotica veniendum erit, sed quæ
a.8.12.d.3. t.2.l.1.
a.10.d.3. t.2.l.1.

nec ita valentia ſint, nec diu hærere permittãtur, præſertim capiti membro principi & frigido. Adhibeatur itaq; fronti conſerua nenupharis vnguento populeo permiſta, aut linteum *oleo hyoſcyamino vel nenupharino* imbutum raſo ſyncipiti applicetur: vel *opij v. vel vj. grana oleo de caſtoreo* diſſoluantur, pro litu frontis & temporum, vel *opij ℈ j. nucis moſchat. vel caryophyll. ʒ* j. diſſoluantur *lacte mulierbri*, vel *aqua roſacea*, & naribus illinantur, vt inſpirando medicamenti qualitas ad capitis interiora perueniat. Materia autem bilioſa quia facile ob leuitatem, raritatem & tenuitatem exhalat, vix vllas ſui reliquias in capite ſuperſtites facit, quæ diaphoreticis egeant. Sed de propoſiti doloris diagnoſi, prognoſi, & therapia ſatis ſuperq; dixiſſe videor.

Conſultabat Frambeſarius pro ſtrenuo iuuene, in exercitu Ducis Guiſiani, Valcolori laborante, menſe Iulio, an. 1587.

CONSVLTATIO V.

De Cephalalgia melancholica.

GRauem hunc ac perſeuerantem capitis dolorem ab atra bile procreari conſtat, cum cauſæ ac notæ eius in corpore redundantis euidentes ſint, temperies ſicca & calida quidem à principio, ἐκ μεταπλώσεως autem frigida, ætas inclinans, autumnale tempus, victus ratio craſſior, vitæ conditio triſtis, multis curis, contemplationibus, ac literarum ſtudiis implicita, nulla interpoſita animi hilaritate, ac corporis exercitatione: color fuſcus, obſcurus ac nigricans, habitus ſiccus, macilentus, hirſutus, aſpectus horridus ac mœſtus, pulſus paruus & depreſſus, ſomnus turbulentus horrendis inſomniis fluctuans. Quod ad *prognoſim* artinet, metus eſt grauiorum morborum impendentium, vt Melancholiæ, vel Maniæ, vel Quartanæ febris. Quæ omnia vt præcaueantur, dolorq; ſedetur, melancholicus craſſũſq; ſuccus, quo corpus ſcatet, victu & medicamẽtis incidentibus extenuatus apteq; præparatus, ſenſim melanogogis repurgãdus eſt, *vt ſenna, cuſcuta, epithymo, myrobalanis Indis, catholico, cõfectione hamech, pilulis de fumaria, de lapide lazuli, Indis &c.* Deinde materia cõiuncta apophlegmatiſmis & errhinis per os & nares eliminanda: tũ admotis topicis intẽperies capitis emẽdanda, parſq;

e.17.d.1.t. 1.l.1.

e.4.d.2.t. 2.l.1.

c.1.d 3.t.2. l.1.

laborans corroboranda erit. Hæc breuiter de propositi symptomatis diagnosi, prognosi, & curatione dicta sint.

Consultabat Frambesarius pro Theologo, Parisiis, anno 1586. mense Octobri laborante.

CONSVLTATIO VI.

De Cephalalgia pituitosa.

c.18.d.1. t.1.l.1. CEphalalgiam à pituitosa materia excitatam esse indicant imprimis ægroti temperamentum frigidum & humidum, prouecta ætas, hybernum tempus, antecedens victus frigidus & humidus, vita deses, somnus multus, & alia id genus, quæ pituitæ prouentum faciunt: deinde manifesta eius in capite reliquoque corpore redundantis signa, grauans tensiuusq; dolor, magna in somnum propensio, pigritia, albicans facies & œdematosa, frigentia tempora, oculi, nares, os humentia, c.10.d.2. t.1.l.1. nulla sitis, pulsus paruus. Quod ad *prognosim* spectat, cum hic affectus laborantis naturæ, habitui, ætati ac tempori consentaneus sit, minus c.5.d.2.t.1. videtur periculosus, sed chronicus est proculdubio futurus, tum propter hyemem quæ morbis diuturnitatem addit, tum propter pituitam l.1. crassam, lentam & viscidam, angustos capitis meatus obstruentem, quæ non nisi pedetentim longoq; tempore educi & discuti potest. Ad c.9.d.2.t.1. curationem victus ratio tenuis, calefaciens & exiccans imprimis in- l.1. c.21.d.3.t. stituenda. Aer itaq; in quo æger versabitur, arte reddatur calidus & 1.l.1. siccus, luculento igne, suffitibus aromatum, vt *caryophyllorum, cinamomi, ligni aloes, & similium:* vescatur pane fermentato, salso, bene cocto, cui anisum fuerit admistum, carnibus magna ex parte assis, & odoramentorum accessione conditis, *ouis sorbilibus: ex oleribus, petroselino, serpyllo, saluia, hyssopo, thymo, satureia, maiorana: ex fructibus, uuis passis, amygdalis dulcib.* Pro potu vtatur vino tenui, alias hydromelite. Diu- c.43.d.3.t. tius solito vigilet, corpus animumque exerceat. Aluus pigra arte 1.l.1. subducatur. Hac victus ratione instituta, phlegmaticus humor præ crassitie ac lentore tenax & contumax accurate concoquendus, & ad eductionem apparandus: tum euacuandus, auertendus, deriuandus, discutiendus, coniunctaq; capitis intemperies corrigenda, ac laborans pars corroboranda. Ad phlegmaticum humorem præparandum medi-

medicamenta quibus extenuandi, incidendi & detergendi vis ineſt exhibenda, primum clementiora, vt *mel roſatum, oxymeli ſimplex, ſyrupus acetoſus ſimplex*, deinde valentiora vt *oxymeli compoſitum, ſcyllitícum*, item *ſyrupi de quinq; radicibus, de ſtœchade, cum duplo aquarum cephalicarum, maiorana, betonica, ſaluia, meliſſophylli; per plures dies matutinis ac veſpertinis horis, iulepi forma dandi*: vel apozema parandum ex *radicum quinq; aperientium ana* ℥ j *radicum ireos, acori ana* ℥ ij *foliorum hyſſopi, serpylli, origani, maiorana, betonica, calaminthes ana M. j. ſeminis carthami* ʒ vj. *ſeminum aniſi, fœniculi, cardui benedict. ana* ℥ ij. *florum anthos ſtœchados, ſaluia ana P. j. decoctis ad* ℔ j. in cuius colatura diſſoluantur *ſyrupi de hyſſopo, & oxymelitis ſimplicis ana* ℥ ij. *pro quatuor doſibus, cinamomi, aut nucis moſchatæ* ℥ j. *conditis*. Simulac autem humor blandioribus auxiliis apparari ceperit, phlegmagogis primum etiam clementioribus ſenſim purgandus erit, vt *pilulis ex hiera Galen. aſſaieret Auicennæ elephanginis Meſuæ*, ſumptis hora ſomni *ad* ℈ ij. Præparatus deinde exactius per valentius concoquentia, totus ſi fieri poteſt euellendus & vacuandus, catharticis etiam valentioribus ſemel atq; iterum ſumptis, vt catapotiis *ex agarico cocciis, fœtidis ad* ℥ j. *vel bolo ex agarici trochiſcati* ℈ iiij *diaphœnici* ℥ iij. *caſſiæ recens extractæ* ℥ vj. vel potione *ex agarici trochiſcati* ℥ j. *& myrobalanorum cepularum* ʒ ij. *in hydromelite infuſis*, adiectis *diacarthami* ℥ iij. *ſyrupi roſarum pallid.* ℥ j. Clyſteres etiam *ex decocto betonicæ, maioranæ, ſtœchados, florum meliloti, chamæmeli, maluæ, braſſicæ, melle roſato, diaphœnico, vel benedictæ laxatiua*, vel *hiera diacolocynthidos ſale, & oleo chamæmelino, anethino, vel rutaceo*, ſæpius iniiciendi ſunt, non ſolum ad euacuationem eorũ quæ in inteſtinis continentur, verumetiam ad reuulſionem eorum quæ ad caput feruntur. In quem vſum & *balani acres, ex melle, ſale & puluere hieræ* conducent. Nec omittendæ erunt, reuulſionis gratia, frictiones brachiorum ac crurum, necnon cucurbitulæ citra ſcarificationẽ in occipitio ac dorſo affixæ. Poſthæc pituita in capite reliqua partim per os deriuanda apophlegmatiſmis, ex manſu *maſtiches, vuarum paſſarum, piperis, pyrethri, ſtaphydos agriæ*: & gargariſmis ex *decocto hyſſopi ſaluiæ, thymi & oxymelite ſcyllitico*: partim per nares, *errhinis ex ſucco maioranæ, betæ, vino albo, gingibere, pyrethro, nigella*, ac ſternutatoriis ex *pyrethro, pipere, caſtoreo, elleboro albo, euphorbio*. Ad pituitæ præterea reliquias penitus diſcutiendas, coniunctamque in-

c. 15. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 5. d. 3. t. 2. l. 1.

temperiem frigidam & humidam vna emendandam, atque caput pristinæ constitutioni restituendum roborandumq;, sumenda mane *theriaces* aut *mithridatij veteris* ℥ j. semel in hebdomada, sex horis ante cibum, *acori conditi* ℥ ß. duabus horis ante pastum per se, vel cum *aqua maiorana, betonica, saluia.* Item *conserua anthos, saluiæ, betonicæ ad* ℥ ij. Admouendaq; extrinsecus topica conuenientia, vt vnctiones *ex oleo anethino, chamæmelino, liliorum, cõtino:* irrigationes ex *decocto foliorum lauri, florum betonicæ, maioranæ, meliloti, in vino rubro* : Sacculi ex *milio, sale, seminibus anisi, & fœniculi* torrefactis in sartagine : Pomum odoriferum *ex maiorana, stœchade, caryophyllis, cinamomo, nuce moschata, benionino, styrace, &c.* aliaque id genus. Sed de Cephalalgiæ diagnosi, prognosi, & curatione quidem satis.

Consultabat Frambesarius pro ciue Cranensi, anno 1587. mense Ianuar. laborante.

CONSVLTATIO VII.

De dolore capitis à flatu.

c.19. d.1.t. 1.l.1. &c. CApitis dolorem à flatu excitatum esse indicant tensionis sensus citra grauitatem ac pulsum, aurium tinnitus, acantecedens flatu-
5.d.1.t.2. l.1. lentorum ciborum vsus, necnon dolor vagus & locum subinde mutans, ac statis fere diei horis repetens. Flatus autem non in capite modo gignitur ab imbecillo calore, verum etiam à subiectis partibus in caput
c.9.d.2.t. 1.l.1. effertur ex materia crassa, frigida, pituitosa redundãte susciatus. Vnde hic affectus solutu contumax, & diuturnus futurus est. Ad curationem victus ratio excalfaciens nec flatus generans imprimis instituenda,
c.21.d.3.t. 1.l.1. deinde acria enemata *ex decocto malu. bismalu. parietar. mercurial. centaur.*
c.39.d.3.t. 1.l.1. *salu. maior. origan. hyssop. seminum anis. fœnic. florum anth aneth. chamæmel. melilot. hiera picra, benedicta laxatiua, diaphœnico, melle anthosato, sacch. rub. oleo chamæmel. anethin.* & similibus parata frequenter erunt iniicienda, ad materiam pituitosam per aluum deturbandam, ex eaque ortum fla-
c.12.d.3.t. 2.l.1. tulentum spiritum ad caput vergentem deorsum reuellendum. Tum odoramentis vtendum & iis quæ sternutamenta proritant. Interim topica extrinsecus adhibenda, initio repellentia, quæ moderate refrigerent

gerent ad influentem ſpiritum præagitatione excalfactum reprimendum: mox mitigantia & concoquentia: tum diſcutientia ad flatuoſum ſpiritum meatuum anguſtiis infractum concoquendum & attenuandum, attenuatum q; reſoluendum, necnon & imbecillum caput corroborantia, vt nec flatus gignat amplius, nec influentes admittat. Admouendum itaq; quamprimum dolenti capiti oleum roſaceum, quod videlicet repulſorium, mitigatorium, concoctorium, ac præterea diſcuſſorium ſit, vt Galeno placet. Idq; cum aceto, quod & repulſoriam ſimul, & attenuatoriam imo & diſcuſſoriam facultatem habeat, eodem authore. His mox admiſcendum erit *oleum chamæmelinum, aut anethinum*, quod à materia frigida oriatur flatus. Si malum augeſcat, Archigenis authoritate, irrigatio facienda erit ex ruta viridi *cum aceto & oleo trita*, aut *ex ſucco radicum iridis cum aceto*. Polygonum quoque cum *ruta, oleo & aceto dilutum*, aut *ſerpyllum cum aceto & oleo tritum*. Vt & *amygdalæ amaræ cum oleo & aceto tritæ*, cerati craſſitudine ex linteolo frontiinductæ magnopere conferent. Poſthæc *laurinum oleum cum ruta & aceto* illinendum. Maximeq; ſacculi erunt applicandi ex *milio & ſale torrefactis infartagine parati, vel ex maiorana, ſerpyllo, abſinth, ſalu. ruta, floribus cumini, carui, auci, floribus ſalu. anth. ſtœch. torrefactis leuiter ſuper* tegulam vel laminam ferri ignitam. Cucupha etiam, *ex puluerum galang. calami aromatic. cyperi an ℥j. corticis citrei ſicci, ſantalorum omnium an. ℥ß. folior. beton. meliſſ. hyſſop. ſalu. calamint. origan. & puleg. ſiccorum an. M. ß. nucis moſchat. caryophyll. ſeminis ruta, gingib. & pyrethri, roſarum, granorum & folior. myrthi an. ℥ij. parata*, interdiu noctuque geſtanda. Cuius beneficio caput ſic corroborabitur, vt ſi quid ſuperſit euaporandum, id facile diſcutiatur, neque deinceps flatus tam prompte gigni vel admitti poſſit. Proderit & in eum finem *diacuminiaut dianiſi ℥j.* aſſumere, aut tantumdem theriacæ vel mithridatij.

lib. 2. de comp. med. κατὰ τόπους

Conſultabat Frambeſarius pro Barone Hermanuillæo, in exercitu Ducis Mayennenſis, Mineruæ, anno 1592.

CON-

CONSVLTATIO VIII.

De dolore capitis à calido vini generosi vapore genito.

VInum generosum meracius ac liberalius ingestum caput ideo dolore tentat, quod ipsum omnino calidis vaporibus repleat, interiores membranas distendentibus ac ferientibus. Vnde cruciatus ingens excitatur, sed qui diu duraturus nō sit. Ad huius curationem prohibendus imprimis vaporum in caput ascensus, deinde qui in ipsum iam recepti sunt, discutiendi. Ad prohibendos vapores in sublime permeantes, euacuatione & refrigeratione opus est. Itaq; crudum adhuc vinum in stomacho fluctuans euacuandum vomitu, hausta repente *aqua pauco aceto vel acetoso syrupo permista*, vel potius deiectione, *iniectis balanis* vel clysteribus acribus, sumptis etiam catapotiis aliquot Ruffi, vel ex *hiera*, vel similibus. Deinde refrigerantibus medicamentis vapores qui ex alto ad caput feruntur reprimentibus vtendum est, quale rosaceum est per se & cum *aceto* aut cum *hedera aut brassicæ succo*. Quin & ipsa brassicæ folia in aqua calida macerata & capiti circundata, illigataq; φυσικῶς (vt post Galenum scribit Ægineta) hoc est naturali quadam proprietate & ἀντιπαθείᾳ ebrietati resistunt, vt quæ vapores resiccent. Eiusdem etiam decoctæ esus in id efficax est. Cornu etiam cerui num, verbenacæq; rectæ semen ex aqua potum proprietate naturali ebrietatem sedant: vt & *amaræ amygdalæ*, quinq; aut septem ieiuno oblatæ, ebrietatem arcere creduntur. Habenda deinceps ratio somni & quietis. Postea cibis vtendum erit refrigerantibus ac vapores arcentibus, boniq; succi & stomacho vtilibus, vt *ptisanæ cremore, ouis sorbilibus, pullis columbarum, piscibus saxatilibus ex oleribus, lactuca ex fructibus, cydoniis, malis & pyris adstringentibus pane ex aqua loto*. Pro potu *aqua, hydroroſato cum vino granatorum*. Ad vaporum autem reliquias tenuibus capitis meatibus impactas penitus discutiendas, *rosacei olei loco*, vtendum primum *chamæmelino* moderate calido, postea irino, cuitandem nardinum vel costinum vel aliud generis eiusdem (si opus fuerit) admiscendum. Ad id etiam quod in caput iam repsit resoluendum, proderit & moderatus vini potus, iuxta illud scholæ Salernitanæ consilium.

c. 7. d. 3 s. 1. l. 1.

Sino-

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc matutina rebibas, & erit medicina.

Non enim ſine ratione (vt ait Hollerius) vulgo perſuaſum eſt, vini noxam, vim potu elui. Nam quæ mala ſuæ ſubſtantiæ tenuis copia inuexit, eadem ſua qualitate tollit, calefaciendo & exſiccando. Itaque vapores craſſi diſpergunt eo modo, quo dolores oculorum inde ortos ſcripſit Hippocrates meraca potatione diſcuti. In eundem finem remittente dolore plures ante cibum deambulationes plurimum conducent, vt & balneum, in quo caput aqua calida erit perfundendum. Hac ratione capitis dolor ab ebrietate profectus videtur curandus.

Conſultabat Frambeſarius pro Comite Tubingenſi, anno 1592. Cameraci laborante.

CONSVLTATIO IX.

De Cephalæa.

DIuturnus ac contumax capitis totius dolor qui Dominum frequenter leui occaſione exercet, Cephalæa eſt, non ea quidem leuis, ſed maximas habens exacerbationes, adeo vt neq; ſtrepitum ferat ægrotus, neq; vehementiorem vocem, neq; luminis ſplendorem, neq; vini potionem, neq; odoramenta caput replentia, neq; motum, ſed in quiete & tenebris præ doloris vehementia cupiat decumbere, vt cui videatur caput veluti à malleo obtuſo pertundi. Cumq; ad oculorum radices vſq; extendatur dolor, nec capitis preſſu exacuatur, intra caluariam potius videtur cõſiſtere. Quod ad *prognoſin* ſpectat, hic affectus curatu difficilis, propter frigidã capitis intemperiem, ac magnam inde imbecillitatem à longo tempore contractam, vnde magnus fit frigidorum pituitoſorum q; excrementorum in cerebro prouentus, ex quibus capitis dolor grauis tam frequens excitatur. Ad tentandã curationem, victus ratio calfaciens & exſiccans imprimis inſtituenda, deinde materia craſſa ac viſcida incidẽ e & detergente apozemate præparata per epicraſim purganda eſt, modo *pilulis coccijs ac de agarico*: modo potionibus pituitam ducentibus: modo *ſyrupo cathartico ex cephalicis & phlegmagogis* comparato: necnon & clyſteribus acrioribus pituitam deorſum

c. 3. d. 1. t. 2. l. 1.
c. 6. d. 1. t. 2. l. 1.
c. 2. d. 2. t. 2. l. 2.
c. 21. d. 3. t. 1. l. 1.
c 43. d. 3. t. 1. l. 1.
c 39. d. 3 t. 1. l. 1.

auertentibus: tum masticatoriis, apophlegmatiſmis, errhinis & ſternutatoris pituita per os & nares eliciẽda. Interim topica etiam valentiora extrinſecus admouenda ad reliquias humoris diſcutiendas, cerebri intemperiem emendandam, caputq; roborandum, cuiuſmodi ſunt *olea de caſtoreo & euphorbio* raſo capiti illinenda. Item *puluis ſeminum cumini & fœnicul. baccarum lauri, nucis moſchat. cinamomi, caryophyll. gallia moſchat. maſtich. ſandaracæ, &c.* capiti inſpergendus. Sacculi item & ſuffitus, cauterium tandem ceruici & brachio ad muſculum Deltoida vocatum, quo humeralis vena perreptat, applicandum, vt commode deriuari ac retrahi materia poſſit. Quod ſi his præſidiis ſæpius iteratis malum non ceſſerit, diæta tenuis viginti dierum ſpatio eſt imperanda, ligniq; ſancti decoctum bis quotidie offerendum, ad craſſos humores attenuandos atq; diſcutiendos per ſudores. Si quæ ſit curationis ſpes, his molienda videtur remediis.

e.40.d.3. 9.1.l.1.

Conſultabat Frambeſarius pro generoſo viro, Catalaunis degente anno 1587.

CONSVLTATIO X.

De Hemicrania.

e.3.d.1.t.1. l.1.

HEmicrania Græcis dicitur dolor cui iamdiu hic iuuenis eſt obnoxius, dimidiam capitis partem nunc dextram nunc ſiniſtram occupans. Huius continens cauſa vaporoſus eſt ſpiritus, qui quoties paulo liberalius vel meracius vinum æger ingerit vinoſum, vel ſolito vehementius ſe exercet, vel æſtiuo Soli aliquantulum immoratur, vel irascitur, vel diuturniori inedia vritur, vel ex alia leui occaſione à bilioſo ſanguine excalfacto ſurſum elatus, cerebri meningas vel pericranium ferit ac vellicat. Cum enim aliquando ad oculorum vſq; fundamenta dolor pertingat, nec capitis preſſu exacuatur, aliquãdo nec manus conractum facile ferat, nec capillorum radices inuerti ſinat, palã eſt quandoq; pericranium, quandoq; interiores membranas dolore affici. Per breuia autem interualla vel è leuiſſima occaſione vehementer exacerbatur quod caput præ immodicis lucubrationib. valde illi imbecillum aptiſſimum ſit vt calidis vaporib. impleatur, vniuerſiq; corporis habitus tenuis atque ratus ad ipſum implendum admodum ſit idoneus, vt

e.6.d.1. 9.2.l.1.

qui

qui vapores facile tranſmittat, hinc fit vt affectio hæc curatu ſit difficillima propter capitis εὐπαθείαν, cum naturæ vitia vix ars vlla poſſit corrigere: cumq; iam per multos annos altiſſimis ſit defixa radicibus, haud facile radicitus euelli poteſt. Ne tamen tam ſæpe recurrat, nec tam grauiter affligat, cane peius & angue vitādum quicquid ſanguinem vehementius excalfacit, idq; omne quod vaporum acrium copiam ſurſum ad caput mittere poteſt, vt merum generoſum, allium, cæpe, ſinapi, raphanus. Cephalica autem vena quæ è directo male affectæ particulæ eſt incidenda, vbi plenitudo apparebit, ad calidiorem ſanguinem refrigerandum, & inde vaporum ad caput facile permeantium prohibendam generationem. Victu præterea & medicamentis refrigerantibus ſanguis contemperandus. Biliſq; illi permiſta benignis cholagogis per epicraſim repurganda. Ac clyſteribus refrigerantibus, quibus cholagoga admiſta ſint, ſæpe injectis deorſum reuellenda, admotiſq; cucurbitulis, ligaturis extremitatum, ac frictionibus ab affecta parte aliorſum auertenda. Vniuerſo corpore vacuato, ad topica veniendum Hemicranica, ſed quæ aliquam refrigerandi & adſtringendi vim poſſideant, ad calidos vapores reprimendos, caputq; roborandum. Hæc ſummatim dicta ſint.

1. Conſultatio, pro nihili viro Ducis Guiſiani à cubiculo, Remis anno 1587. menſe Maio laborante.

2. Pro honeſto viro, Guiſiæ, anno 1591. menſe Nouembri laborante.

3. Pro ingenuo adoleſcente, Mazoni anno 1587. menſe Aprili. dolente.

4. Pro ſtrenuo iuuene in exercitu Ducis Guiſiani, Valcolori laborante, menſe Iulio, anno 1587.

5. Pro Theologo, Pariſiis an. 1586. menſe Octob. laborante.

6. Pro ciue Cranenſi anno 1587. menſe Ianuar. laborante.

7. Pro Barone Hermanuillæo, in exercitu Ducis Mayennenſis Mineriæ, anno 1592.

8. Pro Comite Tubingenſi, an. 1592. Cameraci laborante.

9. Pro generoſo viro, Catalauni degente anno 1587.

10. Pro ingenuo iuuene, à cubiculo Comitis Briennenſis, Lignici Barrorum, an. 1592. menſe Iunio conquerente,

LEGVM MEDICARVM NICOLAI ABRAhami Frambesarij

LIBER TERTIVS.

Continens veram Methodum curandi affectus & morbos qui organis sensuum exteriorum accidunt.

Ordo morborum qui hic describuntur.

PRIMVM locum inter sensus exteriores sibi vendicant oculi, vnde de his primum dicitur: *deinde* de morbosis affectibus Aurium: *tertio* narium, & continenter de Gula, quæ extremũ locum obtinet partium animalium, & via est ad partes vitales & naturales.

Notabiliores morbi & frequẽtiores, qui oculis accidunt, hi sunt. Ophthalmia, Amaurosa, Cataracta. Auribus: Surditas & difficultas audiendi. Naribus Hæmorrhagia & graueolentia halitus. Inter Gulæ fauciumq; morbos potissima est Angina.

TITVLVS I.

De ophthalmia.

Distinctio 1. De ophthalmiæ diagnosi.

CANON I.

Morbi oculorum frequentiores.

INter oculorum morbos, Ophthalmia vera & non vera, amaurosis & amblyopia, cataracta vulgo dicta, & consentanea illi vitia frequenter infestant.

II.

Quid Ophthalmia.

Ὀφθαλμία ἐστὶν ἡ πφυκότ & ὑμὶν & τῷ κερατοειδεῖ φλεγμονή. Ophthalmia est inflammatio eius membranæ quæ corneæ adnascitur. Galenus c. 1. l. 2. de att. cur. ad Glauc. Celsus ὀφθαλμίαν latine Lippitudinem nominat.

III.

Quæ ophtalmiæ signa.

Ophthalmiam indicant tumor, tensio, dolor, calor, ruborq; adnatæ tunicæ: ac præterea lachrymæ ex oculis manantes, atque sordes in maioribus angulis inhærescentes. *Ex variis auth.*

IV. Gi-

IV.

Gignitur Ophthalmia ex sanguine copiosiore in adnatam tunicam affluente. Si autem sanguis purior existat, maior in parte tumor, rubor, tensio, lachrymæ crassiusculæ neq; acres neq; erodentes, sordes molles in oculorum angulis, venæ latiores: si billiosior fuerit, minor in superficie tumor, color subpallidus, dolor acer & mordax, lachrymæ tenues, admodum feruidæ erodentesq;, sordes in angulis siccæ & asperæ: Si pituitosior sit, laxus tumor, color albus, plures lachrymæ, sordes molliusculæ, nec ita intenduntur symptomata. Ex ægri autem temperie, habitu, ætate, anni tempore, victus ratione præcedente, qualis fuerit sanguis præterea dignoscetur. *Ex Holl. Gorr. & aliis.* *Quæ ophthalmiæ causa, quibusq; notis internoscatur.*

V.

Vbi oculi subaridi neque tument neque fluunt, sed rubent tantum, & cum dolore quodam leui & prurigine graueſcunt, ξηροφθαλμία id est arida lippitudo dicitur. *Ex Aet. Celſ. Gorr.* *Quid ξηροφθαλμία.*

VI.

Calida oculi intemperies cum rubore exiguo, & miti quodam dolore sine tumore à causa externa, vt sole, fumo, puluere inducta, non vera est ophthalmia, sed ταραξις, perturbatio appellatur. Taraxis tamen in veram ophthalmiam facillime degenerat, cum veluti phlegmones quoddam initium sit. *Ex Paul. Altomar. Holler. Syluio.* *Quid ταραξις.*

VII.

Si vtræque palpebræ ex vehementi inflammatione inuersæ fuerint, adeo vt oculus apertus maneat, nec claudi possit, albo nimirum oculi in tumorem sublato atque eminente, nigro vero subsidente & veluti hiatum quemdam efficiente, non vere amplius ophthalmia, sed χήμωσις dicitur. *Ex Paul. Altomar. Hollerio.* *Quid χήμωσις.*

VIII.

Si palpebræ tantam inflammationem patiantur, atque ita in sese concidant, vt oculus aperiri nequeat, φίμωσις est, id est præclusio quædam eorum quæ secundum naturam aperta & recluſa esse debent. *Hollerius ex veterum decretis.* *Quid φίμωσις.*

DISTINCTIO II.

De Ophthalmiæ prognosi.

CANON I.

Vi Ophthalmia diarrhœa superuenire bonum.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης λῆφθῆναι, ἀγαθόν. Lippientem alui profluuio corripi bonum. *Hipp. aph. 17 l. 6.* Quia humoris copia ex qua lippitudo gignitur simul euacuatur, & ad inferiora retrahitur atque deriuatur. *Galenus.*

II.

Periculosum Ophthalmiæ signum.

Periculum est exulcerationis pupillæ cum acres ac feruidæ manant ex oculis lachrymæ. Ac magnus inde subest cæcitatis metus. *Ex Cels. Altom. & alijs.*

III.

Qui morbi Ophthalmiæ negligenter curatæ succedant.

Si Ophthalmia negligenter curetur, facile in suffusionem, vel pupillę dilatationem, nonnunquam in tabem vel corrugationem desinit. *Ex Galeno.*

DISTINCTIO III.

De Ophthalmiæ therapia.

CANON I.

Generalia medendis oculorum doloribus remedia.

Ὀφθαλμῶν ὀδυνάς ἀκρητοποσίη, ἢ λετρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει. Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum aut venæ sectio, aut purgans medicamentum soluit. *Hippocr. aph. 31 l. 6.*

Diorismi in horum remediorum vsu adhibendi.

Non sunt hæc vsurpanda remedia ἀδιορίστως sine determinatione, cum oculorũ dolores aliqui meri potu soluantur, alij balneo, nonnulli venæ sectione aut medicamento. Nam quibus sanguinis crassioris copia in oculorum venulis continetur citra corporis totius plenitudinem, ij vini potu juuantur, vtpote quod excalfacere, diffundere sanguinem, & sui motus vehementia obstructiones aperire ac digerere possit. Balneum autem confert iis in quibus cum nulla cruditatis signa appareant, nec sit plenum corpus, in oculos tamen influunt acres humores, qui balneo dulcis aquæ fusi aut excernuntur, aut certe diluti mitigantur. Porro fomentis calidis locus est, vbi fluxus constiterit, vt discussio fiat eius quod in oculorum tunicis superflue derelictum est:

ve

vel si aliquid adhuc influit, fomentum adhiberi potest, non vt causa salubris, sed vt qualis sit ægri dispositio certius inde cognoscatur. Hic caute se gerat medicus, ne dum fomento dolori medetur, alteram fluxionem irritet. Nam qua ratione fotus potest id quod in oculis continetur discutere, eadem potest ex vicinis attrahere nouam fluxionem. Prodest ergo vel tanquam causa sanitatis oculorum, vel tanquam signum ad dignotionem, vnde nos dispositionē ægri comprehendentes, ad totius corporis euacuationem perueniamus: ipso quidem sanguine redundante, per venæ sectionem: sed malitia humorum infestante per purgationem eius qui molestus erit. *Ex Galeno.*

II.

Quot in Ophthalmia curanda scopi.

Ad Ophthalmiæ curationem tria requiruntur, primum vt victus ratio tenuis atq; refrigerans quæ phlegmonem augeri prohibeat, instituatur. deinde vt materia antecedens venæ sectione, purgatione & aliis id genus auxiliis dematur: tum vt causa coniuncta topicis remoueatur, initio repellentibus per se adhibitis, incremento reprimentibus & digerentibus permistis, in statu meris resoluentibus, in declinatione discutientibus, & corroborantibus. *Framb.*

III.

Cur topica hic subinde immutanda.

Hic subinde imponenda medicamenta, quia eluuntur nouo humore, & lachrymis affluentibus. *Holler.*

IV.

Cur hic errhinis locus non sit.

In Ophthalmia nunquam tuto errhina præscribuntur, propter oculorum & narium sympathiam. *Duret.*

V.

Qua in minima oculi inflammatione auxilia sufficiant.

In exigua inflammatione, maioribus remediis non est opus. Sed rosarum succo, oui liquore tenui, aqua rosarum aut plantaginis, lacte muliebri curari potest. *Hollerius.*

CONSVLTATIO XI.

De Ophthalmia.

COnspicua hæc adnatæ oculi membranæ inflammatio cum tumore, tensione, calore, rubore atque dolore mordaci, acres accersens

c. 1. 3. & 4. d. 1. t. 11. l. 1.

cerſens lachrymas,ac ſubinde ſiccas aſperaſq; ſordes in canthis maioribus inhęreſcentes,vera eſt ophthalmia,quam tenuis bilioſio; ſanguinis copioſioris fluxio, è temporum angulorumq; venis in obſcuras & latentes oculi venas irruens excitauit,vt ex ægri temperamento, ætate, anni tempore,conſueta victus ratione, cæteriſq; cauſis bilioſi ſanguinis copiam exaggerantibus conſtat. Quod ad *prognoſim* attinet,ſi malum diutius perſeueret, metus eſt exulcerationis oculi, præ lachrymarum manantium acrimonia impendentis, quæ cæcitatis periculum adferret. Itaq; expeditam opem requirit hic affectus. Curatio tribus capitibus continetur,primo vt victus ratio tenuis atq; refrigerans quæ phlegmonē augeri prohibeat,inſtituatur:ſecundo vt cauſa antecedens auferatur: tertio vt coniuncta materia remoueatur. Imprimis igitur æger cibo parciore vtatur,quo partes inanitæ auidius quod habent humorum retineant, ne ad oculum dolentem confluant. Abſtineat *vino, carnibus,ouis,lacte,alliis,capis,ac omnibus deniq; alimentis polytrophis,vaporoſis, acribus atq; ſalſis.* Bibat aquam in qua coriandri præparati ſemen, vel hordeum fuerit decoctum. Decumbat in obſcuro ac tenebroſo loco, quia lumen humores commouet,atq; in aere frigido. Caueat ab animi perturbationibus,corporis exercitio, venere,quietem eligat. Aluum frequenter exoneret. Ad demendam antecedentem cauſam ſecanda vena humeralis,quæ è directo eſt laborantis oculi, non ſemel tantum, ſed bis aut ſæpius ſi neceſſitas vrgeat: ac perſeuerante malo etiam vena vel arteria frontis vel temporum,Galeni conſilio. Imperanda deinde purgatio quæ bilem ſanguini permiſtam educat & vacuet,ex *diluto* ʒ ij. *rhei electi,&* ʒ iij. *myrobalan.citrin. cum cinamomi* ℈ *j. in aqua cichorij infuſ. in quo catholici vel elect. de ſucco roſarum* ʒ *ij. & ſyrupi roſarum pallidar.* ʒ *j. diſſolutæ fuerint.* Vel ex *caſſiæ* ʒ *j. & rhei* ʒ *j. in bolos concinnatis*, niſi malit *pilulis aureis & lucis vti.* Vacuato corpore bilioſi ſanguinis ad oculum fluentis impetus deorſum ad ignobiliores corporis partes frictionibus, ligaturis artuum,cucurbitulis leuibus & cum ſcarificatione ſcapulis & ceruici affixis reuellendus erit. Ad coniunctam materiam amouendam topica ſunt adhibenda, initio quidem phlegmones repellentia, cuiuſmodi ſunt collyria adſtringentia,& anodyna oculo imponenda,*ex mucag. ſeminum pſyllij & cydoniorum in aqua plantag. extractæ an.* ʒ ß. *aqua roſarum,lactis muliebris an.* ʒ *ij. trochiſc. alb. Rhaſ.* ʒ *j. & albumine vnius ouiparata:*

& ana-

c.16.d.1.t. 1.l.1.
c.2.d.2.t. 11.l.1.
c.2.d 3. t.11.l.1.
c.33. & 34. d.3.t.1.l.1.
c 39. d.3.t. 1.l.1.
c.49.d.3.t. l.l.1.

& anacollemata quæ vias contrahant per quas fluit materia, fronti & temporibus aptanda, *ex bolo Armena, terra ſigillata, maſtiche, ſanguine draconis, & ſimilibus, albumine oui exceptis.* Incremento autem digerentia repellentibus admiſta, vt *aquæ fœniculi, euphraſ. verben. chelidon. maioris, & mucagines lini, althææ, fœnigræc. prioribus collyriis adiectæ.* In ſtatu vero diſcutientia meraciora, qualia erunt collyria *ex aqu. euphraſ. fœnicul. & chelidon. an. ℥ j. aloes lotæ in vino albo, tuthiæ præpar. ana. ʒ j. ſacchar. candi ʒ ij. ſyrupi roſarum ſiccarum ℥ ß.* In declinatione vero materiæ reliquias diſcutientia, & affectam partem corroborantia ſimul, vt fomenta *ex ſemine fœnigræc. floribus meliloti, ſtœchad. roſis rubris, in æquis partibus aquæ fœniculi, vel calendulæ, & vini ſtyptici decoctis,* cum ſpongia aut lintheolo molli. Et collyria ex *ſarcocoll. ex lacte muliebri nutritæ ʒ ij. aloes lotæ & myrrhi an. ʒ j. maſtich. ϑ j. vini & aquæ euphraſ. an. ℥ ij.* Hac arte ophthalmia propoſita mihi videtur curanda.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Bleucorteo pro ciue Retelenſi, anno 1590.

TITVLVS II.

De Amauroſi & Amblyopia.

Diſtinctio 1. Vtriuſq; diagnoſim complexa.

CANON I.

Quid ἀμάυρωσις.

Ἀμάυρωσις eſt abſolutum viſus impedimentum, nullo manifeſto affectu in oculo apparente, ſed pupilla plane pura atq; incolumi. Ἀμβλυωπία vero eſt hebetudo viſus, ſine manifeſto oculi affectu.

Quid ἀμβλυωπία.

I I.

Quomodo & quamobrem affectus vterq; fiat.

Vtrumq; vitium quibuſdam paulatim conflatur, aliis confertim accidit, vt minimum aut nihil prorſus videāt. Si paulatim fiat, vel propter ſpiritus viſorij craſſitiem, vel penuriam vel debilitatem, vel ob denſitatem corrugationemve oculi tunicarum, vel præ humorum lentore contingit. At ſi confertim incidat, in cauſæ eſt nerui optici obſtructio à craſſis & viſcoſis humoribus ſubito illapſis, aut eiuſdem nerui reſolutio. Neruo autem reſoluto aut tarde aut nihil mouetur oculus. At

Quibus notis causa internoscatur.

vbi propter crassorum lentorumq; humorum multitudinem nerui cauitas obstruitur, grauitas capitis, præcipue in radicibus oculorum consequitur. Præcedunt malum assiduæ cruditates, crapula, mora sub Sole, capitis calefactio vel refrigeratio, multæ à cibo lectiones aut balnea, concubitus immoderati atq; intempestiui. Hæc atq; iis similia si minora fuerint ἀμβλυωπίαν hebetudinē visus, si vero maiora ἀμαύρωσιν obscuritatem visus efficiunt. Itaq; hi duo affectus ab iisdem causis oriuntur, & sola maioris minorisve ratione ab inuicem differunt. *Ex Gal. Aetio, Paulo, Altomar. Gorræo & aliis.*

DISTINCTIO II.

De Amauroseos & Amblyopiæ prognosi.

CANON I.

Cur amaurosis amblyopia periculosior.

AMaurosis longe periculosior & solutu contumacior est quam amblyopia, quod illa à grauioribus, hæc à leuioribus causis ortum ducat.

II.

Amaurosis quando inaurabilis.

Amaurosis præsertim quæ paulatim conflata est, vix vllam curationem admittit. *Frambesarius.*

DISTINCTIO III.

De vtriusq; curatione.

CANON I.

Quibus auxilis amauroseos, & amblyopiæ tentãda curatio.

AMαυρώσεως atq; ἀμβλυωπίας curatio tentanda primum auxiliis causam auferentibus, deinde medicamentis quæ ὀξυδορκικὰ appellantur, quia cum nullum accidens manifestum insit oculis, acuunt tamen visum atque instaurant, cuiusmodi sunt collyria quædam apud Galenum 4. τῶν κατὰ τόπους, multaque pharmaca quæ ex variis authoribus ab Hollerio recensentur.

CON-

CONSVLTATIO.

De Amauroſi.

AFfectus hic videndi facultatem eripiens nullo in oculi partibus, quæ ſub aſpectu cadunt vitio apparente, ἀμάυρωσις Græcis dicitur, vulgo gutta ſerena. Cum autem non pedetentim irrepſerit, ſed repente inuaſerit, & capitis grauitas ſentiatur, oculusq; recte moueatur, in cauſa eſt nerui optici obſtructio, à craſſis lentisq; humoribus è cerebro confertim in ipſum illapſis orta, propter quam viſorij ſpiritus prohibetur aditus. Quod ad *prognoſim* attinet, hæc perfecta cæcitas ex graui cauſa derepente ſuborta vix vllam arte curationem admiſſura eſt. Si quam tamen curationem tentare placeat, aperiatur primum cephalica vel media vena, quia æger plenitudine laborat. Purgetur ſubinde caput *pilulis coccijs, addito trochiſcorum Alhandal* ℈. *ß.* vacuetur cerebrum maſticatoriis, non errhinis, ne trahant ad partem affectam. Humeris affigantur cucurbitulæ cum ſcarificatu, cauterium occipitis cauo admoueatur, vel initio ceruicis fiat paracenteſis, ad reuulſionem. Præſcribantur collyria quæ viſum acuant, oculumque roborent, ex aquis ſtillatitiis *euphraſ. fœnicul. chelidon. calendulæ, melle, pompholyg. aloe. myrrha, felle perdicis, capræ vel gallinæ.* Capiti frictiones adhibeantur ex ſacculis plenis pulueribus cephalicis. Mane vtatur opiata ex *conſeruis cephalicis ſalu. anth ſtœchad. & mithridatio* confecta. Victusque exiccans, & extenuans inſtituatur.

c.1.d.1.t. 12.l.1.

c.2.d.1. t.12.l.1.

c.1.d.1.t.12. l.1.

c.d.3.t.12. l.1.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Dambraneo, pro vinitore Cormiſiano, Anno 1589.

TITVLVS III.

De cataracta, & affectibus illi conſentaneis.

Diſtinctio 1. qua continentur diagnoſtici canones.

CANON I.

Quid cataracta.

CAtaracta quæ Græcis ὑπόχυμα ἢ ὑπόχυσις, Latinis ſuffuſio dicitur, ab iis oculorum vitiis quibus cum aliqua intercedit affinitas accurate diſtinguenda, cuiuſmodi ſunt glaucoma, pterygium, hypoſphagma, hypopyion. Suffuſio eſt humoris præter naturam inter corneam tunicam & criſtallinum humorem affuſi concretio, quæ impedit ne criſtalloides primum videndi organum diſcretas externarum rerum ſpecies excipiat; neve illas libere cernat. Principio cum tenuis adeo eſt humor vt minime deprehendi poſſit, fumi duntaxat & vapores, deinde etiam muſcæ ante oculos obuerſari putantur. Tempore eouſq; craſſeſcit dum omnino viſionem præpediat, idq; ſi pupillam omnem obtegit, aut ſi eius partem duntaxat, obiectarum quoq; rerum partem quampiam obſcurat. Atq; vt eſt ſuffuſionis figura, ita & varia ſunt rerum ſimulachra. In his omnibus iam manifeſte craſſus, concretus albuſq; humor animaduertitur. Eſt autem ſuffuſio duplex, vna quæ proprio oculi vitio, altera quæ per conſenſum ventriculi contingit. Suffuſio propria alterum duntaxat oculum falſis rerum ſimulachris illudit, aut ſi ambos non ſimul tamen, neq; ſimiliter. Suffuſio, per conſenſum & ambos & ſimul & æqualiter viſis offendit. In illa viſorum occurſatio aſſidua eſt, ne diem quidem ſed ne horam in ermirtens: in hac vero & remittit & intermittit, ſi parciore & facili dato cibo ventriculus bene concoquat, aut is expurgetur medicamento dialoes: inualeſcit ſi cruditas eſt, aut os ventriculi dolitat, aut nauſea fatigat. Suffuſio inſuper alia recens eſt, & quæ nondum radices egit, alia vero confirmata eſt, & ex toto concreuit. Si ferri aut plumbi aut marinæ aquæ colorem ſuffuſio habeat, moderate coaluit; Sin autem gypſo aut grandini ſimilis color ſuffuſionis eſt, ſupra modum concreuit. Præterea ſi perfricata laborantis oculi palpebra ſuffuſio diffluat ac dilatetur, mox

Quibus ſignis dignoſcatur ſuffuſio.

Quotuplex ſuffuſio.

Quibus notis internoſcatur ſuffuſio quæ proprio oculi vitio oritur ab ea quæ fit per conſenſum ventriculi.

Quibus notis recèns ſuffuſio, à confirmata internoſcatur.

ad

ad ſuam figuram & magnitudinem redeat, humor nondum coaluit: Si vero nulla immutatio nec latitudinis nec figuræ quantumuis longa digiti frictione contigerit, iam confirmata eſt. *Ex Paulo, Fernelio, Gorræo, &c.*

III.

Γλαύκωμα eſt tranſmutatio humoris cryſtallini in glaucum colorem, præ eius ſiccitate & denſitate contingens. Vnde multum differt ab hypochymate quod illud ipſius humoris cryſtallini reſiccatio denſatioq; ſit, hoc vero extranei humoris & aliunde influentis concretio. Adde quod omnes ſuffuſione laborantes lucem videant aut multam aut paucam, qui vero glaucoma patiuntur, lucem omnino nullam cernant. *Ex Paul. Gorræo &c.* *Quid glaucoma, quibuſq; notis à ſuffuſione diſtinguatur.*

III I.

Πτερύγιον eſt neruoſa adnatæ oculi membranæ excreſcentia, exoriens ab angulo & ad pupillam inde perueniens, eamq; tandem obtegens & obtenebrans. Latini vnguem appellant, Barbari vngulam. *Ex Paul. Gorræo, Fuchſio & aliis.* *Quid pterygium.*

I V.

Ὑπόφαγμα dicitur quando propter ictum aliquem fractis aut contuſis vaſis intra tunicas oculorum ſanguis effunditur, & in extima parte veluti ſanguinis puncta apparent. Latini ſugillationē & ſugillata vocant. Recentioribus medicis macula oculi appellatur. *Ex Fuchſio & aliis.* Is autē ſanguis principio rubet, poſtea liueſcit. Multitudine, & diuturnitate temporis aliquando in pus vertitur, vt ſanguis omnis per grumos collectus ſub cute in alis corporis partibus. Tunc fit ὑπόπυον, pus nimirum ſub cornea, dimidium nigri occupans, vel per totā corneam tunicam pellucens, vnde dolor pulſatorius, vehemens, rubor totius oculi, & temporum dolor. *Hollerius.* *Quid hypoſphagma.* *Quomodo fiat hypopyon.*

DISTINCTIO II.

Quæ continentur prognoſtici canones.

Canon I.

SVffuſio adhuc incipiens diſcutitur, vbi vero diu conſtiterit, diſcuti nullo pacto poteſt. *Gal. 14. meth. med.* Exigua cataracta facilius, magna difficilius curatur. *Hollerius.* Antequam ſuffuſio radices egerit conſiſtatq; *Quæ cataracta curabilis, & quæ curationem non admittat.*

sista'que, citra chirurgiam curari potest. Sed vbi confirmata est, manus administrationem requirit, si moderate tantum concreuerit. Sin autem supra modum obdurnerit, acu si pungatur, tunicam simul adducit & lacerat, vnde periculum cum dolore maximo consequitur. *Ex Paul. Altom. Holler, &c.*

II.

Cur glaucoma incurabile.

Glaucoma vitium est immedicabile, quod humorum substantiam immutet. *Ex Paul. Fernel. Gorrhao, &c.*

III.

Pterygia quæ facilius & quæ difficilius curationē recipiant.

Pterygia quæ tenuia sunt & alba facilius curationem recipiunt. Quæ vero crassa & nigra difficilius. Recentia item & parua medicamentis abstergentibus facile discutiuntur: inueterata vero & magna, manu sola curari possunt. Sin autem euersa, eminentia ac indurata fuerint, incurabilia sunt, vt quæ maligna sint atq; cancerata. *Ex Paul. Aetio, Altomar.*

IV.

Cur hypophagmatis curatio protinus instituenda.

Sugillationis curatio confestim aggredienda, priusquam denigrescat. Nam si in grumos sanguis colerit, ægerrime discuti potest, & temporis progressu liuescit oculus atque denigratur. *Altomarius ex Galeno.*

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

Quibus remediis tentanda, curatio suffusionis recentis.

SVffusionis nondum absolutæ tentanda curatio victu tenui, calfaciente, exsiccante, incidente, nec caput vaporibus replente, & remediis vacuantibus, auertentibus, discutientibus, vt phlebotomia, purgatione, apophlegmatismis, cucurbitulis, frictionibus, pyroticis, acrioribus enematis, collyriis primum lenioribus deinde valentioribus, fomentis digerentibus. Si autem confirmata suffusio fuerit, acu puncto ad paruum angulum oculo deturbanda, modo nec liq idior

Confirmata.

sit, nec tenacius oculi tunicis adhæreat, sed mediocrem consistentiam con-

consistentiam adipiscatur. Si suffusio per consensum contigerit, parti primario affectæ prius, deinde oculis laborantibus prospiciendum. *Ex Paul. Altom. Fuch. Holl, Sylu. &c.* *Per consensum ventriculi.*

II.

Ad curanda pterygia, instituenda imprimis victus ratio, quæ incidat & extenuet. Deinde corpus crassis lentisque humoribus scatens repurgandum. Tum topicis abstergentibus vtendum. His victis ad Chirurgiam transeundum erit. *Ex Paul. Aetio, Altom.* *Quibus præsidiis pterygia curandæ*

III.

Ad sugillationis curationem, præmissa venæ sectione aut purgatione si opus fuerit, adhibenda statim topica discutiendi, vi prædita, sed principio stypticis quibuscam adiectis, quia tunica venularum ex quibus sanguis exilit contusa disruptaq; est. Postea vero citra vallam adstringentium admistionem, primo tamen loco imbecilliora, postremo fortiora. *Ex Gal, Paul. Alt. Fuchs.*

CONSVLTATIO

De Cataracta.

OCulorum vitia, quibus alienum quidpiam conspicitur visionem præpediens, sunt ὑπόσφαγμα, ὑπόπυον, πτερύγιον, γλαύκωμα, ὑπόχυμα, quæ cum inter se non minus re quam nomine discrepent; accurate distinguendum quisnam sit hic præter naturam affectus iuxta pupillam conspicuus, qui impedit ne crystalloides primum videndi organum ex ernarum rerum species excipiat, neve illas libere cernat. Primo non est ὑπόσφαγμα sugillatio, quod nulla ex ictu sanguinis intra tunicas effusio facta sit, nec inde macula principio rubra, ac postea liuescens apparuerit: Neque ὑπόπυον, nullo sub corneum effuso sanguine qui in pus versus fuerit, nulloque inde vehementi dolore pulsatorio, ac rubore totius oculi prægresso: Neque πτερύγιον, vnguis, quia neruosa nequaquam est adnatæ oculi membranæ excrescentia, ab angulo maiori exoriens, & ad pupillam inde

c. 1. d. 1. t. 13. l. 1.

c. 4. d. 1. t. 13. l. 1.

c. 3. d. 1. t. 13. l. 1.

c.2.d.1.t. l.1.t.13. c.1.d.1.t.13. l.3. inde perueniens: Neq; γλαύκωμα, humoris cryſtallini in glaucum colorem tranſmutatio, quia laborans lucem à tenebris diſcernit, cum ſub glaucomate ne lux quidem à tenebris diſtingui poſſit. Relinquitur ergo vt ὑπόχυμα, quod Græcis etiam ὑπόχυσις; Latinis *ſuffuſio*, vulgo *cataracta* dicitur, viſioni officiat. Adde quod principio fumi, vapores, nubes, muſcæ, & alia id genus ante oculos obuerſari viſa ſint, quæ antecedentia hypochymatis ſigna exiſtunt. Iam vero humoris præter naturam inter corneam membranam & cryſtallinum humorem affuſi concretio, albicantis tunicæ inſtar, maiorem pupillę partem obtegens manifeſte animaduertatur. Vnde viſus ita læditur, vt perſpicue non poſſit diſcretas rerum ſpecies & colores oculus apprehendere. quæ conſequentes ſunt ſuffuſionis notæ, citra controuerſiam pathognomonicæ.

can. eodem. Hæc autem hypochyſis non per conſenſum ventriculi, ſed proprio oculi vitio contracta eſt, cum viſa alteri tantum oculo non vtriq; ſimul per initia apparuerint, eaq; citra vllam intermiſſionem aliquâdiu perſeuerauerint, etiamſi cibos pauciores, & euchymos æger ſumpſerit, & probe coxerit. Ac paucis præterea poſt initium viſorum diebus pupilla euaſerit tenebroſa atque impura. Quod ad prognoſim attinet, hæc ſuffuſio cum nec tanta ſit vt toti pupillæ prætendatur, & viſum ex toto adimat, nec ita inueterata vt altas iam radices egerit, nec poſt oculi frictionem vnita permaneat, ſed diſſiliat ac diffluat, nec penitus ideo cõfirmata videatur, non eſt prorſus incurabilis. Ad tentandam igitur curationem imprimis mittendus ſanguis è cephalica. Caput per interualla *pilulis lucis cocciis, de agarico*, interdum potionibus phlegmagogis repurgandum, cerebrum apophlegmatiſmis vacuandum. Ad reuulſionem cucurbitulæ leues & cum ſcarificatu occipitio affigendæ. cauteria admouenda. Nec frictiones vnquam negligendæ. Acriora enemata ſæpius iniicienda. Topica item digerentia adhibenda, vt collyria primum leuiora, deinde etiam valentiora, ex *aquis euphraſ. chelidon. ſucco fœniculi, ſacch. cando felle perdicis, capræ, galli & ſimilibus*, ex aqua mellis deſtillata, & fomenta *ex radice chelidon foliis beton. verben. flor. cham. melilot. euphraſ. calend. maior. ſeminibus fœn. & fœnigrec in aqua & vino albo decoctis.* Victus ratio inſuper ca faciens, exiccãs, incidens, atq; tenuis inſtituenda, ac vini imprimis abſtinentia. Si autem his remediis diutius vſurpatis ſuffuſio non diſcutiatur, ſed in dies magis magiſq; craſſeſcat, & pupillam

e.1.d.2.t. 13. l.1.

c.1. d.3.t.13 l.1.

obducat, simul ac coctione mediocrem consistentiam acquisierit, sic vt neque mollior neque durior sit, acu puncto ad paruum angulum oculo deturbanda erit, vbi quippe omnino confirmata est hypochysis, si quæ sit curationis spes reliqua, in sola chirurgia videtur posita. Hæc mea est de proposito affectu curando sententia.

Consultabat Frambesarius cum D. Dambraneo, pro Agricola Tartanensi anno 1590.

TITVLVS IV.

De Surditate & graui auditu.

Distinctio 1. qua continentur diagnostici canones.

CANON I.

QVum affectis auribus non solum grauius, sed omnino nihil quis audire cœperit, malum hoc Græci κώφωσιν, Latini surditatem nominant. Grauem vero auditum ὑπακώφωσιν, βαρυκοΐαν ἢ δυσηκοΐαν appellant, quemadmodum & qui hac affectione laborant ὑπακώφους, βαρυκόους ἢ δυσηκόους, id est, subsurdos aut surdastros nuncupant. *Qui differat surditas à graui auditione.*

II.

Surditas grauisq; auditio interdum à primo statim ortu contracta est conformationis vitio, quo vel audiendi instrumentum deest, vel certe figuram vitiosam obtinet. Interdum etiam post natalem diem accidit, vel à bile sursum vergente, vel propter humores frigidos crassosq; in aures illapsos, ibiq; penitius impactos. Nonnunquam etiam ob sordes concretas, obdurataſve, obortum in aure callum, tuberculum carnosum, aliave impedimenta aurium meatus obturantia. Quandoque ob phlegmonem, abscessum, vlcus, aliamve continui solutionem. *Vtriusq; effectus causa.*

III.

Si à biliosis humoribus surditas vel grauitas auditus fiat, post febres maxime, recurrente bile ad cerebrum, derepente infestare solet: facies etiam & totus corporis habitus biliosam temperaturam præ se ferens, *Quibus notis causæ internoscantur.*

ferens, ætas, victus ratio, cœli constitutio, regioq; calida & ficca bilis exuperantiam arguunt. Si à crassis frigidisq; humoribus ad aures decumbentibus oriatur, cum aurium tum capitis grauitas aderit, & alia quæ pituitosos humores indicant. Si quæ sint impedimenta aurium anfractum obstruentia, manifeste sensibus patent. Si phlegmone aures tententur, calor, dolor pulsans & vehementer lancinans excruciat febricula oboritur suis comitata symptomatis. Si inflãmationi abscessus & abscessui vlcus superueniat, pus foras per auris anfractum manat, magna doloris lenitione, atq; grauitatis leuatione. *Ex Galen. Paul. Altomar. Fuchs. Fernel.*

DISTINCTIO II.

Quæ surditates immedicabiles, quæque difficillimam curationẽ recipiant, Vt surditati deiectiones biliosas superuenire bonum.

Qua continentur prognostici canones.

CANON I.

QVæ ab origine vel paulo post, sed longissimæ & perfectæ surditates consistunt, immedicabiles existunt: quæ vero non absolutæ quidem, sed diuturnæ tamen, & ipsæ curationem non recipiunt, aut certe difficillimam. *Paulus.*

II.

Οἱ κόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος ὑπομενούσης, παύονται. ἢ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων ὑπομενόντων παύεται. Quibus deiectiones biliosæ exeunt, ex superueniente surditate sistuntur, & quibus surditas adest, biliosorum deiectione finitur. *Hipp. aph. 28. l. 4.*

Vt in febribus, quibus aures obsurduerũt, hæmorrhagiam, aut diarrhœã superueniue, bonum.

III.

Οἱ κόσοισι αὖ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐμπινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νόσημα. Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis è naribus profluens, aut aluus turbata, morbum soluit. *Hipp. aph. 60. lib. 4.* quia hæmorrhagia & diarrhœa euacuantur aut transmutantur noxij humores κώφωσιν efficientes.

Vt grauis auditus min. negligendus,

IV.

Valde suspectum habere oportet grauem auditum, quoniam paulatim augescens temporis progressu perfectam surditatem inducit. *Altomarius ex Galeno.*

DIS

DISTINCTIO III.

Quæ continentur Therapeutici canones.

CANON I.

QVæ ob bilioſum humorem ſurſum vergentem naſcuntur ſurditates, vacuationibus per medicamenta cholagoga ex facili abolentur. *Paulus.*

Quibus remediis ſurditas, grauiſq; auditio curanda, vbi à bile fiunt.

II.

Si ex crudis craſſiſque humoribus prognata fuerit ſurditas vel grauis auditio, ſecanda vena ſi recens fuerit affectus, aut cum ſanguine permiſti ſint crudi craſſiq; ſucci redundantes, ſin minus purgatione omnino vtendum ex hiera, catapotiis, cocciis & ſimilibus phlegmagogis, ſed prius concoctis ac præparatis humoribus. Vniuerſo corpore purgato, pituita apophlegmatiſmis, errhinis, & ſternutamentis ex capite elicienda: topiciſque incidentibus & attenuantibus in aures iniectis diſcutienda. Caput præterea ſiccandum & omnibus modis corroborandum. *Ex Paul. Altom. Fuchſ.*

Vbi à pituitoſis humoribus oriuntur.

CONSVLTATIO I.

De Hypocophoſi.

AFfectus aurium Domino, M. iam diu, moleſtus atq; infeſtus, non κώφωσις ſurditas, ſed ὑποκώφωσις, ἢ βαρυκία, ἢ δυσηκοΐα, auditus grauis & difficilis appellari debet, cum audiat quidem, ſed grauiter atque difficulter. Excitatur autem id ſymptoma vel ab humoribus frigidis, craſſis ac pituitoſis ad aures decumbentibus, ibiq; penitus impactis & conquieſcentibus: aut à calidis ac bilioſis ſurſum vergentibus, qui media intemperie, audiendi functionem, ledunt: aut propter ſordes concretas obdurataſve, obortum in aure callum, tuberculum carnoſum, aliave impedimenta quæ auris anfractum obſtruunt: aut à phlegmone, abſceſſu, vlcere, aliave continui ſolutione. At non ob calidos bilio-

c. 1. d. 1. t. 14. l. 1.

c. 2. d. 2. t. 14. l. 1.

c.3.d.1.t. 14.l.1. bilioſoſq; humores ſurſum vergentes contigit hæc βαρυκοΐα, quia nec æſtiuo tempore iuuenem corripuit, nec poſt febrem recurrente bile ad cerebrum, derepente infeſtauit. Nec ob ſordes aliaſve cauſas aurium meatus obturantes, cum præſertim illæſum appareat aurium foramen. Nec à phlegmone indeq; nato vlcere, quia nec calor nec dolor vehementer lancinans atq; pulſans, nec febris ſuis comitata ſymptomatis præceſſerunt, nec vnquam pus foras per auris anfractum manauit. Relinquitur ergo vt à frigidis, craſſis ac phlegmaticis humoribus in cerebro præ aſſiduis lucubrationibus, indefeſſiſq; literarum ſtudiis imbecillo redundantibus, ac vtriuſque auris neruum, primum audiendi organum occupantibus ortum ducat, vt conſtat, nō modo è capitis grauitate, ſed etiam ex eo quod ſenem hyberno tempore, à longa in loco frigido mora primum prehenderit. Adde quod tum grauior, difficiliorque auditus illi contingat, cum mucoſa excrementa præ narium obſtructione non expurgantur, nec libera aluus eſt. Quod ad prognoſim attinet, quæcumq; ab ipſo ortu vel etiam paulo poſt, ſed longiſſimæ & perfectæ ſurditates conſtituuntur, immedicabiles exiſtunt: Quę vero non abſolutæ quidem, ſed diuturnæ tamen, & ipſæ curationem non recipiunt, aut certe difficillimam, inquit Ægineta. Quocirca cum iam à tribus annis hæc hypocophoſis contracta ſit, vix vllam ſane curationis ſpem polliceri audeam. Si qua tamen curandi ratio profutura eſt, hæc in remediis materiam dementibus, & partem affectam roborantibus tota videtur poſita. Vt dematur materia, per epicraſim repurganda eſt *catapotiis cocciis, ex agarico, ex hiera, vel ſyrupo cathartico ex cephalicis & phlegmagogis comparato*: Deinde per os & nares apophlegmatiſmis, errhinis, & ptarmicis è capite elicienda: Tum topicis diſcutienda medicamentis in aures iniiciendis, quæ diuidant, incidant & attenuent craſſos & viſcoſos humores parti laboranti penitus impactos & tenacius inhæreſcentes. Cuiuſmodi ſunt rutæ ſuccus cum *melle*, aut *caſtoreum cum oleo anethino*, vel *ſuccus capæ, porri cum aqua vitæ*, vel *oleum ſaluiæ* arte chymica extractum in aures infuſum. Omnis item piſcis, aut perdicis aut capræ fel, per ſe vel aceto exceptum, & aurium meatui inditum: fomenta ex *abſynthio mentaſtro, origano, maiorana, ſtœchade & ſimilibus in aqua decoctis*. quorum etiam vapor per infundibulum ollæ adaptatum in meatus auditorios recipiatur: aceti inſuper vapor hoc modo in

c.1.d.2.t. 14.l.1.

c.2.d.3.t. 14.l.1.

aures

aures acceptus. Caput postea omni modo corroborandum, tum sumptis vt conseruis *betonicæ, saluiæ, anthos, corticibus citri conditis, nucibus moschatis conditis, aromatico rosato, theriaca, mitridatio, vel opiata ex commemoratis*, syrupo *de stœchade exceptis concinnata*. sub horam somni ad crassioris fabæ quantitatem data: tum admotis, vt frictionibus matutinis, sacculis ex *milio, sale, furfure, saluia, maioran. seminibus anisi & fœniculi torrefactis in sartagine*: cucuphis ex *cephalicis pulueribus bombace* exceptis. statim à prandio accœna nec legendum, nec scribendum. Cum autem inueteratus sit affectus corpusque senio, inedia, vigiliis & literarum studiis confectum, nec videtur sanguis mittendus, nec victus tenuior eo quo vti consueuit imperandus. Hæc remedia sunt, quæ tentenda mihi videntur.

Hæc consulebat Frambesarius cum D D. Dambraneo, Bleucorteo, Herueto, Iaquessonio & Viscotio, Doctoribus Medicis, pro D. H. M. Eccles. clariss. Rhemis, die 24. Septembris 1592.

CONSVLTATIO II.

Περὶ βάρυνσις à bilios is humoribus ortæ.

HÆc auditus grauitas derepente febri acutæ superueniens, διὰ χολώδη χυμὸν ἀναῤῥοπον, ob bilioſum humorem sursum vergentem contigit. Facies enim & totus corporis habitus bilioſam temperaturam præ se ferens, ætas florida, æstuum anni tempus, ac consueta victus ratio calida & sicca, bilis exuperantiam indicant. Porro quæ à bilioſis humoribus ad superiora impetum facientibus nascuntur surditates (inquit Paulus) vacuationibus per medicamenta cholagoga ex facili abolentur. Quidam etiam sua sponte malo liberantur, bile inferſus descendente. Quod Hippocrates confirmat, Quibus, inquiens, bilioſæ accidunt deiectiones, hæ, superueniente surditate cessant: quibus surditas fit, hæc superuenientibus bilioſis deiectionibus cessat. Et quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis è naribus fluens, aut aluus turbata morbum soluit. Nisi igitur laborans breui ab hoc liberetur

t. 3. d. 1 l. 14. l. 1.

c. 1. d. 3. l. 14. l. 1.

c. 2. d. 2. l. 14. l. 1.

c. 3. d. 2. l. 14. l. 1.

ſymptomate, benigno *cholagogo*, vt *rheo in aqua lactucæ infuſo, & ſyrupo roſarum pallidarum* erit repurgandus.]

Conſultabat Frambeſarius cum D. Viſcotio, pro eius Rhemenſi anno 1589.

TITVLVS V.

De Hæmorrhagia.

Diſtinctio 1. de Hæmorrhagiæ diagnoſi.

CANON I.

Quid proprie hæmorrhagia.

Quid hæmorrhagia nomen ſignificet.

HÆmorrhagia Græcis peculiariter intelligitur profluuium ſanguinis è naribus. *Hollerius.* Etſi vox τῆς αἱμορῤῥαγίας omnem ſiue è naribus, ſiue ex ore, thorace, pulmone, ſiue ventriculo, iecore, inteſtinis, vtero, ſede ſanguinis eruptionem ſonat, compoſita ex nomine αἷμα, id eſt ſanguis, & verbo ῥήγνυμι, id eſt rumpo, erumpo, frango, effringo.

II.

Hæmorrhagiæ cauſa quotuplex.

Cauſa externa.

Interna, mediata.

Immediata.

Vt hæmorrhagia omnis fiat.

Per anaſtomoſim, vel rhexim, vel diapedeſim vel diabroſim.

Hæmorrhagiæ cauſa duplex, interna & externa. Externa multiplex eſt, ictus, caſus ab alto, ſaltus, exercitium vehemens, magnus clamor, æſtus, longa in Sole mora: quæ ex ægri vel aſſidentium relatione cognoſcitur. Interna vero mediata, plethora eſt vel cacochymia: immediata vero morbus organicus apertio vel rarefactio vaſorum, vel communis, nempe ruptio vel exulceratio eorumdē. Immediate namq; ſanguis erumpit è vaſis apertis, rarefactis, ruptis aut exeſis: hinc hæmorrhagia omnis fit per ἀναστόμωσιν, vel διαπήδησιν, vel ῥῆξιν, vel διάβρωσιν. Sæpe enim adeo eſt auctus ſanguis vt vaſis contineri non poſſit, quo fit vt ijs apertis vel ruptis, per anaſtomoſim vel rexim foras erumpat. Id quod dignoſcitur ex ſignis redundantiam ſanguinis indicantibus. Nonnumquam ita tenuis & ſeroſus eſt vt rarefactis vaſorum tunicis, ſudoris inſtar per diapedeſim tranſmittatur, ac veluti tranſcoletur. Interdum ſic acer & mordax adeoq; vitioſus eſt, vt vaſis quibus continetur eroſis, per diabroſim profluat. Id quod percipitur tum ex qualitate eius qui profunditur ſanguinis, tum ex reliquis ſignis cacochymum corpus indicantibus. Itaque ἀνάστόμωσις id eſt oris vaſorum apertio

apertio accidit propter sanguinis qui ad os vasorum impetu ruat copiam, præsertim si acrem quampiam illi extrinsecus incitat qualitatem. Διαπήδησις id est dissultatio, oritur ex tunica ipsa vasorum rarefacta, sanguineq; tenuato. Ῥῆξις id est vasorum ruptio fit vel plenitudine sanguinis distendente, vel vulnere vel contusione, ex ictu, casu, aut ex violenta quauis euidente causa. Διάβρωσις, vasorum erosio, intrinsecus fit sanguinis vel vitiosi succi acrimonia, vel extrinsecus à valentibus medicamentis, vel igne. *Frambesarius ex Galeno & aliis.*

Quamobrem contingat Anastomosis. Diapedesis. Rexis. Diabrosis.

II.

Sanguinis profluuium, vel primo & per se accidit, vel morbis acutis superuenit, idq; vel robore naturæ quod sibi molestum est hac via è corpore excernentis, vel præter naturam præ copia materiæ noxiæ, quæ musti in dolio concluſi modo quasi ebullit: hinc hæmorrhagia interdum critica est, interdum symptomatica.

Vt hæmorrhagia sit critica, vel symptomatica.

IV.

Adolescentes postquam rem veneream agere, aut hircire inceperint, tum sanguinis è naribus profluuio tentantur. *Gal. epid.*

Quibus hæmorrhagia contingat.

V.

Ex arteria sanguis exilit tenuior, flauior & cum saltu: ex vena vero crassior, rubicundior nec saliendo erumpit. *Ex Arch. decret.*

Vt internoscatur vtrum ex vena vel ex arteria sanguis erumpat.

DISTINCTIO II.

De Hæmorrhagiæ prognosi.

CANON I.

SI sanguinis profluuium è naribus longo tempore perseuerauerit, timendum erit aut animi deliquium, aut hepatis imbecillitas ac refrigeratio, indeq; cachexia atq, hydrops. *Ab Altomar.*

Vt hæmorrhagia diutius perseueranti exitiales affectus succedunt.

II.

Profluuium sanguinis cum frigiditate partium extremarum, lethale est.

Exitiosa hæmorrhagiæ signa.

III. In

III.

In ardentibus febribus parum ſanguinis per nares ſtillare, exitioſum. Id enim naturæ imbecillitatem arguit, quæ ſuperflua excernere proponit, ſed non valet. *Ex Galeno.*

IV.

Hæmorrhagia quæ bona, quæ mala. Fluere ſanguinem ex naribus recto itinere, bonum. Sanguinis vero eruptiones ex contrario malæ ſunt, veluti in ſplene magno, ſi ex dextra nare fluat. *Hipp.*

V.

Quando hæmorrhagia vtilis. Menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum. *Hipp.*

DISTINCTIO III.

De Hæmorrhagiæ therapia.

CANON I.

Quæ in ſiſtenda hæmorrhagia cautio adhibenda. SAnguinis è naribus profluuium, ſi criticum fuerit, ſiſti non debet, niſi copia vires immodice proſternat. *Sylu. apud Gatinariam.*

II.

Qua methodo ſiſtẽda hæmorrhagia. Quæ auxilia ad cauſam antecedentem remouendam quam primum vſurpãda. Ad ſiſtendam hæmorrhagiam remouenda primum cauſa antecedens, plethora vel cacochymia, deinde auferendus morbus vel organicus apertio aut rarefactio, vel communis ruptio aut eroſio. *Frambeſarius.*

III.

Hæmorrhagiæ curatio ab ijs præſidiis quæ ſanguinem ad alias corporis partes auertunt, exordienda, vt antecedẽs cauſa remoueatur, deinde ad ea tranſeundum quæ morbo proximæ & immediatæ ſymptomatis cauſæ opitulantur. *Frambeſarius.*

IV.

Quæ deinceps ad curandum morbũ remedia ex vſu ſint. Apertis rarefactiſque vaſis adſtringentia quæ obſtruant & condenſent, rupti glutinantia, exeſis ſarcotica & boni ſucci alimenta remedio ſunt. Affectus quippe curatur ſublatione cauſarum. *Ex Galeno Montuo, &c.*

V.

Quæ peculiaria præſidia ſint cu- Si per διαπήδησιν fiat hęmorrhagia, ſeroſorũ humorũ purgatio, venarum denſitas, & ſanguinis craſſities procuranda: Si per διάβρωσιν, eſcharo-

charotica cruſtam inducentia erunt vſui. Si per ἀναῤῥώσιν vel ῥῆξιν, auertentia, vacuantia, refrigerantia, adſtringentia, obſtruentia, glutinantia vſurpanda ſunt. *Ex Holler. & aliis.*

rande haemorrhagia per diapedeſim.

VI.

In his frigido vtendum vnde fluit ſanguis, vel fluxurus eſt, non ad ipſum, ſed circa ipſa. *Ex Hipp.*

Per diabroſim.

Per anaſtomoſim, & rexim.

VII.

Impenſe frigida capiti frigidæ & principi parti non adhibenda, quia ſanguinem & ſpiritum animalem glaciant & extinguunt. *Syluius apud Gatin.*

Vbi admouenda topica.

VIII.

Cur impenſe frigida capiti nequaquam adhibenda.

Narcotica & cauſtica cum periculoſa ſint, non niſi cum magna cautione vſurpanda. *Ex Hollerio.*

Vt narcoticis & cauſticis vtendum.

IX.

Topicorum refrigerantium & adſtringentium vſus non eſt tempeſtiuus antequam fuerit iam reuulſa in partes contrarias materia, ne ſanguis in aſperam arteriam, & pulmones, vel œſophagum & ventriculum procumbens ſuffocet ægrum, vel in caput refluens conuulſiones vel parotidas excitet. *Ex Holler. & Bruel.*

Quando ſtyptica ex vſu ſint.

X.

Quibus viribus topica ſanguinem è naribus profluentem cohibeant.

Topicorum quæ ſanguinem è naribus fluentem ſiſtunt, alia id efficiunt frigiditate ſua ſanguinem velut glaciendo, vt lactuca, papauer, opium: alia vi adſtringendi, qua ſanguinem condenſant, ineptioremque ad fluendum reddunt: alia id præſtant, eo quod venarum hiantium ora glutinare poſſunt, vt thus, albumen oui, gummi Arabicum: alia id perficiunt, cruſtam operculi vice inducendo, cauterizandoque, vt arſenicum, vitriolum, calx viua. Nonnulla vero occulta proprietate ſanguinem cohibent, vt ſuccus porri, menthæ, vrticæ. *Ex Bruel. &c.*

CONSVLTATIO I.

De Hæmorrhagia, quæ adoleſcenti æſtate ſuperuenit.

SAnguinis enaribus tanto impetu erumpentis cauſa, externa quidem eſt vehementior exercitatiæ, oſtuoſo cœlo ſuſcepta; ſed interna *c. 2. d. 1. t. 15. d. 1.*

partim vasis per anistomasim reseratis referenda est, Is quippe propter motum immodicum excandescens; aduenas & arterias quæ in capite
c.15.d.1.t. & naribus sunt, impetu ruit, ac præcopia, tenuitate & acri quadam
1.l.1. qualitate earum ora recludit. Vnde magna vbertate profluit. Sanguinis enim exuperantiam εὐεξίαν, ætas adolescens, vernum tempus antecedens, victus ratio plenior, pulsus plenus, grauans capitis dolor antegressus, color faciei rubicundus, vasorum tensio, id genus signa aperte arguunt. At sanguinis tenuitas vt & acris qualitas illi extrinsecus incidit, partim ab immodico exercitio, partim ab æstate cœlique con-
c.1.d.2.t. stitutione calida & sicca. hæc diagnosis. Quod ad *prognosim* attinet, si
15.l.1. sanguinis profluuium longo tempore perseuerauerit, timendum erit aut animi deliquium, aut iecoris imbecillitas & refrigeratio, ac demum
c.1.d.3.t. cachexia & hydrops. Quamobrem hæmorrhagia cum præsertim nec
15.l.1. critica sit, nec ex consuetudine naturali, sed omnino præter naturam, iamque vires ægrotantis propemodum infregerit, quamprimum sup-
c.3.d.3.t. primenda est, manu, victu & medicamentis. Curandi enim ratio à
15.l.1. chirurgicis præsidiis sanguinem ad alias partes auertentibus inchoanda, vt antecedens causa remoueatur. Imprimis igitur ad fluoris impe-
c.34.d.3.t. tum in contraria reuocandum phlebotomia è cephalica brachij quæ è
1.l.1. directo profusioni respondet administranda, idque angusto foramine, vt subtilior sanguis effluat, manetque crassior minus ad fluendum idoneus, ac nec etiam tanta fiat vacuatio. Eritque tutius sæpe in horas parum sanguinis detrahere, quam magnam semel quantitatem duce-
c.15.& 36. re. Vincula deinde dolorifica digitis manuum & pedum, & articulis
d.3.t.1.l.1. inicienda sunt. Cucurbitulæ statim post vincula hypochondrio è regione naris sanguine fluentis affigendæ, necnon & capulis & summæ ceruici, etiam cum scarificatione. Frictiones etiam validæ brachiorum & manuum deorsum ducendæ. Extremæ partes in aquam calidam immergendæ. Timor denique incutiendus, cyathis aquæ frigidæ duobus vel tribus interuallo iniectis in faciem ægri intogitantis. Per eum enim sanguis vna cum spiritu & calore à circumferentia ad centrum re-
c.21.d.1.t. uocatur. His peractis instituenda victus ratio tenuis, refrigerans & ad-
1.l.1. stringens vias per quas fertur sanguis. Quocirca versetur in aere frigido, arte parato per acetum & aquam *rosarum, folia vitis, salicis, rubi, nymphæa, violarum*. Cibi sint glutinosi qui sanguinem incrassent (quia bi-

liosior

lioſior & tenuior) quales ſunt pedes & capita vituli; veruecis, aliorumque animalium, caſeus recens, pinguis. Coquantur obſonia in aqua chalybata, ſumanturque ex omphacio, ſucco vinorum granatorum, aranciorum, limonum, ad infrigidandum ſanguinem, vt ſic ad fluendum reddatur ineptior. Veſcatur etiam *lactuca, portulaca, endiuia, ſcariola*, ad vias per quas fluit ſanguis denſandas & contrahendas, necnon pyris, malis cotoneis, meſpylis. Bibat vinum craſſum & rubrum aqua chalybata dilutum, contra album & tenue deuitet. Quieſcat tum corpore tum animo, quod vtriuſque motus humores exagitet, & ad fluendum concitet, hac viuendi ratione inſtituta, bilis quæ permiſta ſanguini ipſum acriorem tenuioremque reddit, vacuanda, ex ℥ij. *rhei in aquæ plantag.* ℥iij. *addita ſyrupi roſar. pallidar.* ℥j. vel *ex decocto* ℥ij. *myrobal. citrin. in quo cathol.* ℥ij. *& ſyrupi roſar. ſiccar.* ℥j. diſſolutæ ſint. vel ex decocto *prun. Damaſc. & tamarind. an.* ℥ß. *ſeminum melon. cydon. plantag. an.* ℥j. *flor. violar. & nenuphar an.* P. i. in quo *rhei el.* ℥ij. *cum ſantal. citr.* ℈ij *infuſæ, & ſyrupi cydoniorum* ℥. vj. diſſolutæ fuerint. Mox properandum ad medicamenta refrigerantia & adſtringentia quæ ſanguinem velut glaciant, & ob id ad fluendum ineptiorem reddunt, viaſque condenſant & contrahunt per quas ſanguis fluit tum intra corpus ſumenda, cuiuſmodi ſunt ſyrupi *limonum, granatorum, nenupharis, papaueris, roſarum ſiccarum, myrtillorum, cydoniorum*, cum duplo *aquarum plantag. oxalyd. portulac. roſarum, ſolani, & cum* ℥j. *trochiſcorum de berberis, de ſpodio, de bolo, de carabe. Opiata ex conſeru. roſarum, ſymphyti, additis bolo Armen. terra ſigillat. corallo rub. lapide hæmat. corn. ceru. vſto, ſeminibus plantag. & lactuc. cum ſyrupo myrtillorum parata*: tum extra corpus adhibenda, vt anacollemata fronti admouenda, ex *boli Armen. ſanguinis draconis an.* ℥iij. *maſtiches, farinæ volatilis an.* ℥ij. *cum oui albumine & ſucco plantaginis*, vel ex *argilla, farina triticea incorporatis cum oui albumine*, addito momento aquæ roſarum & aceti & aliis id genus emplaſticis, quæ ſua lentitia meatus obſtruendo ſanguinem exitu prohibent. Linamenta naribus indenda iis quæ venarum hiantium ora glutinare poſſunt imbuta, vt *thuris* ℥ij. *aloes* ℥j. redactis in puluerem, & cum oui candido ſubactis, molliſſimoque leporis pilo exceptis vel turunda in nares immittenda *in boli Armen. terræ ſigillat. ana* ℥j. *aloes & pilorum leporis minutim conciſorum ana* ℥ß. *cum oui albumine & oxycrato exceptis*, merſa.

c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 4. d. 3. t. 15. l. 1.

Eſcharotica vrendo cruſtam quæ hiatui vaſorum ſit operculi vice inducentia, vt *chalcitis & calcanthum*, adſtringentibus quibuſdam, vt eſchara valētius hæreat permiſta, in puluerem redacta, ſi ſumma vrgeat neceſſitas, per ſe in nares inſufflanda, vel linamento capta indenda, vel narcotica quæ ſanguinem glaciant adſtringentibus permiſta, vt *opiigr. ij. camphor. gr. v. aloes ʒij thuris ʒiij. cum oui albumine incorporata*, ſi prædicta nihil promoueant naribus indenda. Et quæ occulta proprietate ſanguinem ſiſtunt, vt *ſuccus baſilici porri, menthæ, vrticæ ſpongia* exceptus in nares immiſſus. Stercus aſininum recens in nares cum bombace immiſſum, vel ipſius exiccati puluis in nares per calamum efflatus. Necnon limacum ſimul cum teſta aſſatarum puluis ſimiliter efflatus, aut cum oui albo ſubactus. Spongia vel lintea *ſucco plantag. polygon. burſæ paſtoriæ, equiſeti, vel oxycrato imbuta*, iterum atque iterum fronti, mammis, teſticulis admouenda. Linteamina madefacta in *aquæ plantag. & roſarum an. ʒj. aceti ʒß camphor. ʒj. collo inuoluenda*. Epithemata ex *aquæ plantag. cichor. roſar. oxalyd. an. ʒij. aceti ʒj. diamargarit. frig. diatrionſantalon. an. ʒj. boli Armen. ebor. vſti, lapidis hæmatitis an. ʒß. hepati applicanda*. Hæc ſiſtendo ſanguinis profluuio mihi videntur conferre remedia.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Alboſio, Archiatro Regio pro ingenuo adoleſcente, in exercitu Regio Bruaria, anno 1594.

CONSVLTATIO II.

Pro iuuene Hæmorrhagia laborante.

a. 3. d. 1. t. 15. l. 1.

CItatior hæc Hæmorrhagia fit à plenitudine ſanguinis non puri, ſed bile perfuſi ora venarum in nares deſinentium per anaſtomoſim reſerante. Cum enim plethoræ & cacochymiæ biliioſæ conſpicua ſint in corpore ſigna vtraque antecedens cauſa ſtatuenda eſt: vt & venarum reſeratio quæ morbus eſt organicus proxima & immediata ſymptomatis cauſa. Quod ad prognoſim attinet, hæc ſanguinis ſuperuacanei eruptio, etſi hactenus huic iuueni ſaluberrima fuit, quod natura

tura ſe exonerarit ea qua velut ſarcina premebatur materię copia, quæ alioqui febrem, vel phlegmonem, vel alium grauiorem morbum aliquando excitaſſet: ſi diutius tamen ſinatur, perniciosiſſima videtur illi futura. Periculum quippe eſt ne proſternat omnino vires, neve refrigerato præter modum hepate, hydrops tandem conſequatur. Itaque cum iam ſatis ſuperque ſanguis profluxerit, tempeſtiuum eſt vt ſupprimatur. Ad ſiſtendam autem hæmorrhagiam remouenda primum antecedens cauſa, auferendus deinde morbus. Ad antecedentem cauſam remouendam, ſecanda imprimis vena cephalica brachii quæ è directo profuſioni reſpondet, non ſemel tantum, ſed iterum atque iterum interpoſito temporis ſpatio. Deinde cucurbitulis, vinculis, frictionibus & aliis id genus remediis chirurgicis, ſanguis ad alias partes eſt auertendus. Dempta plenitudine, bilioſa impuritas ſanguini permiſta benigno cholagogo eſt expurganda. Purgata cacochymia plethoræ coniuncta properandum ad morbi organici curationem, alimentis & medicamentis reſeratas venas obſtruentibus viaſque per quas fluit ſanguis adſtringentibus, præſertim frigidis moliendam. Vtendum e go victus ratione refrigerante & adſtringente, vt *lactuca, portulaca, endiuia, ſcariola, piris, malis cotoneis, meſpylis.* Cibis glutinoſis ſanguinem incraſſantibus, vino craſſo & rubro aqua chalybata diluto. Exhibenda *ſyrupi de granatis, de limonibus, de nymphaea, de papauere, de roſis ſiccis, de myrtillis, de cydoniis, cum aquis ſtillatitiis plantag. oxalyd. portulac. nymphaea, atque trochiſcis de berberis, de ſpodio, de bolo, de carabe.* Poſtea extrinſecus adhibenda erunt topica, vt anacollemata ex *bolo Armena ſanguine draconis, maſtiche, farina volatili, & oui albumine,* fronti admouenda. Linamenta *aloe, thure bolo Armena, ſanguine draconis, ouis albumine,* & aliis id genus emplaſticis venarum hiantium ora obſtruentibus & glutinantibus imbuta, naribus indenda. Lintea in aqua frigidiſſima, vel *oxycrato,* vel *ſucco plantaginis, polygoni, burſæ paſtoris, equiſeti,* vel *aqua ſtillatitia plantaginis, cichorii, roſarum oxalydis, ſolani, & aceto madefacta,* iterum atque iterum fronti, collo mammis, teſticulis & hepati epithematum modo applicanda. Hac methodo ſiſtendum mihi videtur id ſanguinis profluuium.

c. 1. d. 2. t. 15. l. 1.
c. 2. d. 3. t. 15. l. 1.
c. 33. & 34. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 4. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 13. d. 3. t. 1. l. 1. & c. 4. & 5. d. 3. t. 15. l. 1.

Hac Rhemis conſulebat Frambeſarius cum D. Dambraneo ſocero ſuo pro Domino Sallanouano iuniori, anno 1588.

TITVLVS VI.

De olfactus symptomatis. Distinctio. 1. qua continentur diagnostici canones.

CANON. I.

Quæ sint olfactus symptomata.

ODoratus symptomata sunt odorandi abolitio, imminutio, fœtor assiduus. Odoratus perit aut imminuitur impedito nariũ ethmoidisque ossis meatu, quo spiritus ac odor duci solet, idque vel sarcomate, vel polypo, vel phlegmone, vel grauedine. At si horum nulla signa comparent, offensionis causa, vel ad priores cerebri ventriculos, vel ad eas propagines in quibus est odorandi sensus. referri debet. In his vel intemperies, vel humorum copia, vel corruptela sensum, eiusque spiritus contaminat. *Fernelius ex med. consensu.*

Abolitio & imminutio odoratus vnde oriatur.

II.

Fœtor anhelitus vel à naribus, vel ab ore procedit. Si à naribus, ob priores cerebri ventriculos, processusve mammillares intemperie sola, aut etiam humorum copia vitioue affectos, vel propter ossis ethmoidis meatus à mucosis excrementis præter consuetudinem retentis obstructos, vel præ polypo, vel ozæna alioue præter naturam affectu in naribus consistente oritur. Si ab ore manat, vitio ventriculi, vt ἀπεψίᾳ: vel pulmonum, vt phthisi; vel dentium gingiuarumue corruptela accidit. *Framb. ex var. auth.*

Quibus signis dignoscatur an olfactus lesio oriatur à cerebri ventriculis? Ab ossis ethmoidis obstructione.

III.

Olfaciendi facultate oblæsa, si vox manet in columis, ad anteriores cerebri ventriculos morbus refertur, qui aut ex intemperie sola noxam conceperunt, aut etiam ex humorum vitiosorum copia. Sin autem vox quoque mali contagium senserit, laboriosior quodammodo reddita, propter ossis ethmoidis obstructionẽ à vitiosis quibusdam humoribus contractam affectus nascitur. *AEgineta.* Nares enim olfactui & spirationis officium subministrant, propterea & voci nonnihil conferunt.

Vbi

Vbi fœtor è cerebro manat, non à laborante, sed ab assidentibus deprehenditur, quoniam ea quæ in ipso olfaciendi sensu, vel prope hunc intra meningas putrescunt, sensum ipsum haud quaquam feriunt. Vt enim quippiam odoratum feriat, necesse est ex eo vaporem quodam interuallo in eum sensum & in priores cerebri sinus efferri. Si narium vel oris vitio spiritus olidus eructatur, id patet sensibus. Si à ventriculo vel thorace ducit originem, male affecti stomachi vel pulmonis signa extant. *Ex variis authoribus.*

An fœtor oriatur à cerebro?

Naribus? Ore? Vētriculo? Thorace?

DISTINCTIO II.

Vbi prognostici canones.

CANON. I.

HIc affectus nequaquam despiciendus, vbi anteriores cerebri ventriculi vitiosis humoribus oppleti sunt, nedum intemperie affecti. Inde enim carus, vel epilepsia, vel apoplexia non raro excitatur, iis præsertim qui tota nocte supini cubant. *Frambesarius ex Gal. Altom. &c.* Sic Petrus Basilius Alkmarianus cui iam seni odoratus perierat, vitio cerebri non ethmoidis ossis obstructione, tandem repentina morte extinctus est, vt refert Petrus Forestus obseruat. *1. lib. 13.*

Quid hic metuendū.

II.

Odorandi functio vbi plane ablata est, vix curationem admittit. Quibus vero deprauata, magna ex parte periculosa existit, præsertim si in acutis morbis odor quispiam fœtidus sentiatur. Et cum fœtor sit putredinis index, anhelitus fœdus putredinem partium spiritalium denotat. *Ex Altom. Montuo &c.*

Quæ odoratus læsio incurabilis.

Quæ periculosa.

III.

Πνεῦμα ψυχρὸν ἐκπνεόμενον ἐκ τῶν ῥινῶν καὶ τοῦ στόματος, ὀλέθριον κάρτα ἤδη γίνεται. Spiritus frigidus è naribus & ore prodiens (in morbis acutis) iam exitialis est. *Hipp. 1 progn.* quia caloris natiui extinctionem significat. *Ex Gal.*

Vt frigidus spiritus lethalis.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

Vbi therapeutici canones.

CANON I.

Vt odorandi læsio curanda.

SI odorandi functio ex sola cerebri intemperie oblæsa sit, hæc contrariis dumtaxat curatur remediis. Si vero ex humorum copia siue ventriculos cerebri opplente, siue colatorios meatus obstruente, illa prius vniuersalibus remediis, venæ sectione, aut purgatione, vacuanda erit: deinde topicis, vt apophlegmatismis & errhinis per os & nares deriuanda. *Ex Paulo, &c.*

II.

Vt nigella hic vtendum.

Nigellam tusam cribratamque & oleo vetustissimo addito probe tritam in nares infunde, & pharmacum per inspirationem vehementius attrahere iube, ægroque aquam tandiu in ore continendam exhibe. Hoc modo Galenus adolescentem curauit à diuturna tum grauedine, tum destillatione odorandi sensum lædente. *Lib. de odoratus organo.*

III.

Quibus modus fœdo halitui resistendum.

Fœdus halitus curatur, sublato cerebri, vel nasi, vel oris, vel ventriculi, vel thoracis vitio vnde oritur. Odorem gratum ori præbent ista commansa, anisum, caryophyllum, myrrha, mastiche. Putorem tegit globulus ex Gallia moschata intra molares detentus. Item frequens oris, nariumque collutio ex Gallia moschata in vino calido dissoluta, vel ex vino odoro, in quo nux moschata, cinnamomum, caryophyllum, calamus aromaticus, rosæ, spicanardi, & alia id genus decocta sint. ℥. aloës, myrrhæ, croci, mastiches, Xyloaloes, caryophyllor. ana. ʒj. formentur catapotia cum melle rosato, vel vino odoro, tria deglutiat sub horam somni, & in aurora resistunt putredini, odoremque deprauatum emendant. *Ex var. auth.*

CONSVLTATIO III.

De Narium fœtore.

Dignotio.

EXhalans è naribus fœtor laboranti vicinisq; molestus, non è ventriculo, nec è thorace, nec ex ore procedit, quia nulla affecti stomachi,

machi, nec pulmonis ſigna extant, nullumque vitium in ore deprehenditur, præter olidum ſpiritum per narium ſymparhiam ortum, ex quibus manifeſte percipitur erumpere, ſi os aqua impleatur. Quare illius cauſa cerebro, vel naribus ferenda eſt accepta. At nec polypus, nec ozana, nec aliud malum eſt in naſi foraminibus conſpicuum. Nec iis etiam propaginibus, in quibus eſt odorandi ſenſus vitium inhæreſcit, quia fœtidus odor ab ægrotante percipitur: Ea autem quæ in ipſo olfaciendi ſenſu intra meningas putreſcunt, ſenſum ipſum haud quaquam feriunt. Relinquitur ergo vt à mucoſis excrementis præter conſuetudinem retentis colatorios ethmoidis oſſis meatus obſtruentibus oriatur, cum præſertim vox mali contagium ſenſerit laborioſior quodammodo reddita. Quod ad *Prognoſim* ſpectat, ne- *Prædict.*
quaquam negligendus hic affectus eſt. Nam præterquam quod eo difficilius curationem admiſſurus ſit, quo diuturniorem morem contraxerit: periculum eſt ne pituitoſa cerebri excrementa retenta, præter modum in dies aucta, epilepſiam tandem, vel apoplexiam inferant. Curatio propter ſanguinis plenitudinem, à venæ ſectione auſpicanda, *Curatio.*
Deinde pituitoſa cerebri excrementa colatoriorum foraminum obſtructionem parientia à pariente apozemate præparata, modo plegmagogis potionibus ex *diaphœnico & diacarthamo*, modo *catapotiis cocciis*, *de agarico*, & *de hiera* per epicraſim repurganda. Tum per os, & nares apophlegmatiſmis & errhinis deriuanda. Reſoluatur in vino calido gallia moſchata, quo nares & os colluantur. Vratur errhino ex vino odorato, in quo *nux moſchata*, *cinamomum*, *caryophyllum*, *calamus aromaticus*, *cyperus*, *myrthus*, *roſæ*, *ſpica nardi*, & alia id genus decocta ſint. Colluat ſubinde os ex *decocto florum roriſmarini in vino albo*, *cum myrrha cinamomi & benjoini momento.* Sternutatorio quandoque vtatur ex veratro albo tenuiſſime trito. Odoramenta aſſidue adhibeantur, qualia ſunt *narciſſus*, *ſerpillum*, *polium*, *mentha*, *& thymbra*: quamquam omnium vtiliſſimum ſit caſtoreum aceto dilutum quin & potum cum aquæ melſæ cyathis tribus valde proderit, Aëtio authore. Putorem quoq; tegunt chirothecæ, induſia, & veſtes odorem iucundum ſpirantes. Nares item grauiter olentes emendat ſuccus hederæ frequenter infuſus. Victus ratio interim attenuans inſtituatur. Iis veſcatur quæ non facile in ventre putrefiant. Domus in qua degit moderate calida hyberno tempore reddatur. In ſiccioribus locis diuerſetur,

gymnasiisque pro viribus vtatur, ac moderato somno nocturno, nec statim à cibo dormiat, ceruicaliaque in lecto sublimia habeat, & in latus reclinetur. Hæc mea est de propositi affectus dignatione, prædictione & curatione sententia.

Consultabat Frambesarius in obsidione Ambianorum, cum D. Furno Medico Regio, pro strenuo milite, anno 1597.

TITVLVS VII.

De Angina.

Distinctio 1. De Anginæ diagnosi.

CANON I.

Quid angina.

ANgina est inflammatio faucium gutturisve, vias per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est præcludēs, deglutitionem ac respirationem impediens, acerbumque dolorem inferens: quæ κυνάγχη καὶ συνάγχη Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ κυνάγχειν ἢ συνάγχειν, à suffocando, quia exitiosum & acutissimum malum est, quod strangulatu præsentaneum vitæ discrimen inferre solet. *Ex Galen. Paul. Fernel. Altom. Fuchs.*

Vnde cynanches seu synanches nomen deducatur.

II.

Angina quotuplex.

Angina alia vera, alia notha est. Illius febris comes est assidua, hæc vero febris est expers. *Ex Fernel.*

III.

Vera angina.

1. Differentia.

2.

3.

Veræ anginæ tres sunt differentiæ, vna cum inflammatio neque in faucibus neq; in ceruice vlla apparet, sed in gutture penitus abscondita præsentis suffocationis metum incutit: altera, cum fauces manifesta phlegmone tentantur, nullo in ceruice conspicuo tumore ac rubore: tertia vbi vna cum faucibus ceruix inflammata videtur cum tumore, rubore, calore, ac dolore. Interior omnium causa fluxio est sanguinea aut biliosa, quæ è venarum iugularium ramis eo pertinentibus in has sedes influens phlegmonem parit simplicem, vel erysipelatodem.

Causa eius interior.

Exterior.

Euidentes vero causæ variæ, frigus potius quàm æstus, ictus, ossa piscium imprudenter vorata, per media paristhmia trajecta, frigidæ potus, temulentia atq; quæuis repletio nimia. *Ex Gal. Fernel. & aliis.*

IV. An-

IV.

Angina notha fit quum pituitosa destillatio in fauces ceruicisq; musculos decumbit, tumorem quidem excitans, sed sine rubore, ardore & febre. Huic finitima est ea anginæ species quæ nullo quidem sit proprio faucium affectu, sed cum ceruicis vertebræ intro luxatæ fauces ac gulæ gutturisq; introitus premunt, & arctius coangustant. Noscitur hinc quod signorum quæ in aliis prodita sunt nullum appareat, quodque ceruix ponè excauatur, ægreque & cum dolore inflectitur: casus quoque aut ictus antecessit, vel humor præter naturam vertebrarum vincula laxauit, vel eas sua copia de propria sede disiecit. *Ex Fernel. & aliis.*

Angina notha qua.

Altera angina notha species.

Eius figura.

V.

Angina quæ interioribus faucium musculis oritur συνάγχη, in exterioribus περιπνευμονία: quæ vero in gutturis interioribus musculis sit, κυνάγχη, in exterioribus autem περικυνάγχη, Paulo, Alexandro & aliis quibusdam medicis appellatur. Sed Galenus lib. 4. de loc. affect. cap. 5. & com. in 3. Prognost. hoc discrimen manifeste reprehendit. *Ex Fuchs. Alt.*

Per fauces (φάρυγγα Græci vocant) internus oris locus, vbi tum gulæ tum asperæ arteriæ extrema conueniunt, intelligitur. Per guttur vero quod λάρυγγα nominant, asperæ arteriæ caput. *Ex Galen. Paul. & recent.*

Vt propria quibusque angina differentiis nomina à recentioribus Græcis indita sint, sed Galeno improbata.

Quid intelligendũ per fauces.

Per guttur.

DISTINCTIO II.

De Anginæ prognosi.

CANON I.

Αἱ δὲ κυνάγχαι, δεινότατον μὲν εἰσι καὶ πάχιστα ἀναιρέσιν, ὀκνοῦσαι μήτε ἐν τῇ φάρυγγι μηδὲν ἔκδηλον ποιέουσι, μήτε ἐν τῷ αὐχένι. Πλεῖστον ἢ πόνον παρέχουσι καὶ ὀρθόπνοιαν. αὐτὸν γὰρ ἢ αὐθήμερον ἀποπνίγουσι ἢ δευτεραῖαι ἢ τριταῖαι ἢ τεταρταῖαι. ὅσαι δὲ τὰ μὲν ἄλλα περιπνευμονίαις πόνον παρέχουσιν, ἐπαίρονται δὲ καὶ ἐρυθρήματα ἐν τῇ φάρυγγι ποιέουσιν, ὀλέθριαι μὲν κάρτα, χρονιώτεραι δὲ μᾶλλον τῶν πρόσθεν. Οκνοῦσι δὲ ξυὶ ἐξερυθρίη ἡ φάρυγξ καὶ ὁ αὐχὴν, αὐτὸν δὴ χρονιώτεραι, καὶ μά-

Quæ sit omnium anginarum differentiarum acutissima ac periculosissima,

quæ minus acuta periculosaque, quæ superioribus longior tutiorque, quæ ne acuta quidem, & quæ prorsus incurabilis.

ἢ μάλιστα ἐξ αὐτέων πνες περιφλέγουσιν, αὐτό, τε αὐχλῶ ἢ τὸ σῆθ & ἐρύθρημα ἐχη, ἢ μὴ πάλιν δρομέη τὸ ἐρυσίπελας ἔσω. Angina periculosissima est & celeriter enecat, si neque in faucibus, neq; in ceruice quicquam appareat, si dolor vehemens est, si vix spiritus trahitur. Etenim eodem die iugulat, licet interdum vsque ad alterum, aut tertium aut etiam quartum diem protrahatur. Quæ vero in reliquis, non minore quidem dolore afficit: in faucibus vero tumorem ruboremque excitat, superiori non minus periculosa est, sed longius spatium habebit. Sed tum præcipue malum prolongatur, cum non solum fauces, sed ceruicem quoque rubor occupat. Maxime vero potest ab ea secunda valetudo contingere si rubor simul & ceruicem & pectus comprehendat, neq; ad interna reuertatur erysipelas *Hipp. c. 5 l. 3 progn.* Vere igitur anginæ illa species ex Hippocratis sententia longe omnium periculosissima est, in qua neque in faucibus neque in ceruice quicquam apparet: huius quippe inflammatio penitus obstrusa, grauiora *infligit* symptomata, non sine metu præsentis strangulatus. Altera vero vbi interiores faucium gutturisque musculi manifesta phlegmone tentantur, æque ac superior symptomatis sæua est, sed minore tamen fit periculo, quod manifesto se proferat tumore, qui & remedia prompte admittit, & in os expurgari potest. Tertia autem ceruicem vna cum musculis interioribus laryngis occupans, in qua foris tumor atque rubor est conspicuus cum calore ac dolore, cæteris est lætior ac tutior, spesque salutis melior, quod *inflammatio* foras prosiliens euocari digerique possit. At angina nothia à frigida destillatione orta cum sine rubore, ardore & febre contingat, inter acutos morbos habenda non est. Quæ autem accidit ob luxatas ceruicis vertebras, incurabilis est. *Ex Fernel. & alijs.*

II.

Vt suffocatio febricitanti repente superueniës, nullo apparen-

Ην ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνιγὲ ἐξαίφνης ἐπιγένηται, ἀνάσιμον. Si febricitanti nullo existente in faucibus tumore, strangulario repente superuenerit, lethale. *Hipp. aph. 34. lib. 4.* Indiget quippe febris præsertim vehemens pro refrigerio cordis plus quam par est calfacti inspiratione abundanti. Inspirant autem non solum non abunde, verum etiam omnino parum qui strangulantur.

Neque

Neque enim aliud est strangulatio, nisi interitus subitus propter defectum respirationis, qui fit ex angustia alicuius instrumenti ex iis quæ obseruiunt respirationi. Si autem nullo apparente in faucibus tumore strangulatio subita fiat, summum guttur aliqua inflammatione obsessum est, propter quam angustatur pulmonis meatus. *Ex Gal.*

te in faucibus tumore, lethalis.

III.

Ην ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης διαστραφῇ. καὶ μόγις καταπίνειν δυνήται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον. Si febricitanti collum repente peruertitur, & vix potest deglutire, tumore nullo apparente, lethale. *Hipp. aph* 35. *l.* 4. Cum enim neque ore aperto in faucibus neque extrinsecus apparuerit tumor, hominem vero febrientem contigerit non posse deuorare, vertebris ad anteriorem regionem ceruicis luxatis, symptoma est lethale, proueniens ex inflammatione musculorum gulam munientium, aut gulæ ipsius. Est enim cõmunio quædam partibus istis per ligamenta & neruos cum spinali medulla & membranis ipsam ambientibus, ac præterea ossibus vertebrarum quæ his extrinsecus adiacent. Extentis itaq; ad partes inflammatas ligamentis & neruis, trahi vertebras vel intro vel ad latus est necessarium. *Ex Gal.*

Vt vertebrarum colli luxatio febricitanti repente superueniens lethalis,

IIII.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν. ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα. Angina correpto si tumor fiat in collo, bonum. Morbus enim extra vertitur, atque foras deducitur. *Hipp aph.* 37. *li.* 6. Noxios autem humores ex intimioribus & principalioribus partibus ad cutem transferri conducit. *Galenus.*

Vt in angina collum intumescere, bonum,

V.

Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν. ἢν δὲ τούτους διαφύγωσιν, ἕμπυοι γίνονται. Quibus ab angina liberatis ad pulmonem malum transit, intra septem dies moriuntur: si vero hos euaserint, suppurantur. *Hipp. aph.* 10. *lib.* 5. Si humor anginæ transferatur ad pulmones, id exitio esse plerumque ante septimum diem indicat, ægro videlicet suffocato ab humoribus eo delatis: Si vero id tempus effluxerit absque alio malo, fluxione in pus conuersa, suppurari & non mori. Quibus autem ipsum pus non vt decet, subinde repurgatur, hos tabidos fieri contingit. *Ex Galeno.*

Vt angina materiam ad pulmones transferri, malũ

DISTINCTIO III.

De Anginæ therapia.

CANON I.

Quot in curatione anginæ proponantur ſcopi.

ANginæ curatio duabus partibus continetur, vna in humore ad laryngem fluente ſiſtendo, ſicq; faucium phlegmonem augeri prohibendo: altera in humore faucibus influxo demendo, ſicque phlegmonem genitam ſummouendo. Humor autem influens phlegmonē augens ſiſtendus eſt victu tenui ac refrigerante, atque remediis auertentibus & repellentibus. Influxus vero in faucibus humor inflammationem excitans demendus eſt præſidiis vacuantibus, & reſoluentibus, vel ſuppurantibus, abſceſſum aperientibus & detergentibus. *Frambeſarius.*

Quibus remediis perficiatur ſcopus 1. 2.

II.

Quamobrem ſtatim mittēdus ſanguis, & qua ex vena. & quomodo.

Ad auertendum ſanguinis ad laryngem fluentis impetum, ac iam fluxum vna vacuandum, ſecanda protinus vena cephalica, deinde ea quæ ſub lingua eſt. Mulieribus vero vena malleoli incidenda, potiſſimum vbi menſes reſtricti fuerint. Parce autem & pluribus interpoſitis vicibus, non affatim auferendus ſanguis, ne cumulata confertimque facta vacuatione, anima ægro deficiente, ſuffocationis periculum ſuperueniat, dum materia in affectam partem collectim prorumpit, aut perfacile à faucibus ad pulmonem defertur. Venæ item diductio nec maior fieri debet, lipothymiæ metu: nec anguſtior ne ſanguis velut percoletur, & craſſior eius pars intus remaneat. *Ex Gal. Paul. Altom. Sylu. &c.*

III.

Quamobrem gargariſmis initio vtendum. Qui conueniant. Quibus noceant.

Ad repellendum gargariſmatis ſtatim per initia vtendum leuiter adſtringentibus. Nec quippe vſurpanda quæ vehementer repellūt, quod humores ad pulmonem trudendo ſuffocationis periculum affe-rant, nec quæ tantum diſcutiunt, quod plus ratione ſui caloris quam par ſit attrahant. Nec adhibenda foris repellentia, quia materiam intro ad partem inflammatam protruderent. *Ex Gal. Alexand. Altom. Fuchſ. Sylu. Holer. &c.*

Cur repellentia extrinſecus non adhibenda.

IV.

Cur in angina valentissimis vtendum remedijs.

Cynanche statim initio curanda remediis potentissimis, quia morbus acutissimus: vt aph. 4. & 24. l. 1. & aph. 10. l. 4. ab Hipp. præceptum est. *Sylu. apud Gatin.* Valentibus tamen medicamentis purgantibus humores agitandi non sunt, præsertim principio, ne ad locum affectum largius fluant. *Ex Auicenna.*

Magna tamen cum cautione.

V.

Qua ratione curanda cynanche qua discuti non potuit.

Si cynanche resolui nequeat, suppurantibus est coquenda: deinde abscessus rumpendus, tum vlcus detergendum, ac postremo glutinandum. *Ex Gal. Sylu. & aliis.*

CONSVLTATIO

De Angina.

CONSPICVA in faucibus inflammatio cum tumore, rubore, acerboque dolore, transglutiendi ac respirandi libertatem eripiens, acutamque febrem inuehens, vera Synanche est: quam bilioſi sanguinis ratione temperamenti, ætatis, temporis, victus rationis in corpore redundantis fluxio è venarum iugularium ramis in fauces repente irruens excitauit. Quod ad *prognosim* spectat, omnis vera angina periculosissima est, vt quæ suffocationis metum incutiat. Vnde, συνάγχη ἀπὸ τῦ συνάγχειν, à suffocando Græcis appellata est. Sed cum legitima angina triplex sit, vna quæ adeo in laryngе abstrusa est, vt neque in faucibus, neque in ceruice quicquam appareat, altera manifesto in faucibus tumore, rubore atque calore se proferens, tertia in ceruice nedum in faucibus omnino conspicua: hæc profecto inter vtramque differentiam extremam media, nec ita strangulatu præsentaneum vitæ discrimen est allatura, quam quæ penitus est in gutture abscondita, nec ita tuta censeri debet, quam paracynanche quæ ceruicem magis quam interiores fauces occupat. Quoniam autem morbus adhuc est ἐν τῷ γίνεσθαι, nondum ἐν τῷ εἶναι, curatio duobus continetur capitibus. primo in sanguine ad fauces etiamnum fluente sistendo, eaque ratione incremento morbi prohibendo: altero in sanguine faucibus influxo educendo, indeq; nata phlegmone soluenda. Hippocratis enim canone, ὅσα μὴν νοσήματα ἀπὸ τῶν ῥέων γίνεται, τοὺς ῥέους παύειν χρὴ πρῶτον, ἔπειτα

c. 1. 2. & 3. d. 1. t. 16. l. 1.

c. 1. d. 2. t. 16. l. 1.

c. 1. d. 3. t. 16. l. 1.

ἐπειτα τὸ συνερρυηκὸς ἐξάγειν. Quicumque morbi à fluxionibus fiunt, primum fluxiones sedare oportet, deinde in quod influxit educere. Vt arceatur fluxio, turgida materia influens phlegmonem augens, restinguenda, auertenda, vacuanda, tepellenda: vt vero quæ fluxa impactaque est materia dissipetur, discutienda, vel si discuti non possit, suppuranda, atque aperto tumore detergenda, ac cicatrix vlceri tandem inducenda, quo numeris omnibus absoluta videatur curatio. Ad restinguendum feruidi sanguinis in fauces irruentis orgasmum instituendus initio victus tenuis & refrigerans, qui phlegmonem augeri prohibeat, ex *solo prunorum & passularum cum saccharo & aqua decocto*. vel cremore *ptisanæ*, deinde ex *iusculis volatilium animalium, lactuca, portulaca, oxalyde & frigidis seminibus alteratis*, tum ex *ouibus sorbilibus* in aqua coctis, & similibus cibis perliquidis, & deglutiri facilibus, potus item ex *aqua* duntaxat *hordei, cum saccharo, syrupo violato, acetoso, de limonibus, vino granatorum, ex iulepo rosato, & similibus*. Abstinendum autem vino, carnibus, aromatis, iisque omnibus quæ nimium sanguinem augent & calfaciunt, adeoque fluxionem proritant, necnon & glutinosis, quæ cum non detergeant, vias iam oppressas angustia intercipiunt. Somnus quoque longior vt in aliis omnibus inflammationibus, sic & in angina omnium maxime fugiendus, quod per somnum, vt testatur Hippocrates, sanguis intro repat, ac proinde in locum patientem facilius decumbat.

c. 7. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 2. d. 3. t. 16. l. 1.

Ad auertendum sanguinis ad pharyngem fluentis impetum, ac tumorem vna vacuandum, secanda protinus vena cephalica, dein quæ sub lingua sunt aperiendæ. Nec confertim tamen, sed parce ac pluribus interpositis vicibus erit molienda vacuatio, ne laborans animo linquatur, indeque suffocationis periculum superueniat, materia in affectam partem collectim prorumpente, aut à faucibus in pulmones affatim illabente. Lenis postea purgatio exhibenda, quæ bilem sanguini permistam per aluum deturbet. Si autem laborans propter deglutiendi difficultatem illam sumere nequeat, injiciendus clyster ex remollientibus & cholagogis, sed ob acutam febrem clementioribus constans, qui iterum atque iterum deinceps erit iterandus. Cucurbitulæ item leues & cum scarificatione ceruici & scapulis affigendæ, necnon & fricationes ac ligaturæ dolorificæ artubus adhibendæ.

c. 3. d. 3. t. 16. l. 1.

Ad appellentem humorem repellendum, gargarismis leniter adstringentibus statim per initia vtendum, *ex oxycrato, ex aqua vel succo plantaginis, solani, lactucæ, acetosæ,*

acetosæ, omphacio, cum syrupo rosarum siccarum, myrtillorum, granatorum diacaryo, diamoro, diacodio, vel *ex decocto plantaginis, acrimoniæ, rosarum rubrarum, lentium, palmularum, myxarum, granorum berberis, hordei, malicorij. seminum acetosæ portulacæ sumach*, in quo dissoluentur *diamor. dianuc.* & *succus granatorum*. Foris vero repellentia nequaquam adhibenda ne materiã intro ad partem inflammatam regerant. Vbi vero fluxio constiterit materia pharingi impacta, erit dissipanda, tum gargarismis discutientibus, ex *decocto betonic. hysop. origan. florum chamamel. melilot. seminum lini, fœnigr. vuarum passarum, glycyrrhiz. cum melle rosato*: tum topicis digerentibus extrinsecus adhibitis, *vt oleis chamamel. liliorum, amygdalarum dulcium anteriori collo illitis*, & cataplasmatis ex *farina seminum lini, fœnigr. floribus chamamel. melilot. cum oleis chamamel. & liliorum, ceruici admotis*. Si autem coniuncta materia resolui nequeat, suppurantibus est coquenda, tum gargarismatis ex lacte tepido cum *saccharo, ex decocto radicum althææ & liliorum, caricarum pinguium, iuiubarum, passularum, dactylorum*: tũ cataplasmatis ex eiusdem decocti magmate, & *farina lini & fœnigr. cum butyro, & oleo liliaceo* confectis. Suppurata materia, vt tumor distrumpatur vellicandus est vnguibus, aut ferro aperiendus. Vlcus posthæc *melle rosato & aqua hordei* tergendum: postremo *thure, bolo Armen. sanguine dracon. alumine* glutinandum & ad cicatricem perducendum. Hac methodo proposita synanche mihi videtur curanda. *cl. 5. d. 3. c. 16. l. 1.*

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Dambraneo pro D. Colignone Sandionysiaco Doct. Theologo, annum circiter 35. agente, die 26. April. anno 1588. Rhemis laborante.

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTAtionum Medicinalium

LIBER QVARTVVS.

Continens verum Methodum curandi affectus & morbos cordis & partium ei inseruientium.

Vocantur hi morbi partium vitalium siue organorum vitæ: cumque Cor principale organum sit vitæ, primum omnium de eo tractatur; deinde de affectibus pulmonum, & thoracis, quæ partes destinatæ sunt ad cordis seruitium. Præcipui huius tam nobilis visceris sunt febres: morbi pulmonum, Asthma, Peripneumonia, Hæmoptysia, Phthysis, Morbi thoracis, Pleuresis & Empyema.

TITVLVS I.

De Febribus.

Distinctio 1. de Febrium diagnosi.

CANON I.

Quid febris. Vnde dicta.

FEBRIS est calor præter naturam è corde in vniuersum corpus effusus, omnes functiones interpellans. Vtque febris à feruore Latinis dicta est: sic Græcis πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ab igne, quia febris fit quando natiuus calor in igneum vertitur. *Ex Gal. Fernel Holler. &c.*

II. Fe-

II.

Febris primaria eſt vel ſymptomatica. Febris quippe morbus cẽ ſetur cum primo & per ſe actionem lædit. Symptoma vero cum morbo ſuperuenit, vt pleuritidi, anginæ, phrenitidi. *Ex Gal. &c. med. conſenſu, dempto Altomario qui vnus hanc diſtinctionem conuellere nititur.* *Vt febris primaria ſit vel ſymptomatica.*

III.

E triplici ſubiecto in quo primum accenditur calor febrilis, triplex omnino febris conſtituitur, Ephemera in ſpiritibus, Putrida in humoribus, Hectica in ſolidis partibus primum conſiſtens: hæc enim tria, ſpiritus, humores ac partes ſolidæ quæ ab Hippocrate ἐνορμοῦντα impellentia, ἰσχόμενα contenta, & ἴσχοντα continentia appellantur, corpus noſtrum conſtituunt & coagmentant. *Ex Gal. &c.* *Vt febris triplex pro triplici ſubiecto, in quo conſiſtit, Diaria. Putrida. Hectica.*

IIII.

Communes febrium omnium notæ ſunt, pulſus celer ac frequẽs, virium languor & imbecillitas, cum ſpontanea corporis grauitate aut diſſolutione, quia corpus vniuerſum conſentit laboranti cordi, & calor à natura alienus. *Ex Fernel. &c.* *Communes febriũ notæ.*

V.

Ἐφήμερος πυρετὸς ἅπας καλεῖται, ὅσος κατὰ τὸν ἴδιον λόγον ἡμέρᾳ γίνεται μιᾷ. Febris omnis diaria vocatur, quæ ſui ratione vna die durat. *Gal. com. in aph. 55 lib. 4.* *Diaria febris quæ.*

VI.

Ephemera vera eſt vel ſpuria. Vera diaria à cauſis procatarcticis corpus per ſe inflammantibus infertur, vt à Solis æſtu, vehementi corporis motu, intenta animi contentione ex ira, furore, mœrore, timore, curis, vigiliis, lucubrationibus, ab inedia. *Quotuplex diaria. Cauſa vera diaria.*

Spuriam vero ephemeram ſæpius excitant cruditas, ſiue ex nimia cibi copia & helluatione, ſiue ex vino meraciore, ſiue ex fructuum corruptorumque ciborum eſu contracta. Naturalium vacuationum, vt alui, vt vrinæ quauis ex cauſa retentio, vt ſudoris halituſve ſuppreſſio, ob cutis denſitatem & conſtipationem vel ex adſtringente balneo. Adenum maximeque inguinum ex labore tumores atque bubones, & quęcumque cauſæ non ſolum qualitatem, ſed & vitioſam materiam vel in corpore retinent, vel aliunde ſuggerunt, calidioremque intemperiem per accidens vt obſtruendo, vel per antiperiſtaſim cohibendo accerſunt, *Ex Auicen. Bacchan. Fernel. & alijs.* *Spuria.*

VII.

Qui diaria sint obnoxij.

In diariam febrem maxime propensi sunt qui calido siccoque sunt corpore, & qui halitu acri plurimo conferti sunt, & quibus sudor, vrina aut egestio supra modum graue olet. *Galen. 8. meth. Paulus cap. 16. lib. 2. Fernelius cap. 3. lib. 4. path.*

Id tamen Iouberto non arridet *cap. 2. lib. 2. pract. med.* de ephemera hæc scribenti: Omnibus naturis contingere potest, sed iis frequentius quibus benignior sanguis est & copiosior, dum ex occasione manifesta cor intemperiem calidam conceperit. Non placet quod nonnulli scribunt ephemeræ opportunos esse τοὺς πικροχόλους, è quorum corpore quod defluit halituosum non est, sed acre & mordax fumi instar. Nam si per sanitatem calor his mordax est, quomodo febricitantibus suauis & blandus percipitur, quam diariæ notam inseparabilem iidem statuunt? hæc ille. Sed ideo biliosi in ephemeram maxime propensi sunt, quod illorum temperies omnium facillime inflammationem concipiat, & ab occasione vel leuissima in calidam intemperiem incidant. Mitis tamen illorum calor dicitur, eius acris & mordacis comparatione qui putrida febre laborantes fatigat. *Frambesarius.*

VIII.

Quibus notis diaria febris à putrida internoscatur.

Diaria febris à putrida facile internoscitur. Illa quippe sola euidentium causarum vi sanum corpus repente inuadit: putrida vero sensim prehendit, præcedente neutra corporis constitutione. Calor in illa mitis ac blandus, in hac acer & mordax, tangentis sensum acriter feriens: in illa pulsus æqualis & ordinatus, in hac inæqualis & inordinatus. Velox siquidem est systole, diastole vero tardior, idque præsertim augescente calore. Cum enim ex incensa putredine, multa torrida & fuliginosa excrementa spiritus humoresque premant, natura systole festinat depressa arteria illa excludere, neque tanta necessitate nititur per diastolem refrigerium allicere. Modo item celer, modo tardus est pulsus, idque ex inæqualitate varioque motu putredinis: & rursus modo fortis, modo languidus, alias quidem oppressa, alias leuata natura. In ephemera febre vrina nihil aut minimum à naturali distat, substantia, colore, sedimento: in putrida, penitus cruda vel obscure concocta conspicitur, idque maxime initio. Nec sæua in illa velut in putrida febre comitantur symptomata: nec rigor horrorve vllus initio fatigat; nec expiratio aut sudor præter consuetudinem

graueo-

graueolet. Si quæ ex his ephemeræ ſignis abeſſe videantur, non ea quidem pura, ſed ſpurca putanda eſt. *Ex Gal. Fernel. &c.*

IX.

Quæ in humoribus accenditur febris, vel eſt ἀλείπων intermittens, vel ἀλείπτων non intermittens. Febris ἀλείπτων triplex, ζωεχὴς continua, σύνοχος continens, & καῦσος ardens. Intermittens totuplex, ἀμφιμερινὸς quotidiana, τριταία tertiana, τεταρταία quartana. *Ex Galeni dogmate.* *Quotuplex febris humoralis.*

X.

Σύνοχός ἐστι πυρετὸς ἐφ' ᾧ ὁ παροξυσμὸς εἷς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους ἀλείπων εἰς πολὺν ἡμέρας ἐκτείνεται, μηδὲ ὁποσηοῦν τὴν αἰσθητὴν φαίνεται. Continens febris eſt in qua acceſſio vna à principio ad finem perpetuo manens, in multos dies porrigitur, nulla remiſſione ſenſibili apparente. *Ex Gal. cap. 2. lib. 9. meth. med.* *Quid ſynochus.*

XI.

Synochus duplex, vna eſt ſine putredine, altera putrida. Illa ex efferueſcente, hæc ex putreſcente in maioribus vaſis ſanguine, non mero quidem, ſed aliis humoribus permiſto, ſaque ipſo vel ſuo vapore cor continenter attingente gignitur. Hinc Vere ineunte adoleſcentes, temperatos intemperanter viuentes qui cum bene habito ſint corpore, multo tamen vino, multaque carne ſe implent, omninoque plethoricos prehendit, ſeque ipſa plenitudinis omnibus prodit notis, vt vultu rubicundo, venis ſanguinis copia turgentibus, tenſiua laſſitudine artus omnes occupante, capitis grauitate, ſomno profundo ac veternoſo, vehementi temporum pulſatione, reſpiratione difficili, pulſu magno, vehementi, frequenti & veloci, &c. Eaſdem igitur ſynochus vtraque cauſas habet, ſed putris quam ſimplex validiores, quæ non modo inflammationem, verum etiam putredinem accerſunt. Notæ item vtriuſque ſimiles, ſed inſigniores ac magis conſpicuæ in putri quam in ſimplici ſynocho, longeque grauiora ſymptomata. In hac præterea cutis non ſqualida, ſed mollis, non acri ſed blando calore madoreque perfuſa, pulſus æqualis & ordinatus, nec vrina multum à naturali diſtat: in putrida vero calor acrius contactum ferit, pulſus inæqualis & inordinatus, vrina, rubra, craſſa, turbida, ſedimentoque nullo. *Ex Gallen. Fernel. & cæteris.* *Quotuplex ſynochus.* *Vtriuſque ſynochi cauſa ac nota.*

XII.

Vtriusque synochi differentia.

Vtriusque synochi tres statuuntur differentiæ, aut enim æqualiter viget, neque crescens neque decrescens: hinc σωόχος dicitur ὁμότονος ἢ ἀκμαστικὸς. vel sensim augetur, & ἐπακμαστικὸς vocatur. Aut ab initio ad finem vsque minuitur, vnde φθακμαστικὸς nuncupatur. *Ex Gal. Fernel. Portuo, & reliquis.*

XIII.

Quid. causus.

Καῦσος ἐστὶν ὁ πυρετὸς κάτοχος ὑπὸ μονῇ τῇ ξανθῇ χολῇ ἐν τοῖς ἀγγείοις ἔτι μὴ ἐσῃ ἀναπόμπῳ, εἰς ἀπυρεξίαν μὴ παυόμενος, ἀλλὰ ἀφ' ἀρχῆς ἀκριβῶς ὅμοιος ἀφαμένων, ὅπ μὴ φθακμαστικὸς αἰθητὴ φαίνηται, ἀφ' τοῦτο μετὰ καύματος ἰσχυροῦ, ἢ δίψους ἀπαύστου, ἢ γλώσσης ξηρᾶς τε ἢ μελαίνης. Causus est febris peracuta in sola flaua bile intra vasa adhuc manente accensa, ad integritatem nequaquam desinens, sed perpetuo à principio febris vsque ad crisim similis perseuerans, quod nulla declinatio sensibilis appareat, ac proinde ingenti æstu & indesinenti siti, nec non & lingua arida, nigraq; assidue comitata. *Ex Gal. c. 6. lib. 2. de cris. & lib. defin. med. & multis aliis locis.*

XIV.

Quid lipyrias.

Quod si tanta accedat malignitas ac pernicies, vt interiores partes ipsaque viscera vti videantur, simulque externa frigeant, peculiari ea iam nomine Lipyrias febris appellatur. Ardentium quippe deterrima, in qua interioris ardoris vehementia instar cucurbitulæ calorem ad se ex toto corpore reuocat. *Fernel. ex Gal. &c.*

XV.

Quid febris continua.

Συνεχὴς ἐστὶν ὁ πυρετὸς εἰς ἀπυρεξίαν μὴ παυόμενος, πρὶν τελέως λυθῆναι, κἂν φθακμαστικὸς αἰθητὴ φαίνηται. Continua febris est quæ ad integritatem non peruenit, antequam ex toto soluatur, etsi declinatio aliqua sensibilis appareat. *Ex Gal. c. 6. lib. 2. de crisib.* Vt igitur synochus atque causus nec intermittunt nec remittunt, sic nec syneches non intermittit quidem sed remittit vel singulis diebus, vel tertio vel quarto quoque die. Vnde continua febris quotidiana, tertiana & quartana dicitur.

& quotuplex.

XVI.

Causa quotidianæ, tertianæ ac

Febris quotidiana à pituita, tertiana à bile, quartana à melancholia in maioribus quidē vasis continua, extra vasa vero putrente intermittens

tens gignitur, quod sola ex humoribus pituita quotidie, bilis tertia, & melancholia quarto quoque die commoueatur, ac ἐφεδόν faciat. *Ex Gal. & reliquis.* *quartana continua & intermittentis.*

XVII.

Continua febris ab intermittente discernitur, non modo ex eo quod vltra viginti quatuor horas exporrigatur, neque vt intermittens vel manifesto sudore vel sensim hoc tempore desinat, sed etiam quod nullo rigore aut horrore aut frigore prægresso repente calor hominem adoriatur: intermittentis autem initio rigor aut horror aut frigus fatiget, quia concitatus tum, turgensque humor putridus partes sentientes concutiat. Et si paucus est, aut eius parua acrimonia, motusve lentus ac languidus solum frigus inuehit, calore ac spiritu à corporis circumferentia ad centrum reuocatis: sin copiosior est, aut acrior, aut eius impulsus concitatior, horrorem infert: quum vero plurimus, isque vehementer acer ac mordax magno impetu in sentientia membra fuerit excussus, verum rigorem inducit. *Ex Fernel & aliis.* *Quibus notis continua febris ab intermittente internoscatur.*

XVIII.

Quotidiana tum continua tum intermittens natura frigidis & humidis, obœsis, voracibus, otiosam vitam degentibus, mulieribus, senibus, hyeme, frigidisque regionibus familiaris est, quod ex redundantis pituitæ (cuius innotescit signis) gignatur putredine. *Ex cons. med.* *Quotidiana quibus, quando & vbi accidat.*

XIX.

Quotidianæ intermittentis accessio non repente sed sensim inuadit, corporis extrema duntaxat refrigerans, raro admodum rigore concutiens: corporis adest grauitas & inexpugnabilis dormiendi necessitas, plerumque & hoc initio animus vel defectione vel syncope languescit. Calor deinde tardetim & ægre augescit, magna certe inæqualitate, qua modo calor, modo frigus percipitur. Accensus deinde calor non acer, sed hebes & halituosus tangenti primum occurrit, quasi ex succensis viridibus lignis vapor sublatus. Postea vero aliquantum mordax & acer: quum in omne corpus iam effusus est, nullum vehemens incendium corpus nudare cogit, nec ardoris compunctio id varie iactare, nec spirandi difficultas multum frigidum q; aërem ducere, nec sitis vehemens aquã frigidam exposcere. Inclinans accessio primis diebus nullum, postea vero paucum sudorẽ effundit, qui pro vaporis *Quotidiana intermittentis signa.*

specie

ſpecie pinguis viſcoſuſque eſt. Tota acceſſio horarum eſt octodecim, intermiſſio ſex, quæ raro integra puraque exiſtit. Pulſus paruus, languidus, ſummiſſus ac rarus, præſertim acceſſionis initio & incremento, quod natiuus calor frigidi, craſſi viſcoſique humoris agitatione vehementer prematur. Poſtea vero creber euadit, ſed minus quam in tertiana, æque tamen velox atque in quartana: huius inæqualitas omni acceſſionis tempore quam in cæteris intermittentibus maior: vrina primis diebus tenuis & alba cernitur ex crudæ materiæ copia, quæ & vehementer obſtruit, & natiuum calorem obterit, poſtea vero cum materia coquitur, eiuſque nonnihil cum vrina præterfluit, rubra, craſſa, turbidaque redditur. Alui dejectio liquida, cruda, pituitoſa. *Fernel. ex conſ. med.*

XX.

Quid epiala febris. & vnde oriatur.

Ex quotidianarum genere febris eſt Epiala, qua eodem ſimul tempore calor friguſque quauis corporis particula percipitur. Huius cauſa putatur vitrea pituita leuiter putreſcens, cuius portio incenſa iam eſt, altera vero necdum putredinem experitur. *Fern. &c.*

XXI.

Tertiana & ardens, quos, vbi, & quando infeſtet.

Tertiana quæ alternis diebus ſi continua excandeſcit, ſin intermittens cum rigore repetit, cholericos, iuuenes, qui laboribus, vigiliis, curis, victui calido ſiccoque aſſueti ſunt, calidis ſicciſq; regionibus, æſtate, æſtuoſoq; cœlo frequenter infeſtat, quemadmodum & καῦσος, quod ex flaua bile accendatur. *Ex med. conſ.*

XXII.

Quotuplex tertiana.

Tertiana alia exquiſita, ex bile ſyncera putreſcente orta: alia notha ex permiſtione bilis ac pituitæ genita. *Ex conſenſ. med.*

XXIII.

Signa tertiana exquiſita.

Exquiſita tertiana omnes flauæ bilis in corpore luxuriantis cauſas habet manifeſtas. Repente quidem hæc prehendit inſigni rigore, quo plerumque corpus omne concutitur, ſub cuius finem excuſſa bilis ſæpe vomitione redditur: hinc calor breui accenditur, & in omne corpus effunditur, mox ad vigorem feſtinans, acer, pungens & inlectam manum acriter feriens, ſed ſtatim miteſcens. Laborans ita exuritur, vt & corpus nudet & varie iactet, & ſpirandi difficultate oppreſſus

preſſus magnum multumq; ſpiritum ducat, ſitique enectus frigidam expetat, vigiliis, capitis dolore & ira furoreque percitus. Longiſſima acceſſio horarum eſt duodecim, interdum ſeptem vel quatuor, multo quidem ſudore, eoque calido & vaporoſo inclinans, quam pura ſequitur intermiſſio. Pulſus acceſſionis initio contractus, paruus, poſtea vero quam in cæteris celerior atq; crebrior, quod refrigerij maior inſit neceſſitas: vehemens & validus, ſed aliquantum durus ob arteriæ ſiccitatem, minimum inæqualis ob tenuitatem materiæ, cuius eſt facilis inflammatio, ob id etiam quod non minor ſit refrigerij ex diaſtole, quam expellendorum putridorum ex ſyſtole neceſſitas. Vrina flaua aut flammea, ſubſtantiæ mediocris, & odore grauis. At tertiana notha non omnes bilis; ſed quaſdam etiam pituitæ cauſas habet euidentes. Vnde rigor minus vehemens, ſed diuturnior, calor minus pungēs minuſq; vehemens, qui nō æquabilis in omne corpus inuadit, abſimilis igni ex miſtis virentibus ſicciſq; lignis ſuccenſo, ardoris ſymptomata omnia mitiora, quod bilis furorem pituita reſtinguat: hinc etiam pauco nec admodum calido ſudore inclinat. Acceſſio vltra horas duodecim multum exporrigitur, quanto que longior fuerit, tanto impunior. *Ex Fernel. & reliquis.* *Notha.*

XXIV.

Quartana alia exquiſita, alia notha. Exquiſita quartana quam melancholia naturalis præcipuam in liene ſedem adepta procreat, natura frigidis & ſiccis, melancholicis, ætate inclinante & autumno accidit. Quartana vero notha ex atra bile orta, ſub æſtatis medium ætate conſiſtentes corripere ſolet. *Ex med. conſenſ.* *Quotuplex quartana.* *Quibus & quando cōtingat quartana.*

XXV.

Quartanæ acceſſionis initium à frigore eſt valido, quod eouſque ſenſim inualeſcit, dum horrorem, ac vehementem nonnunquam rigorem inuehat, non eum quidem vt in tertiana pungentem ferientemque, ſed vere contundentem, quo corpus vniuerſum tremore concutitur, dentes ſtrident, articuli vero ac oſſa quaſi pondere obteruntur: hoc abeunte vomitio erumpit amara, quum præſertim viæ patent in ventriculum. Calor accenditur non vt tertianæ vehemens, ſed quam quotidianæ ardentior: neque is toto corpore æquabilis eſt, ſed cū quadam frigoris permiſtione, & permanente quodam artuum & oſſium dolore. *Exquiſita Notha.* *Signa quartana exquiſita.*

dolore. Sitis, vigiliæ, capitis dolor, reliquaque ſymptomata ſæuiora quidem quam in quotidiana, mitiora quam in tertiana. Acceſſio quam in cæteris intermittentibus longior, hancque ſudor finit quam in quotidiana vberior. Pulſus acceſſionis initio multo quam naturalis languidior, minor, tardior ac rarior. Poſtea vero validus, magnus, frequens ac celer, & quam in cæteris febribus inæqualior. Vrina primis fere diebus tenuis, alba, aquoſaque. Poſtea vero & ſubſtantia & colore & contentis ſæpe mutabilis, quod eius materia plerumque varia ſit. Æſtiua autem quartana quæ à bile flaua aduſtione in atram degenerante naſcitur, paroxyſmos habet multo quam autumnalis grauiores, ſed breuiores: hæc ſæpius ex ſeipſa, non ex alia præcedente febre originem habet, fereque ſuccedit lienis tumori, quem naturalis melancholiæ exuperantia peperit: illa vero aliarum febrium vel continuarum vel intermittentium erraticarum ſoboles eſt: vtque huic in liene, ſic illi in iecore focus eſt. *Ex Fernel. &c.*

Notha.

XXVI.

Vt quotidiana fere fiat affecto ventriculo, tertiana iecore, & quartana liene.

Ὁ δ' ἀμφημερινὸς, οὐδὲ χωρὶς τοῦ στόμα τῆς γαστρὸς πεπονθέναι, τὰ πολλὰ σωίσταται καθάπερ ὁ τεταρταῖος ὅλῃ σπληνὶ κακοπαγοῦπι, ὁ δὲ τελταῖος & ὅλῃ ἥπατι. Vix citra oris ventriculi iniuriam fit quotidiana: quèadmodum nec ſine lienis vitio quartana: nec tertiana abſque iecoris offenſione. *Galenus 1. ad. Glauc.*

XXVII.

Hectica febris vnde dicta.

Ἑκτικὸς ὁ πυρετὸς λαλεῖται, εἴθ' ὅτι μόνιμος τ' ἐστὶ καὶ δύσλυτος καθάπερ ἡ ἕξις, εἴθ' ὅτι τὸν ἕξιν τοῦ σώματος ἀντιλαμβάνεται. Hectica febris vocatur vel quia ſtabilis eſt ac ſolutu difficilis quemadmodum habitus, vel quia ipſum corporis habitum occuparit. *Gal. c. 9. lib. 1. de diff. febr.*

XXVIII.

Hectica febris quæ ratione oriatur.

Hectica febris quæ vera ſimplexque exiſtit, aut ſtatim ab initio prehendit, aut ephemeræ ſuccedit: fit autem à vehementibus cauſis euidentibus, vt ab iracundia, à mœrore, labore, æſtu, ſiti, inedia. *Ex Fernelio & cæteris.*

XXIX.

Hectica febris gradus quot 1.

Tres ſtatuuntur febris hectícæ gradus, primus cum ſolida partium ſubſtantia calore febrili dumtaxat incenditur. Secundus cum amplius procedẽte calore carnoſa partium ſubſtantia abſumitur. Ter-

2.

3.

tius

tius cum immanis ille calor humidum primigenium insitumque spiritum manifeste depopulatur: tumque hectica μαρασμώδης cum marcore appellatur. *Ex Fernel. & cæteris.*

XXX.

Incipientis hecticæ febris primique gradus signa sunt, cum vehementes causæ euidentes antecesserunt. Exacto triduo aut quatriduo, cum ephemera amplius dici nequeat, si febris perseuerat æqualis citra insignem vel additionem vel minutionem: quæ quia æqualis existit, sine vllo dolore est, vixque laborans febricitare se putat. Magna virium imbecillitas est cum quodam languore. Tangenti calor mitis primum apparet, sed mox acer ac mordax. Pulsus debilis, paruus ac frequens: & arteriæ quam circumpositæ partes calidiores sentiuntur: hora vna duabusve ab ingesto cibo calor exacuitur, pulsusque crebrior atque celerior euadit: cibo autem confecto febris in pristinam æqualitatem redit. Vt enim si calcem humore conspergis, vapor multus acriorque calor suscitatur, ita & corporis solidæ partes hectico calore obsessæ ampliorem calorem effundunt, dum cibi madore proluuntur. *Note primi gradus hectica.*

Quum secundus gradus est hecticę, præter superiora inualescente corpus iam manifeste liquescit & absumitur. Vrinæ pinguedo telis araneorum similis innatat, cutis arida squalidaque existit. Pulsus durus tensusque est, multoque debilior ac minor. Febris marasmodes veruſque marcor, & tertius hecticæ gradus est, cum præ siccitate consumptione corporis, oculi supra modum caui sunt, & prominent quæ circiter sunt ossa, aridæ palpebræ vix attolli possunt, atque vt dormienti conniuent; neque tamen is status somnus est, sed dormiendi impotentia. Collapsa tempora, frons dura, intenta & arida: facies squalida & plumbea, cuius & viuidus color periit. Venter quasi inanis, depressus atque contractus, reliquumque corpus omne ita aridum vt nihil præter ossa membranis & cute obducta, & quasi sceleton esse videatur: ipsaque cutis apprehensa vt corium aridissima apparet. *Secundi gradus.*

Pulsus omnium maxime durus, paruus, debilis ac frequens. *Tertij gradus.*

Fernelius ex cat. med. consens.

DISTINCTIO II.

De Febrium prognosi.

CANON I.

Quomodo & quando ephemera febris soluatur.

EPhemera quia in tenui & dissipabili est subiecto, vel sudore vel madore, vel insensili transpiratu vno fere die soluitur, vnde nomen diariæ illi est inditum. *Ex med. consens.*

II.

Quid in ephemera si diem vnũ excesserit metuendũ.

Quum diaria nulla inclinatione, nullo sudore, aut etiam finito sudore, statu pari diem vnum excesserit, metuenda permutatio vel in synochum, vel in putridam, quod ex signis suspectæ imminentisque febris internoscitur. *Fernel ex cons. med.*

III.

Vbi in synochi simplicis in putridã transitus sit metuendus.

Synochi simplicis in putridam metuendus est transitus, vbi non simplex cutis constipatio in causa est, sed & ab impactis multis crassis viscosisque humoribus vera obstructio, quæ non cutem solam, sed & tenues iecoris habitusque corporis venas infarciat. Cum enim valida obstructio perspirationem diutius prohibet, adeo vt nec vis refrigerãs foris intro subeat, nec tenuia, acria & fuliginosa excremẽta intus foras erumpant, natiuũ calorem strangulari, & quæ cumq; illic calida humidaq; sunt tandem putrescere necesse est. *Ex Fernel. & aliis.*

IV.

Vt causo rigorem superuenire bonum.

Τὸ καύσῳ ἐχομένῳ ἐπιγιγνόμενος ῥῖγος, λύσις γίνεται. Qui ardente febre correptus est, à morbo liberatur, si rigor successerit. *Hipp. aph. 58. l. 4.* Quia καῦσος fit à bile in vasis putrescente, quæ succedente rigore discutitur, cum rigor non accidat, nisi vbi per sensiles corporis partes bilis veloci motu defertur, post quem & sudores & alui fluores & vomitus bilioſi superueniunt. Bile autem ex qua febris ardens ortum habuit expurgata, soluitur febris. *Ex Galeno.*

V.

Vt rigor febribus ardentib. die

Quicumque febribus præcipue καυσώδεσιν ardentibus rigores superueniunt, κρίσιν habere solent bonam atque perfectam, vbi in die

κρισίμῳ

κρισίμῳ fiunt, & cum ſignis coctionis. Non bonam autem neque perfectam, quando vel coctionis ſigna fuerint imperfecta. Itaque ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ἐκτιτύσισιν ἐξ ἐσπέρης γίνεται, δύσκριτα. Quibus in febribus ſexto die rigores fiunt, ij difficile iudicium afferunt. *Ex Galeno & Hippocrat. aph. 29. lib. 4.*

critico ctū ſignis coctionis ſuperueniens, perfecta criſis ſit index: imperfecta, contra.

VI.

Ην ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι θανάσιμον. Si rigor incidat, febre non intermittente, ægro iam debili, lethale eſt. *Hippocrat. aph. 46. lib. 4.* Nam ſi aliqua euacuatio rigorem ſubſequatur, quæ nullam faciat intermiſſionem, propter vtrumque, hominem diſſolui conſentaneum eſt, & quia vis imbecillis ferre non poteſt rigoris agitationem, & quia ab euacuatione reſoluitur. Si vero ſolus accidat rigor, nulla euacuatione ſubſequente, lethale ſignum erit ſummam indicans imbecillitatem naturæ, quæ ſolita in rigoribus noxios humores euacuare, nunc id efficere non poſſit, quod victa ceciderit & extinctioni proxima ſit. *Ex Gal.*

Vt rigor ægro debili ſuperueniens non deſinente febre, exitioſus.

VII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται καὶ δίψῃ ἔχῃ, θανάσιμον. In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, & interiores vrantur, & ſitim habeant, lethale eſt. *Hippocrates aph. 48. l. 4.* Id enim καύσις κακοηθεστάτοις febribus ardentibus valde malignis velut ilipiriis tantum accidit, cum vehemens aliqua inflammatio in parte corporis profundiori, vel eryſipelas conſiſtens, totum ex toto corpore ſanguinem ad locum trahit patientem, atque ideo vruntur profunda, ſed cutis refrigeratur, vt fit in principiis acceſſionum. *Ex Gal.*

Vt in febribus non intermittentibus exteriores partes frigere, & interiores vri, lethale.

VIII.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν. In morbis acutis frigiditas partium extremarum, malum. *Hipp. aph. 1. lib. 7.* in continuis enim febribus partium extremarum frigiditas vehementiſſimam cuiuſdam viſceris, vt iecoris aut ventriculi inflammationem ſignificat, cuius calor inſtar cucurbitulæ ſanguinem ad ſe trahit, vnde extremæ partes frigeſcunt, ſanguine deſtitutæ. *Ex Galeno.*

Vt in acutis febribus extremitates frigere, perniciоſum.

IX.

Quæ in cõtinuis febribus proximã mortem denuncient.

Ἐν μὴ λιποπυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρύς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος καὶ σώματος, ὅπα ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος. Si in febre non intermittente labrum aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non videat, nec audiat, imbecillo iam existente corpore, quicquid horum acciderit, mors in propinquo est. *Hippocrates aph. 49. lib. 4.*

Vt in febre continua spirandi difficultas cum delirio lethalis.

Partium enim peruersiones fiunt tensis atq; ad sua principia contractis iis neruis qui ad eas pertingunt. Quod cum acciderit prope neruorum originem, febre existente continua, & ægro debili, non absque ratione proximam mortem esse putandum est, multoque magis cum non audit, aut non videt, propter virtutis sensibilis imbecillitatem. *Ex Galen.*

X.

Οκου ἂν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ λιποπυρετῷ δύσπνοια γένηται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον. Quando in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium accidit, lethale est. *Hipp. aph. 50. l. 4.* Quia spirandi difficultas ob aliquam earum partium quę respirationi obseruiunt passionem contingit: delirium vero propter cerebri læsionem. Hæc vero omnia periculosa sunt, præsertim febre continua adiuncta. *Ex Galen.*

XI.

Vt in acutis febribus conuulsiones cũ grauissimis circa viscera doloribus exitiales.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ κακόν. In febribus acutis conuulsiones & circa viscera vehementes dolores, malum. *Hipp. aph. 66. l. 4.* Febres enim vehementes ignis instar neruos exsiccantes eos extendunt atq; conuellunt, atq; ita pernicioſas adferunt conuulsiones, nimirum ex inanitione & siccitate. Nonnumquam vero & viscera ipsa per talem affectum forte sentiunt dolorem, propter incendij vehementiam ac siccitatem. Hæc autem quoties superueniunt, mortem portendunt. *Ex Galen.*

XII.

Vt sudorem crebro erũpere, nõ deficiente febre, malũ.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς θερμὸς καὶ ἐπιπολαίως καὶ πυρετὸς κακόν· μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος καὶ ὑγρασίαν πολλὴν σημαίνει. Febricitanti si sudor crebro accidat, febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem. *Hipp. aph. 56. l. 4.*

XIII. Τῶν

XIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ὀλιγοπλανῶς τὸ σῶμα μένειν καὶ μηδὲν ἐκδίδοναι τὸ σῶμα ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον ἢ κατὰ λόγον, μοχθηρὸν τὸ μὲν γὰρ μῆκος νόσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν. Corpus eorum qui non omnino leuiter febricitant permanere, & nihil comminui, aut magis quam ratio postulat contabescere, malum. Illud enim diuturnitatem morbi, hoc imbecillitatem significat. *Hipp. aph. 28. l. 2.* Nam quod tale permaneat, id ex densitate cutis accidit, & crassitie humorum & propterea longitudo morbi significatur: quod autem contabescat nimis, id contingit ob humorum tenuitatem & cutis raritatem, aliquando & ob solam virium imbecillitatem. *Ex Galen.*

Vt febricitantis corpus non extenuari, aut prater modũ contabescere, malum.

XIV.

Πυρετοὶ ἀλείποντες, ἀκίνδυνοι. Febres intermittentes periculo vacant. Quia neque ex inflammatione aliqua, neq; ex maligna humorum putredine excitantur, cum neutra intermittat. Adde quod in intermissione natura cibos admissos cõcoquat, vnde noui spiritus fiunt, ex quibus vires calore febrili debilitatæ resarciuntur. *Ex Hippocrat. & Galen. aph. 43. lib. 4.*

Vt febres intermittentes sine periculo sint.

XV.

Ἐπὶ μὲν δὴ τοῖς ἀλείπουσιν, ὀξύτατός τε ἅμα καὶ ὑπεικέστατος, ὁ τριταῖος ἐστί· μακρότατος δὲ καὶ ἀκίνδυνος, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ ὁ τεταρταῖος· ὁ δ' ἀμφημερινὸς μακρὸς καὶ οὐκ ἀκίνδυνος. Ex intermittentibus quidem febribus breuissima simul & mansuetissima, tertiana est: longissima vero, sed tuta, quantum in se est, quartana. Quotidiana verò longa est, & periculo non vacat. *Galenus 1. de cur. rat. ad Glauc.* Galenus autem tertianam omnium mitissimam vocat, non quod grauiter non infestet, & caloris vehementia & sitim & id genus aliis symptomatis, sed quia omnino vacat periculo, minimeq; maligna est. *Akakia.*

Qua intermittentiũ febrium breuissima, qua longissima, qua magis vel minus periculosa.

XVI.

Οἷσιν παροξυσμοὶ γίνονται, ἢν αὖ ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥραν ἰῶν λάβῃ, δύσκριτα τὰ τοιαῦτα δύσλυτα. Quibus accessiones fiunt, si febris quacumq; hora dimiserit, postero die eadẽ inuaserit, difficulter soluitur. *Hipp. aph. 30. lib. 4.* Propterea quod ὅταν μὲν ἀσήμαντον ᾖ τὸ τῶν παροξυσμῶν αἴτιον, ἡ φυλάττει τὴν περίοδον καὶ περιμένει ὅταν δὲ ἐσπεσὸν μᾶλλον φυλάττει, καὶ διὰ τοῦτο δύσλυτον μὲν ἐστὶ τὸ ἐσπεσόν, εὔλυτον δὲ τὸ μὴ

Vt difficilius soluantur febres, quarum accessiones eadem hora repetunt, quam quæ non eadem hora.

τὸ μὴ πιέζειν. Causa accessionum vbi non fuerit fixa ac stabilita, non seruat eundem circuitum certumque terminum, vbi vero firmata fuerit, seruat. Atque ideo solutu difficilis causa quæ fixa ac stabilita est, vt quæ non longo tempore ac pluribus auxiliis, iisdemque validioribus extirpari possit. Solutu autem facilis quæ talis non est. Quo fit vt non experientia modo comprobatum, verumetiam rationi consentaneum esse videatur, longe difficilius intermittentes solui febres, quarum accessiones quotidie vel tertio vel quarto quoque die eadem hora repetunt, quam quæ non eadem hora inuadunt. *Ex Galeno.*

XVII.

Tertiana exquisita quot periodis iudicetur.

Τεταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον. Tertiana exquisita in septem circuitibus, quam tardissime iudicatur. *Hipp aph. 59. lib. 4.* Ὁ γὰρ ἐπὶ τοῦ συνεχῶν ἡμέρα μία δύναται, τοῦτο ἐπὶ τῶν διαλειπόντων ὁ παροξυσμός. Quod n. in continuis vnus dies potest, hoc in intermittentibus accessio. Siquidem secundum accessionum supputationem, intermittentium fiunt iudicationes. Quemadmodum igitur in morbis continuis, acutorum quidem terminus est quartus decimus, peracutorum vero septimus: sic in intermittentibus, quæ longissimum tempus durat tertiana, terminum habet circuitum septimum. Et rursum, vt in peracutis, quinto quarto & tertio die morbus iudicari potest: sic in tertiana quoque iisdem circuitibus fieri solutio potest, natura minime septimam periodum expectante. *Ex Gal.*

XVIII.

Quartana quæ breuis, quæ longa.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες· οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες. Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales vero longæ, præsertim quæ hyemem attingunt. *Hipp. aph. 25. l. 2.* Quartanæ enim vt & alij morbi æstate breues fiunt, propterea quod humores vitiosi ambientis calore per vniuersum corpus fusi prompte discutiantur, meatibus totius corporis patefactis. Hyeme vero longiores, quod humores intus remaneant, meatibus corporis frigore occlusis. *Ex Galeno.*

XIX.

Hectica quæ incurabilis.

Hectica febris tertium magnitudinis gradum iam adepta & ad marasmum omnino perducta, penitus immedicabilis existit. Quum enim

enim nobis insitum sit & ex semine contractum humidum primigenitum, quicquid illius calore febrili absumptum fuerit, resarciri numquam potest, & hominem necesse est multo ante tempore interire, quam maior illius portio disperdatur. Carnosa vero substantia quia instaurari potest, secundus hecticæ gradus curationem admittit, nisi iam forte marcori sit proximus. *Ex Fernel. &c.*

qua curabilis.

DISTINCTIO III.

De Febrium therapia.

CANON I.

CVm febris sit intemperies calida & sicca, refrigerantibus & humectantibus omnis est oppugnanda remediis. Vnde αἱ ὑγιεῖαι δίαιται πάσι τοῖσι πυρετοῖσι ξυμφέρουσι, μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισιν τοῖσιν ἔτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & iis qui tali victu vti consueuerunt. Vtpote morbo calido & sicco contrarius, atque corpori natura humidiori siue id ratione ætatis, siue consuetudine fiat, familiaris. Victus autem potentia humidus hic potissimum intelligitur, quamquam si simul etiam actu humidus ac liquidus est, plus prodest. Is quippe victus non ea solum ratione, quia humectat, conducit, sed etiam quia facillime concoquitur. Febricitans autem cibum facillimæ concoctionis desiderat. Nam si quod concoquitur primum liquari, deinde distribui in corpus debet. Facillime autem liquatur, & distribuitur, ac proinde digeritur quod humidum est, eiusmodi victum omnibus febricitantibus vtilem esse necesse est. *Ex Hippocrat. Gal. Fuchs. aph. 16. l. 1*

Qua omni febri qua febri est, remedia conueniãt.

II.

Veræ quidem Ephemeræ, hecticæque febris curandæ vnica indicatio est, nempe alteratio: putridæ vero duplex, euacuatio & alteratio: illa quæ putrescentem materiam febris causam, hæc vero quæ relictam intemperiem auferat. In quibus ergo febribus causa iam desiit, sola opus est alteratione. Vbi vero vitiosa in corpore materia febrem gignit, illa primum euacuanda, tum intemperies alteranda, ac febris demum symptomata, si quæ molesta sint, corrigenda. *Ex Gal. &c.*

Quotuplex febris cuiusque curanda indicatio.

III.

Qua ratione febris continens curetur.

Τὸν πυρετὸν σύνοχον ἰαθῆναι μὴ ἀδύνατον ἄνευ τοῦ παύσασθαι τὴν σηπεδόνα. παύσασθαι δ' οὐ δύναται μὴ λυθείσης τῆς αἰτίας. ἐκκριθῆναι δὲ χρὴ τὴν αἰτίαν αὐτῆς, ἐν μέλει πρότερον μὲν ἡ σήψις, ἐπ' αὐτῇ δ' ὁ πυρετὸς ἰαθήσεται. Fieri non potest vt febris continens sanetur, nisi inhibita prius putredo sit. Porro ea inhiberi causa manente, non potest. Quare summouenda ipsius causa est, si modo putredo ipsa prior, mox post ipsam febris sanari debebit. *Gal. c. 2. l. 11. meth. med.*

IV.

Cur in omnibus putridis febribus secanda vena.

Κάλλιστον φλέβα τέμνειν, οὐ μόνον ἐν τοῖς συνόχοις πυρετοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς ὑπὸ σήψει χυμοῖς ὅταν γε ἤτοι τὰ τῆς ἡλικίας, ἢ τὰ τῆς δυνάμεως μὴ κωλύει. Saluberrimum est in febribus venam incidere nõ continentibus modo, verumetiã aliis omnibus quas putrescens humor cõcitat, vbi præsertim nec ætas nec vires prohibent. Leuata namq; quæ corpus regit natura, exoneratag; eo quo velut sarcina premitur, longe facilius quod reliquum est vincet. Itaque proprij muneris haud oblita & concoquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. *Gal. cap. 15. lib. 11. meth. med.* Phlebotomia igitur putridis febribus ideo vtilis, quod τὸ αἵματος πλῆθος ἢ δύναμιν βάρυνον, ἢ τὰς φλέβας ἐμφράττον, sanguinis plenitudinem, vires prementem & venas obstruentem, vnde putredo excitatur, demat, sicq; ex accidenti refrigeret & febrem extinguat. *Ex eod. Gal.*

V.

Quæ continentis febris maxima remedia.

Ἰάματα συνόχων πυρετῶν δύο ταῦτ' ἐστὶ μέγιστα, φλεβοτομία καὶ ψυχρόν, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἐν παντὶ καιρῷ φερούσης γε τῆς δυνάμεως, ἡ δὲ ψυχρᾶ πόσις, ὅταν ἐν μὲν τοῖς σφυγμοῖς καὶ τοῖς οὔροις, τὰ τῆς πέψεως ἐναργῆ σημεῖα βλέπηις, μέγιστος δ' ὁ πυρετὸς εἴη. Maxima continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigidæ: verum illa nullo non tempore conuenit, modo vires sustineant: hæc cum & in pulsu & vrinis euidentes cernuntur concoctionis notæ. Febris autem est maxima. *Gal. c. 5. l. 9. meth. med.*

VI.

Quamobrẽ in synocho sanguis quamprimum de-

In synocho quamprimum secanda vena est, vt inhibeatur putredo, & calor præter naturam extinguatur, imminensque suffocationis vel syncopes metus arceatur, ac non vltra septimum diem crisis prorogetur. Detrahendusque sanguis, si vires robustæ sint, nec

ætas

ætas reclamet, ad animi deliquium vsque. Primum namque in contrarium ſtatum agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratum. Hoc vero nemo inuenire poteſt, neque quod ipſis ægris, neq; quod naturæ quæ animantes gubernat iucundius, vtiliuſque ſit. Deinde neceſſario ſuperuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio. Quas res ſtatim à toto corpore madores ſudoreſque excipiunt. Vbi autem nec valida virtus ſubeſt, nec ætas permittit vſque ad animi defectum ſanguinem mittere, tutius eſt, quantum ſatis viſum fuerit, tantum principio detrahere, quod defuit iteratione ſupplere. *Ex Galen. c. 4. l. 9. meth. med. & alibi.* *trahendus, & quomodo.*

VII.

Frigida audacter potui exhibenda in vigore febris continentis, ardentiſque, apparentibus coctionis ſignis, ſi nulla inflammatio, nec tumor alius præter naturam, nec inſignis obſtructio in viſceribus ſubſit, nec ventriculus, hepar, pulmones, renes, aliave pars princeps præ peculiari quodam vitio imbecillior fuerit, ægerque ψυχροπότης, frigidæ potioni aſſuetus ſit. Iis autem frigida nequaquam offerenda, quibus nulla in pulſu & vrinis conſpicua ſunt coctionis ſigna, quibus in principe parte tumor aliquis è phlegmones, eryſipelatis, œdematis aut ſcirrhi genere conſtitit, quibuſque obſtructio putriduſve humor non concoctus incommodat. Quia gelida intempeſtiue & immodice exhibita lentos craſſoſque humores, qui tumorem præter naturam, obſtructionem, putredinemque pariunt, attenuari digerique prohibet. Lædit & eos quibus princeps aliqua pars infirma eſt. Nec iis tuta, qui exiguum ſanguinem carnemque obtinent. *Ex Galen. c. 5. l. 9. meth. med. & alibi.* *Quando frigida potio in ſynocho exhibenda.* *Quibus nõ offerenda.*

VIII.

Animaduertendum in continente febre alendos eſſe ægros, quo tempori ſani, ali conſueuerunt, & vbi maius leuamen ſentiunt. Ita enim alimentum facilius ferent: In continua vero febre vbi illa remiſit: in intermittente, vbi ad apyrexiam deſiit. Item in acutis febribus eſſentialibus, principio tenuem victum, in incremento tenuiorem, in vigore tenuiſſimum ægris exhibendum eſſe, quia criſis tum exſpectatur nec perperam natura ab vrgentiori concoquendorum & expellendorum humorum negotio diſtrahenda eſt. In ſymptomaticis autem *Quo tempore exhibendũ alimentũ in febre continẽti, in cõtinua, in intermittente. Qua victus ratio inſtituenda*

In febribus essentialibus. autem febribus à phlegmone ortis contrario modo cibum porrigendum esse, nimirum in principio tenuissimum, vt partes singulæ humorem superfluum auidius retineant, præcipitem & efferatum fluxionis impetum coërceant, inflammationemque febris symptomaticæ sobolem imminuant. Deinde in incremento & vigore pleniorem, quia tum vires fatiscunt. *Ex Hipp. Gal. Fuchs. Bertino & aliis.*

Quæ in symptomaticis.

IX.

Quæ in quotidiana curanda requirantur. In quotidiana victus ratio incidendi & extenuandi vi prædita esse debet. Et cum febris hæc non admodum calida sit, ad eius causam potius quam ad ipsam febrem medendi consilium videtur dirigendũ. Interim de ventriculo, maximeque eius ore habenda est sollicitudo. *Ex Gal. & aliis author.*

X.

Quæ ad exquisitæ tertianæ curationem molienda. Exquisitam tertianam, vt in qua concitata bilis flaua dominetur, quoad fieri maxime potest, humectare ac refrigerare oportet. Nam contrariorum contraria sunt remedia, quæ quod superat reprimant: quod autem deest, farciant. Flauæ autem bilis humor omnium qui in corpore sunt humorum calidissimus ac siccissimus est: itaque exinaniendus est, vomitu quidem, si ad ventrem repit: pari modo per aluum, si deorsum fertur. Per vrinas quoque & sudores exigere oportet. Balnea calida ex aqua potabili vbi primum coctionis signa apparent ex vsu sunt, tum quod bilis aliquid educunt, tum quod sua qualitate mirifice iuuant, vt quæ humectent & facultate refrigerent. A vino antequam morbus concoquatur, prorsus arcendi sunt: vbi autem coctionis initium habuerit, paucum, tenue & dilutum initio dandum est: liberalius vero vbi in propinquo morbi solutio est. Cibus autem frigidus & humidus confert. Tantus autem dari debet, quantus optime concoqui possit. In tertiana vero notha non vsque adeo tenuis victus ratio conuenit ne morbi diuturnitate deficiantur vires, nec quæ tota vt in exquisita refrigeret & humectet, sed quæ vim aliquam incidendi & calefaciendi assumat. *Galenus lib. 1. de curat. rat. ad Glauc.*

Quæ in tertiana notha curanda ex vsu sint.

XI.

Qua ratione quartana febris tractanda. Quartana blande leniterque per initia tractari debet, quod humor qui hanc efficit tractui sit contumax, nec antequam concoctionẽ sit expertus trahens medicamentum sequatur. Itaque nullũ principio

vehemens

vehemens medicamentum est exhibendum, nec detrahendus sanguis est, nisi admodum exuperare videatur. Ac si secta vena sanguis niger ac crassus, qualis maxime in lienosis conspicitur, profluat, audacter mittendus est: sin flauus ac tenuis, statim supprimendus. Secanda vero vel interna vel media sin. stri cubiti vena est. Victus qui flatus sit expers, probumque succum generet, instituendus. A suilla carne cibisque omnibus glutinosis & lentis, quique refrigerant, & exiccant, arcendi sunt ægroti. Vino autem albo, tenui & mediocriter calido vtantur. In morbi vero vigore tenuiori quàm ante vel post victus ratione vti debent. Ac si quartana minime violenta sit, non male per accessionum intermissiones ægroti ad solitas exercitationes sese conferent. *Galenus* 1. *de carn. rat. ad Glauc. & alibi.* Quartana vero notha ab atra bile orta, iisdem fere quibus tertiana remediis curanda venit, vtque in melancholica quartana lieni, sic in atrabilaria hepati prospiciendum est, quod eius sit in iecore focus. *Ex Galeno, Tralliano, &c.*

Quomodo quartana notha curanda.

XII.

Epithemata & reliqua refrigerantia medicamenta in principiis & incrementis accessionum non sunt admouenda. Hoc namq; tempore corporis affectus adhuc ambigit, & calor viscera obsidet: quapropter frigida adhibita calorem in profundum repellendo, maioris nocumenti occasionem præstant. Igneus enim calor intus repressus vehementiori rursus ardore excitatur. Sed in vigore accessionum, calore iam per vniuersum corpus explicato, hæc commode adhibentur. Tum enim residuum caloris præter naturam circa viscera adhuc hærens, prompte extinguunt. Hinc ægri melius spirare incipiunt, & leuiori siti infestantur. Quidam etiam rorido efflante vapore deliniti somnum capessunt. *ex Fuchs. & aliis.*

Quando epithemata in febribus vitanda.

Quo tempore admouenda.

XIII.

In sananda hectica hoc vnice studendum, vt corpus non solum per ea quæ intra corpus sumuntur refrigeremus & humectemus, verum etiam per ea quæ extrinsecus admouentur. *Ex Fuchs, &c.*

Quid ad tentandam hectica febris curationẽ moliendum.

CONSVLTATIO I.

De Febre Ephemera, pro iuuene picrocholo.

c. 8. d. 1. t. 7. l. 2.

FEbrem, quæ laborantem exercet, nec putridam nec hecticam esse,

sed ephemeram, vel ex eo dignoscere est, quod non sensim, precedente cib fastidio, aut spontanea corporis lassitudine, aut grauiore somno, & frequenti oscitatione, sed tota repente prehenderit, nec horror, nec rigor vllus initio fatigarit, nec vlla comitentur sæua symptomata, nec vehemens dolor, nec magna corporis iactatio, pulsusque celer & frequens quidem sit, sed tamen æqualis & ordinatus, magnus ac validus: Calorque tactu mitis, suauis ac habitu plenus existat: Atque vrina substantia, colore, sedimento minimum à naturali distet, sitque præterea ægrotans πικρόχολος. In hanc enim febrem maxime propensi sunt qui calido siccoque sunt corpore, & qui halitu acri plurimo confer. c.7.d.1 t.7. l 2. c.6.d.1.t.7. l.2. ferti sunt, quales bilioſi existunt. Adde quod hæc excitata sit à causis euidentibus, quas προκαταρκτικὰς Græci vocant, nempe ab immodico exercitio, improboque labore, flagrantissimo Solis æstu vigente susceptо, & inde profecta lassitudine, & à diuturniori inedia & vigilia, & intenta animi contentione ex curis & literarum studiis: quarum omnium vi & impulsu tenuis calidus, feruidusque spiritus, qui omnium quæ in corpore sunt promptissime incenditur, inflammatus est. Quod ad *prognosim* attinet, febris hæc cum diaria sit, intra viginti quatuor horas sudore, vel madore vel insensili transpiratu soluetur. Galeno siquidem authore, ἐφήμερος πυρετὸς ἅπας καλεῖται, ὅσος κατὰ τὸν ἴδιον λόγον ἡμέρᾳ γίνεται μιᾷ, *febris omnis diaria vocatur quæ sui ratione vno tantum die durat.* Quoniam enim in spiritu vago admodum tenui consistit, leuissima & facile dissipabilis est, nec constãs, sed veluti transiens ac præterfluens. Nec metuenda eius in synochum permutatio, cum in eos duntaxat synochus inuadat qui εὔκρατοι, εὐσαρκοι καὶ πληθωρικοὶ existunt. Nec eius in putridam conuersio, quum huic origo nec à cruditate ex nimia cibi copia & helluatione, vel ex vino meraciore, vel ex fructuum corruptorumque ciborum esu contracta fuerit: nec à naturalium vacuationum vt alui aut vrinæ quauis ex causa retentione, aut sudoris halitusve suppressione ob cutis densitatem & constipationem ex frigore, vel ex adstringente balneo: nec ab adenum maximeque inguinum tumore atque bubone & atrocibus cruciatibus qui corpus inflammant, humoresque exagitant. hæ siquidem tres causæ quia non solum qualitatem, sed & vitiosam materiam vel in corpore retinent, vel aliunde suggerunt, in periculum adducunt putridæ febris. Superest curatio iis perficienda remediis, quæ causis morbificis è regione aduersentur, iu-

Prognosis.

c.5.d.1 t.7. l.2.

c.1.d.2.t.7. l.2.

c.9.d.1.t.7 l.2.

xta Hip-

xta Hippocratis axioma: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα, *contraria contrariorum sunt remedia*. Cum igitur febris à vehementiori exercitatione contracta sit, quies corporis, animique tranquillitas imprimis est imperanda. Cum ab æstuoso aëre inducta sit, hic irrigatione aceti, *aqua rosacea* vel communis cum *rosis, violis floribus & foliis nenupharis, vitis, iunci per aream sparsis* erit contemperandus. Cum ab inedia, siti & vigilia & aliis corpus inanientibus oborta sit, cibo, potu & somno indulgendum est, ne in hecticam aut ardentem febrem incidat ægrotans, natura præsertim calidior ac siccior, adeoque biliosior. Cibus autem sit euchymus & concoctu facilis, refrigerans & humectans, cuiusmodi est Hippocratis & Galeni consensu ptisanæ cremor. Iusculum etiam ex *gallinaceis aut ex vitulina hœdinave carne*, in quo *lactuca, oxalys, bugloſſum & portulaca* incoxerint. Panis quoque eo iusculo coctus, & ipsarum carnium nonnihil oxalydis aut citrei mali succo vel omphacio intinctum. Ova insuper sorbilia, potus vinum album, tenue, oligophorum, aqua multa dilutum. Sitis lenienda est syrupo violato & iuiubino, & iulepo rosato. Victus porro plenior & liberalior concedendus ad reficiendos spiritus exhaustos, resarciendamque triplicis substantiæ iacturam labore, fatigatione, fame, vigilia, cura & animi meditatione factam, non tenuis & exquisitus, qualis est exhibendus iis qui diaria ab obstructione, aut cutis densitate, aut cruditate aut bubone laborant. Balneum aquæ dulcis calidiusculum præterea est illi valde profuturum, quia spiramenta corporis reserat (vnde facilius febrilis calor expirabit) & humectat, & refrigerat non ex accidenti modo, vacuato subiecto & calore febrili, sed etiam per se aqua in cutis meatibus retenta post balnei exitum ad pristinam frigiditatem redeunte. Operæpretium quoque fuerit, declinatione febris plane absoluta vniuersum corpus balneo relaxatum multo oleo calente simplici perfundere & molliter manibus confricare. Mollis namque frictio, authore Galeno 2. *de sanitate tuenda*, laxat, emollit & digerit quidquid exiguis corporis meatibus hæret. Oleum vero simplex tensa relaxat, dura emollit, sicca humectat, densa rarefacit & in halitum digerit, & quoniam obstruit quodammodo suo lentore cutem, impedit ne aqua balnei exiguos corporis meatus ingressa, ante discedat, quam satis superque refrigeratum humectatumque corpus fuerit, & in halitum

c. 13. d. 3. t. 1. l. 1.

halitum ſoluti humores. Interea oxyrhodinum fronti totique capiti eſt illinendum ad ardorem ex inſolatu contemperandum.

Conſultabat Frambeſarius Vitriti, anno 1587. cum D. Prouancherio.

CONSVLTATIO II.

De Ephemera notha, pro adoleſcente plethorico.

c.8.d.1.t.7. l.2. FEbris hæc cum derepente euidentium cauſarum vi, bene habitum corpus inuaſerit, in quo nulla erat ante functionum querimonia, proculdubio Ephemera eſt. Non enim euidentes illæ & prægreſſæ cauſæ putridam repente ingenerant, niſi cum vitioſa ſubeſt corporis præparatio. Hanc præterea teſtantur calor halituoſus & citra acrimoniam vehementius increſcens, pulſus celerior, frequentior ac vehementior citra inæqualitatem, atque vrina nec colore nec ſubſtantia nec contentis à naturali diſcrepans, & alia id genus diagnoſtica febris ephemeræ ſigna. Sed cum nec manifeſto ſudore, nec perſpiratione intra diem naturalem ſoluta ſit, eaque ab horrore inceperit, non veta diaria, ſed ſpuria putanda eſt. Quæ non à Solis æſtu, labore, intenta animi contentione, vigilia, inedia aliiſque cauſis procatarcticis corpus inanientibus, & per ſe calfacientibus & exiccantibus illata eſt: ſed à cruditate ex nimia cibi copia & vino meraciore, & ex alui retentione, ſudoris halituſq; ſuppreſſione ob curis denſitatem & conſtipationem ex frigore, & obſtructionem ex craſſo lentoq; humore contracta eſt. Quo fit vt pertimeſcendus ſit eius in putridam febrem tranſitus, cum præſertim calor paulo acrior eſſe incipiat, ac cephalalgia, ſitis, inappetentia cæteraq; ſymptomata ingraueſcant. Quocirca medendi ſcopus duplex, vnus therapeuticus in remouendis cauſis morbificis conſiſtens, alter prophylacticus ne diaria in putridam febrē degeneret prohibens. Ad vtrumque conſequendum, phlebotomia imprimis adminiſtranda eſt, cum præſertim plethora licet impura eam expoſtulet, nec ætas, vireſque reclament. Nam ἡ φλεβοτομία κοινὸν βοήθημα ἐστὶ τῶν πληθωρικῶν νοσημάτων, *venæ ſectio commune auxilium eſt eorum qui ex plenitudine fiunt morborum*, authore Galeno. Adde quod phlebotomia præterquam quod plenitudinem demit, obſtructa libe-

c.6.d.1.t.7. lib.2.

c.2.d.2.t. 7.l.2.

c.6.d.3.t.1. l.1.

c.33. d.3. t.1.l.1.

rat, ad-

rat, adstricta reserat, sudores mouet, aluum soluit & vrinas ciet, quæ omnia hic requiruntur. Deinde corporis ac potissimum primæ regionis impuritas, *ex puluere hieræ, rheo, senna, catholico*, aliove proprio pharmaco purganda est. Tum crassus lentusque humor incidendus & detergendus meatusque aperiendi, quo raporibus discutiendis pateat aditus, idque incidentibus, detergentibus & apperientibus tum alimentis, vt ptisanæ cremore & hydromelite, tum medicamentis, vt *oxymelite, & decocto calaminthæ, hyssopi, origani, serpylli in aqua mulsa & saccharo.* In eum finem id parandum erit apozema: *℞ radicum ʒ. aperient. polypod. querni ana ʒ j. passul. mund glycyrrh. an. ʒ ß. cichor. totius, endiu. scariol. agrimo. ana M j. comarum absynth. florum cord. an. P. j.* fiat decoctio ad ℔ j. in colatura dissol. *oxymelitis simplic. Gal syrupi capil. Ven. an. ʒ* ij. fiat apozema clarificatum, aromatiz. *cinamomo*, pro iiij. dosibus mane & vesperi sumendis. Postea adeundum erit balneum, corpusque moderate confricandum, manibus oleo inunctis, ad cæcos cutis meatus dilatandos, vaporesque resoluendos, & calorem alterandum. Cum igitur humorum exuperantia effectrix causa sit vt diutius protrahatur febris, illa quam primum venæ sectione demenda est. Cumque sit à repletione immodica, tum ex cohibitis naturæ excrementis, tum ex pleniore & calidiore alimento profecta, confestim naturalis consuetaque omnis vacuatio est molienda, adstrictior aluus blanda purgatione subducenda, vel moli saltem clistere sollicitanda, vrina paucior diureticis mouenda, sudores præter naturam cohibiti diaphoreticis ciendi. Præterea inedia cibique parcitas instituenda. Et quoniam origo illi est à cruditate, concoctio etiam iuuanda *electuario diarrhodon, aromatico rosato, cortice citrij condito*, vel *myrobalano* vel *nuce moschata condita.* firmandus quoque ventriculus *oleo mastichino, nardino, menthæ vel absynthij*, dum concoctionis bonitas existat. c. 13. d. 3. t. 1. l. 1.

Hæc consulebat Frambesarius Tulli cum D. Roseo, pro canonico Tullensi, anno 1587.

CONSVLTATIO III.

De Synocho citra putredinem, pro ephebo eucrato.

NEminem vestrum latet, laborantem febre vexari. Pulsus enim celer & frequentes, sitis, calor præter naturam, & alia id genus symptomata, manifesta sunt febris indicia. Febris porro omnis vel in spiritibus, vel in humoribus vel in solidis partibus primo accenditur. Hæc autem non in spiritibus tantum consistit, quia non est vno die soluta, quomodo Ephemera: nec in solidis partibus versatur, quia carnosa illarum substantia non est labefactata, vt in hectica. Ergo in humoribus sita est. Humoralis rursus febris vel est διαλείπων, intermittens, vel ἀδιάλειπτος, minime intermittens: Hæc autem nequaquam intermittit. Est autem febris ἀδιάλειπτος triplex, συνεχὴς continua, σύνοχος continens, & καῦσος ardens. At hæc συνεχὴς proprie continua non est, quia continua stat is periodis manifestas habet exacerbationes & remissiones: hæc vero nullas. Nec καῦσος ardens, quia καῦσος in corpus calidum siccumque ac plane biliosum duntaxat incidit: hæc vero in corpus temperatum bene que habitum irruit. Est igitur Synochus, excitata procul dubio à sanguinis plenitudine, cuius causis & notis manifeste se prodit. Nam εὐκρασία, ætas pubescens, victus εὔχυμος, εὔπεπτος ἢ εὐκρατος, isque plenior & liberalior, consueta exercitatio neglecta, sanguinis vacuatio iamdiu suppressa, vernum tempus, largioris sanguinis causæ procreatrices: & color faciei rubicundus ac floridus, habitus carnosus ac vere quadratus, venarum tumor ac tensio, lassitudo spontanea, pulsus magnus, plenus, frequens, ac velox, respiratio difficilis, somnus profundus, capitis grauitas, cæteraque plethoræ signa in hoc ægrotante repetiuntur omnia. Porro Synochus duplex, vna sine putredine, altera putrida. Sed hæc citra putredinem prorsus existit. quia cutis non squalida sed mollis, non acri sed blando calore madoreque perfusa, nec vllam prorsus exhibet putredinis notam, neque in pulsu, vt qui æqualis sit & ordinatus neque in vrina, quæ nihil aut minimum à naturali distat. quæque in putri summe vigent symptomata, in hac longe remissiora sunt omnia, quod illa à putrescente in maioribus vasis sanguine excitetur, hæc vero ab eodem duntaxat efferuescente contracta sit. Quod ad *prognosim* attinet, morbum salutarem fore iudico,

c.4.d.1.t.7 l.2. *c.3.d.1.t.7. l.2.* *c.9.d.1.t.7. l.2.* *c.15.d.1.t. 7.l.2.* *c.21.d.1.t. 7.l.2.* *c.15.d.1.t.1 l.1.* *c.11.d.1.t 7 l.2.*

iudico, primo ex viribus validis: secundo ex εὐεξίᾳ, bona corporis habi tudine: tertio ex ætate: quarto ab anni tempore: quinto ex eo quod sit naturæ, habitui, ætati & tempori consentaneus: sexto quod nullis grauioribus symptomatis sit comitatus. Vnũ tamen imminet periculum, ne sanguine propter transpirationem diutius prohibitam in vasis maioribus tandem putrescente, synochus simplex in putrem degeneret. Id vt arceatur, ad eius curationem quamprimum veniendum est. Curatio autem duplici scopo continetur, primus in plethora febris causa demenda consistit: Alter in calore febrili alterando. In vtrumque finem sanguinis missio quamprimum est administranda, eaque cum vires ægrotantis robustissimæ sint ad lipothymiam vsque Galeni præcepto. Primum namque in contrarium statum agetur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratum. Quo nihil vtilius ac iucundius excogitari potest. Deinde necessario superueniet alui deiectio, ac fortasse etiam bilios a vomitio. Quas res statim à toto corpore madores, sudoresve excipient. Sublata siquidem materiæ obstruentis portione, partes sese excitabunt ad reliquiarum depulsionem. Victus tenuis instituendus, ad sanguinis plenitudinem imminuendam, & refrigerans ad ardorem febrilem contemperandum. Vtatur igitur prunis elixis, hordeatis, & ptisana, aut aqua graminis pro potu. Aquæ frigidæ potus si ægrotanti propinandus exhibeatur, quantum bibere libuerit, nequaquam est illi nociturus, cum signa coctionis conspicua sint in pulsu & vrinis, nec æger vllum habeat viscus imbecillum, vel tumore obsessum, aliove vitio labefactatum, sitque ψυχροπότης, frigidæ potioni iamdiu assuetus. Abstineat vino, ouis, carnibus, iisque omnibus quæ sanguinem augent & excalfaciunt. Medicamenta quoque refrigerantia tenuium partium sumenda, vt *syrupus acetosus simplex, oxysaccharum cum aquis cichorij graminis, cucurbitæ, melonum.* Admouenda etiam cordi & hepati epithemata *ex aquis stillatitiis rosarum, acetosæ, endiuiæ, plantag. solani, additis trochiscis de camphora & puluere trionsantalõ atque aceto*, quo facilius in corpus subeant.

c. 2. 3. 5. & 10. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 3. d. 2. t. 7. l. 2.
c. 3 & 4. d. 3. t. 1 l. 1 & c. 2. d. 3. t. 7 l. 2.
c. 33. d 1. t. 1 l. 1. & c. 4. 5. & 6. d. 3. t. 7. l. 2.
c. 26. & 21. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 7. d. 3. t. 7. l. 2.

Hæc consulebat Frambesarius Valentianæ, cum aliis medicis, anno 1592. mense April.

CONSVLTATIO IV.

De Synocho putri, pro adolescente plethorico.

MOrbus quo vexatur febris est continens, Græcis συνόχος appellata, quia assiduo fatigat, nec vlla statis periodis manifesta percipitur excandescentia, nullaque remissio. Synochus enim Galeno authore, febris est in qua accessio vna à principio ad finem perpetuo manens, in multos dies porrigitur, nulla remissione sensibili apparente. Adde quod hæc adolescentem plethoricum ineunte Vere prehenderit, seque ipsa plenitudinis omnibus prodat notis, vt quæ sit à copia sanguinis in vasis maioribus putrescentis excitata. Nam corpus omne maximeque facies inflammatione ruboreque suffunditur, venæ copia distentæ multum turgent, distendens lassitudo artus omnes occupat, tempora vehementer pulsant, pulsus magnus, plenus, frequens, & velox, respiratio difficilis, caput ingrauescit, & dolet, somnus profundus ac veternosus premit. Quod autem synochus hæc putrida sit, ex eo constat, q̃ notas habeat quã simplex insigniores ac magis conspicuas, ac præterea calor acrius contactũ feriat, pulsusq; non modo magnus, vehemens, celer & frequens, verumetiam inæqualis & inordinatus, ac vrina crassa, rubra, turbida, sedimentoque nullo, ac proinde cruda. Ea autem nec ἐπακμαστικὸς est, nec παρακμαστικὸς, sed ὁμότονος, quia nec augeri, nec minui febrilis calor ab initio visus est, sed perinde sibi similis. Sequitur *prognosis*. Morbum profecto magnum ac pertimescendum esse tum validæ quæ illum pepererunt causæ, tum grauia quæ consequuntur symptomata indicant. Sed virium robur, bene habitum corpus, ætas valida, saluberrimum anni tempus, & affectus hisce omnibus vna consentaneus metum omnem adimunt, salutemque breui futuram pollicentur. Quocirca ad therapiam properandum est. Curatio autem tribus scopis perficienda est. Primus in causa morbifica remouenda: secundus in extinguenda febre: postremus in grauioribus symptomatis mitigandis consistit. Ad priorem scopum consequendum euacuatio molienda est & venæ sectione & purgatione, quod sanguis non quantitate modo, sed & qualitate peccet, sitque cacochy-

c.10.d.1.t.7.l.2.
c.11.d.1.t.7 l.2.
c.12.d.1.t.7.l.2.
c.8.d.2.t.1.l.1.
c.2.3.4.5.& 10.d.2.t.1.l.1.
c.3.4.5.d.3.t.1.l.1. &c.
2.d.3.t.7.l.2.c.33. & 39.d.3.t.1.l.1.

cacochymia plenitudinis comes. Cum enim sanguinis exuperantia sit præcipua causa prohibitæ transpirationis & putredinis, phlebotomia protinus (cum nullum habeamus deplendæ plethoræ præsentius remedium) ne in anceps suffocationis periculum præcipitetur æger, pro viribus administranda est, subducta tamen prius molli clystere aluo, ne humoris putridi in prima regione contenti colluuies ad maiorem perniciem in secundam transferatur, contumaciorque obstructio inuehatur, affectusque ferocior euadat. Misso sanguine, cacochymia cholagogis & melanogogis pharmacis purganda, quod sanguis dum putrescit tenuior in flauam, crassior in atram bilem degeneret. Præscribendus igitur potus constans ex rheo & senna, & decocto refrigerante simul & aperiente, his additis quæ sanguinem puriorem reddunt, qualis hic erit: *℞. rad. gram. oxalyd. an. ℥ ß. cichor. totius, endiu. scariol. an. M j. iiij. sem. frig. maior. an. ʒ. ij. flor. cord. an. P. j. folior. sen. mund. ℥. j.* fiat decoctio ad ℔ ß. in co'at. infunde *rhei elect. ʒ. iij. cinam. ʒ. j. in leui express.* dissolue *syrupi de cichor. syrupi de fumaria compos. ana ℥ j.* fiant duæ doses per duos dies continuos sumendæ, tribus horis ante cibum. Ad secundum scopum perficiendum victus refrigerans & humectans instituendus est, idemq; tenuissimus, quia morbus acutissimus est, viresque constant. Medicamenta quoque ἀναλοιωπικὰ præscribenda, vt *syrupi de acetositate citri, de limonibus, de granatis, oxysaccharum simplex, cum aquis rosarum, cichorij, graminis, acetosæ, lactucæ*, quæ non modo ad ardorem febrilem obtundendum, sed etiam ad sistendam putredinem valde conducunt. Ab aquæ frigidæ potu abstinendum, quandiu in pulsu & vrinis cruditatis notæ apparebunt. Eius loco vtendum ptisana admixtis syrupis iam enumeratis, qui etiam ad sitim extinguendam plurimum conferunt. Et quia sanguis qui putret in magnis venis quæ circa lumbos sunt, calorem simul & dolorem illic excitat, cerato refrigerante Galeni aut santalino illinantur. Erunt & ad obtundendum calorem epithemata regioni hepatis & cordis admouenda.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Prouancherio Ducis Mayennensis Medico, pro nobili Germano, Nouioni prope Sanvalerium laborante, anno 1592. mense Martio.

CONSVLTATIO V.

De Synocho putri cum exanthematôn eruptione.

Methodus medendi hic obseruanda.

QVi conuenientem morbo curatiõnem adhibere contendunt, præsentem diathesim imprimis dignoscere, deinde futuram eius catastasim prænoscere debent, iuxta illud Galeni axioma, *c. 6. l. 10. meth. med.* promulgatum: Διαγνῶναι μὲν χρὴ τὰ παρόντα, προγνῶναι δὲ ἐξ αὐτῶν τὰ γινησόμενα, τὸν μέλλοντα χρήσεσθαι βοηθήμασι δραστηρίοις. Morbus quo Domina laborans in præsentia tentatur, febris est Synochus, quia continenter afflixit, nec vlla fuit à principio ad hunc vsque diem obseruata paragme. Sed cum duplex sit Synochus, vna putredinis expers ex sanguine dumtaxat effernescente, altera putrida ex eodem in maioribus vasis putrescente orta, hæc manifestas habet putredinis notas & in pulsu & in vrinis. Ille siquidem inæqualis & inordinatus, hæ vero crassæ, turbidæ, absque sedimento. Nec mitis ac blandus, sed acer & mordax calor febrilis. Porro cephalalgia, cardialgia, faciei rubedo, raucedo, frequens sternutatio, lachrymæ, pandiculationes & tormina, quæ ægrotantem infestant, variolas propediem futuras prænunciant, cum præsertim febribus hoc Autumnali tempore populariter grassantibus exanthemata per vniuersum corpus erumpere consueuerint, natura noxios humores à nobilibus partibus ad cutim propellente. Nec dubito, quin sæuiora etiam in populorum eruptione superueniãt symptomata, vtpote delirium, insomnia terrifica, dolor gutturis, difficultas anhelitus, subitus tremor, pruritus narium, oculorum, &c. Sed grauis metus est, si materia non potuerit ad cutim tota protrudi, ne ad fauces aut intestina deflectens, synanchem vel dysenteriam excitet, ac tandem mortem inducat. Ob harum quippe duarum causarum alterutrã lethales vt plurimum variolas esse prodidit Auicennas, vel quod ægrotantes angina strangulentur, vel quod vires præ alui fluore prosternantur. Medendi scopus duplex, vnus therapeuticus, alter prophylacticus. Ad therapiam methodo moliendam secanda quam primum vena est, vt inhibeatur sanguinis putredo, calor præter naturam extinguatur, imminens suffocationis metus arceatur, exoneratoque natura possit alacrius materiam noxiam à centro ad circumferentiam expellere. Quin & cacochymia plethoræ coniuncta proprio cathartico re-

Diagnostica.

Prognostica.

Therapeutica.

tico repurganda. Sed vtrumque remedium videtur tempestiuum antequam morbus sit ad vigorem perductus, lege Hippocratis : Ἀρχομένων τῶν νόσων ἢν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει. *Cum morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue.* Si natura deinceps in expellenda materia noxia egregiam nauet, sinenda erit, necab instituto auocanda, ne Hippocrati τὰ κεκινόμενα μὴ κεκινέειν ἀπ' ἐξὸν. præcipienti obluctemur. At si ex papulerum paucitate, aut tarde eruptione, pigrior videatur naturæ motus, adiuuandus erit aperientium vsu. Omni tandem studio incumbendum prophylaxi partium internarum & externarum, ne in pustularum eruptione quid detrimenti patiantur. In eum finem refrigerantia & moderate astringentia medicamenta ex vsu erunt. Quamobrem pro defensione viscerum, *lentes, palmulæ, hordeum, lactuca, acetosa, capillus veneris, cum caricis, radicibus petroselini, seminibus Apii.* & aliis id genus aperientibus ritè permiscentur. Exempli gratia, ℞. *lentium* ℥ *j. rad. petrosel.* ℥ ß. *ficus n. x. dactylos n. iij. hordei* P. *j. semin. apij* ʒ. *ij. lactuc. acetos. adianth. ana* M. ß *fiat decoctio ad* ℔ *j.* Vtatur colatura mane & vesperi ad ʒ. *vj.* Ad conciliandam gratiam succus granatorum aut succus riber vel berberorum, vel mororum addi potest. Ad præcautionem intestinorum enemeta frequenter iniecta peculiariter conferunt, ex decocto *hordei, althææ, maluæ, violariæ, plantaginis, rosarum rubrarum, cum melle rosato, oleo violaceo aut butyro.* Ad fauces tuendas gargarismata ex decocto *hordei, plantag. rosarum, sumach, ribes, cum succo granatorum, berberorum aut similium,* vsurpanda. Hæc de partium internarum præseruatione. Inter partes externas habenda imprimis oculorum cura. Siquidem feruore & ichorum tenacitate, ita plerumque cruciari solent, vt vlcerentur. Ad oculorum itaq; custodiam repellendus erit quam primum impetus ichorum, his medicamentis refrigerantibus & mediocriter astringentibus. ℞. *aquarum plantag. & rosarum. ana* ℥. *vj. sumach* ʒ. ß. macerentur per noctem. Adde modicum albuminis oui, prolitu oculorum, cum gossypio in hoc liquore immerso. Si dolor vrgeat, abluantur oculi lacte chalybeato, vel cum aqua rosacea permisto. Ne præterea foueis deturpetur facies, simul ac conspicuæ sunt pustulæ, ad suppurationem perducendæ sunt, fotu ex nodulo caricæ immerso *in muccagine seminum althææ, lini & fœnugraci.* Vbi dealbatæ videbantur, forcipe sunt excidendæ, vel acu aureo perforandæ. Postea vt squammæ protinus

decidant

decidant procurandum, larido in rhodo ſtagmate ad calorem balnei marini diſſoluto. Poſtremo ad fœdum colorem delendum, facies per plures dies mane & ſero illinenda lacte parthenio, è lithargyro & aceto, cum aqua ſalſa conſtituto: deinde cremore ex hordeo, fabis & lupinis contuſis, & ad pultis conſiſtentiam coctis. Mox pinguedine ex veruecis oſſibus extracta, ac tandem aquis ſtillatitiis *florum fabarum & liliorum conuallium.* Hac via & ratione progrediendum eſſe iudico ad morbi diagnoſim, prognoſim, therapiamq; conſequendam.

Conſultabat Franbeſarius Cramallia Valeſiorum, cum D Brayero, Caſtrotheoderico Medico, pro nobiliſſima virgine D. Vicomitis Compligiaci filia, nunc Armentaria Domino nupta, anno 1613. menſe Octobr. Variolis correpta.

CONSVLTATIO VI.

De Febre continua tertiana.

c.1.d.1.t.1. l.1. AD medicinam via & ratione faciendam, morbus qui proponitur accurate imprimis internoſcendus eſt, deinde euentus tempeſtiue præſagiendus, tum eius aggredienda curatio, vt præclare eſt à Galeno proditum. Quocirca vt huic ægrotanti medendi methodum ſummatim perſtringam, primo loco de morbi quo laborat diagnoſi, ſecundo de prognoſi, poſtremo de curatione quid ipſe ſentiam, breuiter explicabo. *c.4.d.1.t.7. l.2.* Laborantem febre corripi pulſus celer & frequens, ſitis, calor præter naturam, & alia id genus ſymptomata indicant. Omnis autem febris vel eſſentialis eſt vel ſymptomatica. *c.2.d.1.t.7. l.2.* Quod autem hæc eſſentialis ſit, vel ex eo conſtat quod per ſe, nulloque alio præcedente morbo primum prehenderit. Febris vero primaria, vel eſt ephemera, vel putrida, vel hectica. *c.3.d.1.t.7. l.2.* Hæc autem nec ephemera eſt, quia iam per plures dies ægrotantem afflixit: nec hectica, quia carnoſa partium ſolidarum ſubſtantia non eſt labefactata. Ergo putrida febris eſt. Adde quod conſpicua ſint in hac omnia putredinis indicia, calor acer & mordax, adeo vt tangentis ſenſum acriter feriat: pulſus reſpiratioque inæqualis: vrina ab initio cruda: ac neutra corporis conſtitutio prægreſſa. Putrida porro febris vel eſt ἀλλείπων intermittens, vel ἀλλείπτος, non intermittens. *c.9.d.1.t.7. l.2.* Hæc autem eſt ἀλλείπτως. Siquidem ad ἀπυρεξίαν nequa-

nequaquam desinit. Ἀλλὰ λειπτὸς autem febris triplex celebratur, συνεχὴς, σύνοχος καῦσος, continua, continens & ardens. Hæc autem neq; synochus, neq; causus est, quia in vtraq; nulla fit periodica exacerbatio, nullaq; antequam omnino soluatur feruoris remissio: in hac autem statis periodis manifesta percipitur exacerbatio ac remissio. Sed continua febris est. Siquidem Galeno authore, συνεχὴς ἐστὶν ὁ πυρετὸς εἰς ἀπυρεξίαν μὴ παυόμενος, πρὶν πέψεως λυθῆναι, κἂν σφοδρὰ μὴ τις αἰσθητὴ φαίνηται, *continua febris est quæ ad integritatem non desinit, antequam ex toto soluatur, etsi declinatio aliqua sensibilis appareat.* Hæc autem nec quoti die, nec quarto quoq; die, sed alternis diebus excandescit & remittit: quod à bile, quæ sola ex humoribus tertio quoq; die ἔφοδον facit, excitata fit. Hanc enim à putrescente in maioribus vasis humore bilioso excitatam demonstrant tum causæ bilis flauæ copiam exaggerantes, nempe calida & sicca ægrotantis temperies, ætas ἀκμαστικὴ æstiuum tempus, sicca cœli constitutio, victus calidior & sicciorac tenuior antegressus, mœrores, curæ graues, attentæ cogitationes, ingentes animi impetus, & vehementiores corporis exercitationes: tum notæ bilis in corpore exuperantis, quales sunt color faciei & corporis reliqui pallidus, habitus corporis siccus, macer ac gracilis, hirsutus, pilus flauus, venarum ampli udo, calor tactu acer & mordax, dolores punctorij, magna corporis iactatio, insomnia belli, furoris, ignis, deliria rixarum & iracundiæ plena, vigiliæ, pulsus vehemens, velox, frequens & durus, vrina flaua, flammea, acris & pauci sedimenti, vomitio deiectioque biliosa, & aliæ generis eiusdem. Hæc de morbi diagnosi. Quod ad *prognosim* attinet, cum morbus acutus sit, salus profecto non potest, nisi dubia, promitti, lege Hippocratis: τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προλοφορόσιες, οὔτε τοῦ θανάτου οὔτε τῆς ὑγείης. *Acutorum morborũ non omnino tutæ sunt prædictiones neq; salutis, neq; mortis: quia* (ait Galenus) τὰ ὀξέα νοσήματα προστῶν κρίνεται ταχέως, λύθέως καὶ μέγεθος ἔχει, *acuti morbi præterquã quod celerrime iudicantur, statim etiam magnitudinẽ habent.* Grauia quippe symptomata quæ ægrotantem excruciant, periculum portendunt, nempe vigiliæ, deliria, vehementes circa viscera dolores, corporis inquietudo, lipothymia, dispnœa, sitis, inappetentia, cruditas in deiectionibus & vrinis conspicua, facies admodum contraria naturali, hypochondria dura, tensa & dolentia, & alia id genus. Sed vires adhuc constantes, ætasque valida, & morbus

c. 10. & 13. d. 1. t. 7. l. 2.
c. 15. d. 1. t. 7. l. 2.
c. 16. d. 1. t. 7 l. 2.
c 16. d. 1. t. 1. l. 1.
c. 11. d. 2. t 1. l 1.
c. 15. 16. 19, 20. 25. & 27. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 2. 4. & 10 d 2. t 1. l. 1.

 natura,

naturæ, habitui, ætati, & tempori consentaneus spem salutis non adimunt. Erit autem breuis morbus, quoniam summa omnia habet, quæ naturam ad celerrimam pugnam inuitant: estque à bilioso humore, æstiuoque tempore ortus. Supereſt curatio, quæ tribus scopis perficienda est, primo vt putrescens in maioribus vasis humor febris continuæ soboles vacuetur: secundo vt calida & sicca intemperies corrigatur: tertio vt grauiora febris symptomata emendentur. Ad euacuandum humorem in magnis vasis peccantem, phlebotomia maxime conducit. Nam vt præclare scriptum reliquit Galenus, κάλλιστον φλέβα τέμνειν ὑ μόνον ἐν τοῖς σωόχοις πυρετοῖς, ἀλλα ἢ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς ὑπὸ σήψει χυμοῖς. ὅταν γνήσιοι τὰ τῆς ἡλικίας ἢ τὰ τῆς δυνάμεως μὴ κωλύει. *Saluberrimũ est in febribus venam incidere, non cõtinentibus modo, verumetiam aliis omnibus quas putrescẽs humor cõcitat: vbi præsertim nec vires prohibẽt.* Leuata quippe quæ corpus regit natura, exonerataque, eo quo velut sarcina premitur, haud ægre quod reliquum est vincet. Itaque proprij muneris haud oblita & coquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Attamen ne sordescens excrementorum in prima regione contentorum colluuies in locum vacuandi sanguinis raptim traiiciatur, aluus ante subducenda enemate, quod ex decocto quatuor remollientium, diacassia, saccharo rubro, melle & oleo violaceo conficiatur. Detracto sanguine cathartica conueniunt cholagoga ad morbificam cacochymiam deturbandam. Siquidem ἡ κακοχυμία διὰ τῆς οἰκείας ἑκάστου τῶν περιεναζόντων χυμῶν καθάρσεως θεραπεύεται, cacochymia curatur purgatione quæ cuique humori redundanti sit accommoda. Itaque repurgandum erit corpus *ex rheo & myrobalanis citrinis, in decocto refrigerante & aperiente infusis, diaprunо & sirupo rosarum pallidarum vna dissolutis*, ac in potu exhibitis, vel ex *bolis cassiæ fistularis* ac *diapruni solutiui*, quibus rheum fuerit admixtum. Ad calidam autem & siccam intemperiem corrigendam victus ratio frigida & humida est instituenda. Nam ex Hippocrate, αἱ ὑγραὶ διαῖται πᾶσι τοῖσι πυρετώδεσι ξυμφέρουσι, *victus humidus febricitantibus omnibus confert*; eademque tenuis, quoniam acutus morbus est. Siquidem ὁκόσοισιν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν. quibus statim morbus consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est. Vtatur igitur ægrotans *iusculis carnium, lactuca, acetosa, endiuia, portulaca, buglosso, borragine alteratis*, vtatur *prunis cum saccharo coctis, hordeatis, amygdalatis*. Vtatur pti-

c.9.& 5.d. 2.t.1.l.1.
c.3.4.5.d. 3.t.1.l.1. & c.2.d.3.t 7. l 2.
c.4.d.3.t. 7 l.2.
c.39.d 3. t.1.l.2.
c.1.d.3.t. 7. l.2.
c.16. d.3. t.1.l 1.

tur ptiſana pro ordinario potu. vini vſus interdicatur. In eundem ſcopum ægrotanti *iulepus Alexandrinus*, *iulepus ex aqua roſarum & ſyrupo violaceo & è cichorio paratus*, *& apozemata quæ ex decocto radicum oxalyd. cichor graminis*, *aſparag. fol. bugloſſ. borrag. endiu. acetoſ. florum cardiacorum*, *ſeminum frigid. maior. & minor. ſyrupis è granatis & è limonibus conſtent*, ægrotanti aſſumenda ſunt, quæ præterquam quod febrilem calorem contemperant, corpuſque alterant, humori etiam morbifico præparando non parum conferunt. In declinatione etiam morbi, imo & in ſtatu ſi nimiopere exardeſcat & ſæuius efferatur affectus, admouenda hepati epithemata refrigerantia & roborantia, ex *aquis roſarum*, *cichor. oxalyd. ana* ℥ *iij.* addendo *ſantalorum omnium*, *ſpodij. corall. rubri an.* ʒ. *j. ſpicæ nardi* ℈ ß. Ad ſitim extinguendam vtatur *ſyrupo violaceo*, *& de limonibus*, aliquando per ſe ex cochleari, aliquando cum ptiſana. Ad delirium compeſcendum & ſomnum accerſendum inungantur frons & tempora *vnguento populeo*. Poſtea adhibeatur frontale *ex conſerua roſarum & nenupharis*, hora ſomni. Exhibeatur circa horam ſomni *lac amygdalinum*, cui ʒ *ij. ſeminis papau. albi* adiectæ fuerint. Interdum etiam exhibeatur ſub horam ſomni doſis *ex ſyrupi papauer.* ℥ *j. diamargar. frig.* ℈ ß. *& aquæ lactuc.* ℥ *iij.* Ad dolorem capitis propulſandum, *oxyrhodinum* fronti admouendum. Ad renum dolorem & ardorem contemperandum, *cerato ſantalino & oleo violaceo* ſimul perfuſo inungantur lumbi. Hæc mea eſt de propoſiti affectus diagnoſi, prognoſi & curatione ſententia. *c. 12. d. 3. t. 7 l. 2.*

Hæc conſulebat Frambeſarius cum D. Philiberto Ducis Lotharingi Archiatro, pro nobili viro D. Gornæo, Nancei laborantem an. 1592. menſe Maio.

CONSVLTATIO VII.

De *Quartana continua*.

MOrbus quo laborat, febris eſt, eaq; non ephemera, non hectica, ſed putrida. Nam prægreſſa corporis laſſitudo ſpontanea, capitis grauitas, ſomnus turbulentus, ſenſus hebetior, motus pigrior, reſpiratio difficilis, inappetentia, hypochondriorũ diſtentio, cæteraq; neutrius conſtitutionis ſymptomata, de quibus iamdiu conqueritur, *c. 8. d. 1. t. 7. l. 2.*

putridam febrem esse arguunt. hanc præterea testantur putredinis notæ iam conspicuæ, caloris acrimonia, pulsus inæqualitas & vrinæ
c.9.d.1.t.7. l.2. cruditas. Putrida vero febris continua est vel intermittens: hæc autem nequaquam intermittit: Continua igitur. Est autem continua febris duplex, vna remittens, cuiusmodi est συνεχὴς continua proprie dicta, altera sine remissione, qualis est synochus & causus: hæc autem periodicas habet remissiones. Triplex porrò febris continua remit-
c.15.d.1.t. 7.l.2. tens, quotidiana quæ quotidie, tertiana quæ alternis diebus, & quartana quæ quarto quoq; die exacerbationes & remissiones habet: hæc autē è quartanarū genere est, quod ab humore melancholico qui quarto quoq; die commouetur, procreata sit. Hanc enim à putrescente in
c.17.d.1. t.1.l.1. magnis vasis melancholico humore ortam indicant primum causæ, largiorem in corpore melancholiam congerentes, nempe temperamentum siccum & calidum à principio, ex permutatione autem frigidum, ætas inclinans, autumnale tempus, frequens crassorum & terrenorum alimentorum, vt panis atri, carnis bubulæ, vini crassi, & casei veteris vsus, vitæ conditio tristis, multis curis, vigiliis, improbis laboribus implicita, nulla animi hilaritate interposita, ac neglecta melancholiæ vacuatio quæ medicamentis fieri consueuerat: deinde conspicuam melancholiæ in corpore exuperantis signa, vt faciei totiusq; corporis calor obscurus & nigricans, lienis durities, tumor, dolor grauis, corporis habitus siccus & macilentus, aspectus fixus, horridus ac mœstus, pulsus paruus, tardus, rarus & subdurus. vrina initio tenuis & alba, postea crassa & nigra. deiectio nigra, timor & mœstitia iamdiu perseuerans, taciturnitas, solitudo, misanthropia, inanis rerum cōmentatio, animus ad irascendum quidem tardus, sed ferox nec facile placabilis, somnus turbulentus horrendis insomniis fluctuans, & agitatus spectris rerum nigrarum, dæmonum, tormentorum, mortis, cadauerum sepulchrorum, quæ plena sunt terroris, & alia eiusdem generis. Hæc morbi diagnosis. Quod ad *prognosim* attinet, morbus periculo non vacat. Idque iudico primum à viribus imbecillis: deinde ab habitu valde extenuato & tabido: tum à tempore autumnali: postea ab improba victus ratione qua ægrotans vtitur bene momenti medico non obsequens: postremo à symptomatis malignis, nempe à pulsu languido, paruo, tardo, raro, inæquali, inordinato: à lipothymia frequenter superueniente: à spirandi difficultate: à delirio serio: à somno laborio-

e.2.d.2.t.1. l.1.c.13 d. 2 t.7.l 2. e.5.7.19.d. 2.t.1 l.1.

labor: ioso: à doloris insensibilitate: ab anorexia: à deiectionib. & vrinis nigris: à sudoribus frigidis circa caput, faciem, & ceruicem tantum erumpentibus: à facie a modum contraria naturali: ab hypochondrio sinistro duro, tenso & dolente. Morbus autem si non interemerit, non potest tamen nisi longo tempore finiri, tum ratione autumni qui corporis meatus frigore occludit, tum ratione humoris melancholici morbum committentis, qui omnium viscosissimus & solutu difficillimus est. Hactenus de febris diagnosi & prognosi. Restat therapia ad tres scopos omnino referenda, humoris morbifici euacuationem, febrilis caloris alterationem, & symptomatum sæuiorum mitigationem. hi autem tribus remediorũ generibus, diæta, chirurgia & pharmacia, conuenienti qualitate, quantitate, modo & tempore vsurpatis perficiendi sunt. Diæta autem (quod ad qualitatem attinet) humectans ægrotanti instituenda, nec adeo refrigerans atque in febre biliosa. In pastu parum vini diluti concedatur non modo in ægrotantis gratiam, quodque vino vti consueuerit, verumetiam ad imbecillas vires roborandas, & ad iuuandam morbifici humoris frigidi concoctionẽ. Quod ad quantitatem spectat, paulo plenior victus est exhibendus, quam in acutioribus morbis. quoniam enim vires elanguescunt, quas tamen integras seruare oportet, vt morbi diuturnitatem perferre queant, omni ope enitendum & arte sic opitulandum est vt fulciantur. Sed (quod ad modum attinet) satius est parum cibi, ac frequentius ægrotanti offerre, quam copiosius illum affatim cibare, quo imbecilles vires sensim reficiantur, non opprimantur. Adde quod autem no laboret, quo tempore cibos difficillime ferunt. Tempus autem cibando opportunum erit, cum morbus dat inducias. Quoniam igitur non intermittit febris, cum remittit, tum ægrotanti cibus potissimum est concedendus, non in paroxysmis, ne in concoquendo humore morbifico occupata natura, ab officio distrahatur alimentis. Hæc Diæta. Quod ad Chirurgiæ genus pertinet, phlebotomia tum ad humoris morbifici vacuationem, tum ad febrilis ardoris refrigerationem, tum ad symptomatum mitigationem vtilissima est. Cuius quantitas è morbi magnitudine metienda est. Itaque cum magnus sit morbus, magna sanguinis missio molienda est. Sed per epaphæresim erit administranda, quia plurimum atque repente euacuare periculosum. quod autem paulatim fit tutum est. Vena autem interna cubiti sinistri potius

c. 10. d. 2. t. 7. l. 2.
c. 15. 17. 21. 24. 25. 27. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 5. & 9. d. 2. t. 1. l. 1.
c. 3 4. & 5. d. 3. t. 1. l. 1. & c. 2. d. 3. t. 7. l. 2.
c. 21. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 22. & 23 d. 3. t. ult. l. 1 c. 2. d. 3. l. 1.
c. 26. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 30. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 22. d. 3. t. 1. l. 1.
c. 33. d. 3. t. 1. l. 1. & c. 4 d. 3. t. 7. l. 2.
c. 14. 15. & 36. d. 3. t. 1. l. 1.

secanda, vt melancholicus sanguis à liene promptius & validius de-
c.16.d.3 t.1 l.1. trahatur. Nullum vero tempus phlebotomiæ administrandæ opportunius optari posset hodierno die, dum morbus adhuc in principio
c.39.d.3 t.1 l.1. est. Quod ad pharmaca attinet, tria eorum genera hic conferunt, cathartica melanogoga ad morbificum humorem deturbandum, non valida quidem sed benigna propter virium imbecillitatem, quales erunt potus ex *senna, polypodio epithymo, catholico, diaphœnico, syrupo de fumaria, rosar. pall. & decocto* conuenienti constantes. Alliotica ad febrem extinguendam, humectantia quidem, sed non vsque adeo refrigerantia, atque in biliosa febre, quia morbificus humor frigidus est, quales erunt syrupi *è cichorio, è fumaria, adiantinus, bizantinus.* Roborantia tum sumenda, vt *conserua bugloss. borrag. violar. capill. Ven. cichorij, vinum absynthites*: tum admouenda, vt *oleum de absinth. de mentha, è capparibus, è genista.* Erit autem per epicrasim potius repurgandum corpus, quam vna vice purgationem ad extremum deducere. Sensim etiam humor erit præparandus, calorq; terandus, & partes imbecilles per temporis interualla roborandæ. Tempus repurgando corpori idoneum erit statim à missione sanguinis, corpore & humoribus rite præparatis. In nullo autem morbi tempore, alterantibus non locus est. Ante purgationem enim ad humorem morbificum præparandum, & à purgatione ad ardorem febrilem, contemperandum conueniunt. Hæc de febris diagnosi, prognosi, & therapia summatim dicenda esse mihi visa sunt.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Furnerio Ducis Lotharingi Medico prostrenuo milite quadragesimum annum agente, suburbijs Nanctianis laborante, anno 1587. mẽse Septemb.

CONSVLTATIO VIII.

De Quotidiana continua.

c.8.d.1.t.7. l.2. NEutra corporis constitutio antegressa, caloris acrimonia, pulsus
c.9.d.1.t.7 l.2. inæqualitas & vrinæ cruditas, euidentissima sunt putridæ febris indicia. Putrida vero febris vel est διαλείπων, intermittens, vel ἀδιάλειπτος non intermittens. Hæc autem nequaquam intermittit. Est igitur ἀδιάλειπτος. Duæ autem sunt febrium ἀδιαλείπτων, differentiæ. Aliæ enim nul-

nim nullas habent periodicas exacerbationes & remiſſiones, vt ſynochus & cauſus: aliæ vero manifeſtas ſtatis periodis excandeſcentias & declinationes obtinent, veluti συνέχεις continuæ, quæ iterum triplices ſunt, tertianæ quæ alternis diebus, quartanæ quæ quarto quoque die, & quotidianæ quæ quotidie exacerbantur & remittunt. Hæc autem è continuarum quotidianarum genere eſt. Nam quotidie febris fit anadiploſis, & caloris febrilis remiſſio, quod à pituita quæ ſola ex humoribus quotidie commouetur, orta ſit. Hanc enim à putreſcente in magnis vaſis humore pituitoſo contractam aperte declarant, tum cauſæ prouentum pituitæ facientes, cuiuſmodi ſunt temperamentum frigidum & humidum, ætas ſenilis, hybernum tempus, humida cœli conſtitutio fructuum, acerariorum, frigidorum humidorumque omnino alimentorum immoderatus vſus, largior ceruiſiæ potus, conſueta vacuatio iamdiu intermiſſa: tum indicia pituitæ dominantis in corpore conſpicua, qualia ſunt faciei corporiſque color albicans, facies tumida, totiuſque corporis moles ampla & obæſa, vaſorum anguſtia, cutis alba, mollis & de pilis, pilus albus, pulſus paruus, tardus, rarus, mollis, vrina alba nunc tenuis, nunc craſſa & turbulenta cum multo ſedimento, deiectio liquida, aquoſa, alba, cruda, pituitoſa, corpus madore ſæpius diffluens, animi mores omneſque corporis motus tardi cum grauitate & ſegnitie, ſenſus obtuſi, mens hebes, ſomnus profundus ac grauis, aquarum, pluuiæ, niuis & ſubmerſionis plena inſomnia, capitis grauitas, ructus acidus, nauſea ſumpto cibo, & alia id genus. Hæc morbi diagnoſis. Quod ad *prognoſim* attinet, vires ægrotantis imbecilles, habitus corporis admodum craſſus & obæſus, ætas ſenecta, pulſus paruus & languidus, ſpirandi difficultas & delirium, ſomnus immodicus & laborioſus, deiecta appetentia, magna excrementorum ametria, & corporis affectus à naturæ modo multum recedentes, laborantem in ſummum vitæ diſcrimen adductum teſtantur. Quia tamen morbum naturæ, habitui, ætati & tempori conſentaneus eſt, nõ videtur omnino deploratus. Si autem ſalutaris futurus ſit, longũ tamen tẽpus eſt habiturus, tũ propter hyemẽ quæ morbis tarditatem addit, quia meatus corporis frigore occludit, humoreſq; vitioſos intus retinet, tũ propter pituitã morbi procreatricẽ, lẽtã & viſcidã adeo vt nõ niſi lõgo tẽpore educi & diſcuti poſſit. Morbi præterea diuturnitatẽ hypoſtaſis vrinæ κριμνώδης & corporis habitus nullo modo extenuatus

c.10 & 13. d.1.t.7.l.2. c.15.d 1.t.7 l.2.

c 16.d. 1.t. 7 l.1.

c. 18. d. 1.t. 1.l.1.

c.2.3 4.d. 2.t.1.l 1.

c.10 d.2 t. 7.l.2.

c.15.17.21. 25. d.2.t.1. l.1.

c.10.d.2.t. 1.l 1.

c.5 & 9.d. 2.t.1.l.1.

c.13. d.2.t. 7.l.2.

significant. Quoniam igitur nondum desperata omnino salus est, non est sine ope & auxilio ægrotans relinquendus, sed quamprimum
c.2.d.3.t.1. l.1. ægritudinis aggredienda curatio est. Hæc autem duobus continetur capitibus, quorum primum in ægrotantis viribus seruandis versatur, alterum in affectibus contra naturam remouendis, in quibus ea est
c.3.4.5.d. 3.t 1.l.1. seruanda methodus, vt febris causa primum, deinde febris, tum symptomata febrem consequentia summoueantur. Id vt consequamur, victus ratio imprimis instituenda, nec plenior, ne vires iam præ crudi humoris copia grauatas opprimat, nec tenuior, ne eas iam fatiscentes nimio opere atterat & prosternat, sed mediocris, quæ eos seruet integras,
c.28.27. vt febris diuturnitati pares esse queant. Pleniorem præterea victum
26.29.d.3. senilis ætas, & corporis impuritas, tenuiorē vero hybernum tempus,
t.1.l.1. morbusq; chronicus prohibent. Sit igitur victus moderatus, isq; nec frigidior, ne crudi humoris coctionem impediat, nec calidior ne febrē augeat, sed temperatus, incidens & extenuans, vt causæ & febri & symptomatis vna summouendis conferat. Exhibeantur ergo panatellæ ex pane loto confectæ, *iusculapulli, capi, hyssopo, thymo, petroselino* alterata, pressa, cōsumpta, instaurantia, gelatinæ, oua sorbilia, & omnes cibi euchymi parca manu multū nutrientes. Pro potu vino vtatur oligophoro
c.1 d.3.t.7. l.2. in pastu, hydromelite extra pastū. Præterea venæ sectio pro viribus administranda est, quæ vires præ nimio humoris pondere oneratas subleuet & recreet, sublata qua premebantur sarcina, & febris causam detrahat, vacuata sanguinis pituitosi exuperantia putredinis materia, & febris calorem infringat, inducto corpori refrigerio, & symptoma-
c.39.d 3 t. 1.l.1. tum sæuitiam retundat. Medicamenta deinceps ex vsu erunt phlegmagoga, vt agaricum, diaphœnicum, diacarthamum, quibus humor pituitosus erit repurgandus, simul ac rite præparatus fuerit incidentibus & extenuantibus apozematis, & *syrupis de absynthio, de quinque radicibus, de stœchade, de hyssopo, oxymelite simplici & composito*, & aliis generis eiusdem. Roborantia etiam ventriculum pituitæ sedem, cæteraque partes affectas hic vel imprimis necessaria sunt, tum sumenda, vt aromaticum rosatum, electuarium diarhodon: tum admouenda, vt ceratum stomachicum, oleum de absynthio, oleum moschatellinum. Hæc sunt quę de febris diagnosi, prognosi, atq; iasi breuiter dicēda esse duxi.

Hæc consulebat Frambesarius cū medico Neapolitano, pro Satellite Teutonico, prouecta ætatis, Guisiæ, anno 1591, mense Nouemb. laborante.

CONSVL-

CONSVLTATIO IX.

De Febre ardente.

FEbris quæ generosissimũ Principem immaniter excrutiat, est ἀδιάλειπτος. Siquidem ad ἀπυρεξίαν nequaquàm desinit. Tria autem sunt summa febrium ἀδιαλείπτων genera, συνεχὴς, συνόχος ἢ καῦσος, cõtinua, continens & ardens. Hęc autem nec συνεχὴς continua proprie dici potest; quia in continua statis periodis manifesta percipitur mutatio, in hac autem nulla est periodica declinatio conspicua: nec συνόχος continens censenda est; quia in corpus temperatum beneque habitum duntaxat incidit, hæc autem in calidum siccumque ac plane bilioſum irruit. Sed καῦσος ardens nominanda est, quia ex Galeno, Causus febris est peracuta in sola bile flaua intra vasa adhuc manente accensa, ad integritatem nequaquam desinens, sed perpetuo à principio febris vsque ad crisim similis perseuerans, adeo vt nulla declinatio sensibilis appareat. Adde quod conspicua sint in hac παθογνωμονικὰ duo causi signa deürens calor & sitis inexplebilis. Nec desint alia συνδρόμους, vt lingua nigricans, arida, scabra fereq; amara, vigiliæ fere perpetuæ, delirium frequens, spiratio difficilis ac pene suffocans, iactatio, inquietudoque indefessa, sitque adeo sæuioribus quam tertiana symptomatis comitata. Quod autem ex flaua bile in maioribus vasis cordi proximis putrescente excitata sit, constat tum ex causis flauæ bilis copiam in corpore exaggerantibus, nempe è temperie calida & sicca, ætate florida, æstate, sicca cœli constitutione, victu calidiore, sicciore & tenuiore, curis, laboribus, immodicis exercitationibus: tum signis flauæ bilis copiam indicantibus, vt colore subflauo, habitu sicco & macilento, hirsuto, pilis subflauis, venis amplis, calore acri & mordaci, punctorio dolore, magna corporis inquietudine, insomniis belli, furoris, ignis, delirijs rixarum & iracundiæ plenis, vigiliis fere perpetuis, pulsu vehementi, veloci, frequenti & duro, vrina flaua, flammea, acri & sine sedimento, vomitione deiectationeq; bilioſa, & aliis generis eiusdem. Hæc *diagnosis*. Quod ad *prognosim* attinet morbum longe periculosissimum esse, tot tamq; sæua symptomata quæ ægrotantem torquent, manifeste demonstrant. Quamuis enim vires adhuc constantes in hac potissimum florida ætate videantur, sitq; morbus naturæ, habitui, ætati & tempori consentaneus, magna tamen functionum animalium

c. 9 d. 1. t. 7
l. 2.
c. 15 d. 1. t. 7. l. 2.
c. 11. d. 1. t. 7. l. 2.
c. 13. d. 1. t. 7. l. 2.
c. 16. d. 1. t. 1. l. 1.

lium vitalium & naturalium læsio, magna excrementorum ametria, magna qualitatum corporis immutatio, ita magnum esse morbum indicant, vt metus sit ne vires tandem prosternat, proterat, omninoque
c.10 d.2.t. superet. Quando in febre non intermittente difficultas spirandi &
7 l.2. delirium accidit, lethale est, canone Hippocratis. At laborans difficulter
c.16.d.2.t 1 admodum spirat, frequenterque delirat. Pessimum (decreto Hippo-
l.1. cratis) si somnus neque noctu neque interdiu accedit: id enim fere sine
c.15.d.2.t.1 continuo dolore, esse non potest. At laborans nocturna diurnaque vi-
l.1. gilia premitur. In omni morbo nec mente constare, nec bene se habere ad ea quæ offeruntur, malum, lege Hippocratis. At laborans nec mente constat, nec bene ad oblata se habet. Quæcumquæ enim offeruntur fastidit. Ergo functiones animales, vitales & naturales magno-
c.20.d.2.t. pere læduntur. Deiectio laudabilis, Hippocratis præcepto, debet esse
1.l.1. molfis & cohærens, subruffa nec graueolens. At deiectio ægrotantis ab hac longe recedit. Est e. prædura, vehemẽter ruffa ac graueolens. Vrina
c.eodem. laudabilis debet esse mediocris, subruffa, hypostasimq; albam, læuẽ & æqualẽ habere. At vrina ægrotãtis ab hac multũ declinat. Est e. tenuis,
flãmea, ac sine vlla subsidẽtia. Ac proinde magna in excremẽtis ametria
c.25.&27. d.2.t.1.l.1. est. Facies est admodum cõtraria naturali: hypochondria dura, tumida, intenta & dolentia sunt: ardor ingens in corpore sentitur: color omnino præter naturam cernitur. Sic vt magna qualitatum corporis immutatio videatur. Morbus autem diuturnus esse non potest, quia bilis à
c.9.d.2.t.1 qua ortus est, acutos semper facit morbos, qui breui terminantur: æ-
l.1. stasque morbis addit celeritatem, propterea quod vitiosi humores am-
c.5.d.2.t.1. bientis calore per vniuersum corporis fusi prompte discutiantur, mea-
l.1. tibus totius corporis patefactis: Itaque si vires morbo resistere valeant,
c.2.d.2.t.1 salus: sin autem vires morbo succubuerint, mors breui expectanda est.
l.1. Cum igitur *dubia spes certa desperatione sit potior*, vt ait Celsus, ad curatio-
Lib. de fla- nem transeundum est. Ἰητικὴ, authore Hippocrate, ἐστὶ πρόσθεσις μὲν τῶν
vib. ἐλλειπόντων, ἀφαίρεσις δὲ τῶν ὑπερβαλλόντων. *Medicina est adiectio deficientium, & detractio redundantium.* In ægrotante autem redundant bilioſus humor febris author, febriliſque calor, vnde tot ſymptomata magno fœnore luxuriant. Vires vero ſi nondum deficiãt, periculum tamen eſt ne tanto oneri ferendo minime pares tandem linquantur. Quocirca hic proſtheſi, illi caphæreſi, eaque duplici, euacuatione & alteratione opitulan-

opitulandum eſt. In vtrumque finem phlebotomia pro viribus ad- c. 4. d. 3. t. 7. l. 2.
miniſtranda eſt, præmiſſo clyſtere. Nam humoris noxij plenitudinem vacuabit, & totum corporis habitum refrigerabit, viteſque onuſtas, ſublata aliqua humoris morbifici portione qua velut ſarcina præmebantur, ſubleuabit, & ad reliquias per aluum vel ſudores excernendas excitabit. Id ſi ſtatim à miſſione ſanguinis non contingat, purgatio decernenda mitioribus cholagogis, vt caſſia recens è canna pingui extracta, in bolos concinnata, aut rheo & myrobalanis citrinis in aqua endiuiæ maceratis, & leuiter expreſſis, addito ſyrupo roſarum pallidarum & diapruno ſimplici, vel catholico, vt aliquid è materia morbum committente detrahatur. Sic enim materiam reliquam natura facilius concoquet. Nec diutius differenda catharſis, quod bona pars materiæ c. 42. d. 3. t. 1. l. 1. in ventriculo & circa vias communes contineatur, turgereque videatur. Materiæ enim in prima regione contentæ ſigna ſunt, ſitis, ardor, morſus ventriculi, nauſea, vomituſque bilioſus. Ad alterationem *ſyrupi* frigerantes & attenuantes, *de granatis*, *de limonibus*, *de cichorio*, *violaceus*, *roſaceus*, *nenupharinus*, cum *aquis lactucæ*, *endiuiæ*, *acetoſæ*, *portulacæ*, *plantaginis*, *ſolani* vſurpentur. In eundem ſcopum cibi offerendi ſunt c. 1. d. 3. t. 7. l. 2. quibus refrigerandi & humectandi vis ineſt, vt iuſcula ex *lactuca & oxalyde*, *cucurbita*, *cremor ptiſanæ* & eiuſmodi. Potus ſit aqua in qua parum ſacchar. & cinamomi decoctum ſit, vel aqua hordei. Victus autem ratio c. 26. & 30. d. 3. t. 1. l. 1. nec plenior eſſe debet, propter morbi acumen, annique tempus, nec tenuior, ne vires nimiopere atterantur & fatiſcant. Viribus præterea c. 2. d. 3. t. 1. l. 1. roborandis, *conſeruæ roſarum*, *bugloſſi*, *violarum*, *nenupharis*, *& pulueris diamargarit. frigid. diarrhod. Abbatis*, *trionſantal. & confectio Alkermes* maxime conueniunt, ſiue per ſe ſumantur, ſiue iuſculis gallinæ, pullive admiſceantur. Si igitur vires præſymptomatum præſentium vel imminentium proſtratæ prorſus ſuccumbere videantur, reſtaurans eiuſmodi præſcribatur: ℞. *conſeruæ bugloſſ.* ʒ ij. *conſeru. violar. nenupharis ana* ʒ ß. *diamargarit. frigid.* ʒ iij. *folia auri nu.* iiij. *decocti capi perfecte cocti* ℔ ß. *aquæ roſarum, violarum, nymph. an.* ʒ iij. *vini albi* ʒ j. Ponantur omnia in vaſe vitreo diligenter obturato, & leuiter decoquantur. Epithemata quoque ex *aquæ bugloſſ.* ʒ ij. *aquarum roſarum*, *violarum*, *nymphææ ana quart.* 1. *trochiſc. de camphora* ϑ j. *pulueris diamargar. frigid.* ʒ j. quibus puluis ſantal. coral. oſſis è corde cerui, vinique albi modicum addi poterit, regioni cordis

admouenda sunt, vt & hepati quæ constent ex aquarum *cichor. endiu. lactuc. solan. ana quart. 1. trionsantal. ℥j. & aceti modico:* quibus *semen aceto-sæ, berberis, portulac. endiu. scariol. corallus* adiici potest. Horum autem vsus erit nec in principio, nec incremẽto, sed in vigore febris. Vbi etiam coctionis notæ in vrinis apparebunt, balneum aquæ dulcis conueniet, cum æger citra tumorem ad inflammationis aut erysipelatis naturam tendentem ardenti febre media æstate laboret. Curatio si quæ speranda est, his mihi videtur perficienda remediis.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Forniuallio pro generosissimo Principe Claudio Lotharingo, Equite Aumalio, Mozoni laborante, anno 1587.

CONSVLTATIO X.

De Tertiana intermittente.

c 21 22. & 23. d. 1. t. 7. h2. FEbris quæ laborantem exercet, exquisita est tertiana intermittens, à syncera bile flaua extra vasa putrescente orta. Nam præter tertianum circuitum qui à solo humore bilioso extra venas excandescente excitatur, iuuenem corripuit natura calidum & siccum, habitu gracili præditum, laboribus, vigiliis, mœroribus, curis, iracundiæ, victui parco, calido, siccoq; assuetum, æstate, calidaque, & sicca regione, & æstuoso cœlo, repente insigni rigore prehendit, quo vehementer corpus omne concutitur: sub cuius finem excussa bilis vomitione redditur: hinc calor breui accenditur, & in omne corpus effunditur, mox ad vigorem festinans, acer, pungens & iniectam manum acriter feriens, sed starim mitescens: laborantesque ita exuritur vt & corpus nudet, & varie iactet, & spirandi difficultate oppressus magnum multumque spiritum ducat, sitique enectus frigidam expetat, vigiliis, capitis dolore, & ira furoreque percitus. Accessioq; intra duodecim horas multo sudore calido & vaporoso prorsus terminatur: pulsus accessionis initio contractus & paruus, postea vero quam in cæteris celerior atque crebrior, vehemens & validus, & aliquantum durus. vrina flammea, substantiæ mediocris & odore grauis. Quod ad *prognosim* attinet, æger à periculo tutus mihi videtur, *licet* grauioribus symptomatis torqueatur, *tum* quod viribus polleat, ætatemque floridam

c. 2. 4 7. 10. d. 2. 5. 1. l. 1.

degat

degit, ac legitima victus ratione medici consilio obsequens vtatur: tum quod febris naturæ, habitui, ætati, & tempori consentanea sit, puræque habeat intermissionem. Nam ex Hippocrate πυρετοὶ διαλείποντες ἀκίνδυνοι, *febres intermittentes sine periculo sunt*: quia (inquit Galenus) *neque ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine existantur*, cum neutra harum intermittat. Adde quod in intermissione natura cibos admissos concoquat, vnde noui spiritus fiunt, ex quibus vires febrili calore debilitatæ resarciuntur. Febris autem cum exquisita sit intra septem periodos omnino iudicabitur, canone Hippocratis, τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον, *tertiana exquisita in septem circuitibus quam tardissime iudicatur*. Nec enim diuturnior esse potest, tum ob bilem morbificam quæ facile præ tenuitate discutitur, tum propter æstatem quæ corporis spiracula reserat. Supersest therapia, quæ tribus constat partibus, diæta, chirurgia & pharmacia, in quibus quatuor consideranda veniunt (authore Galeno) qualitas, quantitas, vtendi modus & tempus. Victus ratio, quod ad qualitatem attinet, refrigerans & humectans ægrotanti decernenda est, canone Hippocratis, αἱ ὑγραὶ διαιτημάσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι. *Victus humidus febricitantibus omnibus confert*. Exhibebuntur ergo iusculæ *borraginis, oxalydis, lactucæ & endiuiæ*, simul perfuso *succo limonum & arantij*, quæ ex pullis & carnibus vitulinis comparabuntur: *hordeata, amygdalata, prunæ ex saccharo* coctæ. A vino autem priusquam morbus concoquatur omnino arendus æger. Bibat autem interim aquam hordei aut ptisanam. Vbi vero concoqui cœperit morbus, dandum erit initio vinum tenue, paucum & aquosum: liberalius vero vbi in propinquo erit morbi solutio. Quod ad quantitatem spectat, victus tenuis principio ægrotanti conuenit propter morbi acumen. Canone enim Hippocratis, ὁκόσοισιν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν: *Quibus statim morbus consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est*, vt natura alimento minime præpedita, in humoris concoctionem fœlicius incumbat: Necnon & propter bilioſi humoris impuritatem in corpore luxuriantem. Siquidem τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων ὁκόσα αὖ θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις, *impura quanto plus nutries, tanto magis lædes*. Ac in incremento quidē tenuior, atque in statu tenuissimus esse debet, lege Hippocratis: ὁκόταν ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε χρὴ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. *Quando morbus in suo vigore constituerit, tunc victu tenuissimo vtendum est*. At in declinatione plenior

c.14.d.2 t.7.l.2.
c.17.d.2.t.7.l.2.
c.5. & 9.d.12 t.1.l.1.
c.21 d.3 t.1.l.1.
c.12.d.3.t.1.l.1.
c.1.d.3 t.7.l.2, & c.10.d.3.t.7.l.2.
c.26.d.3.t.1.l.1.
c.27.d.3 t.1.l.1.
c.24.d.3 t.1.l.1.

plenior exhibebitur ad reſarciendam virium iacturam. Vſurpanda autem, vt de modo aliquid dicatur, omnia alimenta veniunt elixa potius quam aſſa. Parumque alimenti ſed frequentius ægrotanti eſt offerendum, vt vires eius ab ingenti æſtu reſolutæ ſenſim alimentis reficiantur, non affatim opprimantur. Ægrotantes enim propter ambientis feruorem vires diſſoluentem, θέρεος σιτία δυσφορώτατα φέρουσι, æſtate cibos difficillime ferunt. Quod ad cibandi tempus ſpectat, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ἐπισιτίζεσθαι χρὴ, in acceſſionibus abſtinere oportet, lege Hipp. *ne*, inquit Galenus, *natura in coquendo humore morbifico occupata ab officio diſtrahatur alimentis.* Ac ne etiam febrilis calor (cuius proprium eſt omnia corrumpere, vt natiui caloris concoquere & conſeruare) crudos in ſtomacho cibos reperiens, ipſos corrumpat, putrefaciat & in bilem conuertat, ſicque febris materiam augeat paroxyſmumque producat. Quocirca mature tribus aut quatuor horis ante acceſſionem alimentum præbendum erit, non tardius, quo natura ſatis vacui temporis, concoctionis gratia ante paroxyſmi inſidias nanciſcatur. Præterea in principio acceſſionem à ſomno æger excitandus, in incremento meatus frictionibus aperiendi, in vigore potionibus ptiſanæ & ſyruporum accommodatorum ſudores mouendi, & in declinatione eliciendi veniunt. Quod ad Chirurgiæ genus attinet, phlebotomia non ratione febris, ſed plethoræ videtur adminiſtranda. Saluberrimum enim (authore Galeno) in febribus venam incidere non continentibus modo, verumetiam aliis omnibus quas putreſcens humor concitat, vbi nec ætas, nec vires prohibent. Leuata namque quæ corpus regit natura, exoneratoque eo quo velut ſarcina premitur, haud ægre quod reliquum eſt vincet. Quod autem ad menſuram modumque attinet, ſanguis ad tria vaſcula è vena dextri brachij interna, quam baſilicam vocant, detrahendus eſt, non quidem ſemel ne vires nimiopere fatiſcant, hac præſertim feruida cœli conſtitutione, ſed partite per epaphæreſim, quoniam τὸ κατὰ πολὺ ἐξαπίνης κενοῦν, σφαλερὸν· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον ἀσφαλὲς, *plurimum atque repente euacuare periculoſum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt.* Quod vero ad tempus pertinet, non poſt tertiam acceſſionem, vt præcipit Galenus, vena perfundenda eſt, quod id tempus ob vigorem morbi, in quo authore Hipp. nihil tentandum eſt, ne natura humori morbifico concoquendo & morbo profligando pror-

c. 30. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 32. d. 3 t. 1 l. 1.

c. 4. d. 3. t. 7 l. 2.

c. 15. d. 3. t 1 l. 1.

do prorsus intenta ab instituto reuocetur, suspectum sit. Sed in præsentia sanguis mittendus, dum morbus adhuc in principio est, lege Hipp. Ἀρχομένων τῶν νόσων ἢν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ ἡσυχίλω ἔχειν βέλτιόν ἐστι. *Cum morbi inchoant si quid mouendum videtur moue: cum vero consistunt ac vigent, melius est quietem habere.* Præmittendus tamen clyster ad repurgandam primam corporis regionem, ne fordescens excrementorum colluuies in locum vacuandi sanguinis raptim traiiciatur. Medicamenta deinceps erunt ex vsu tum Cathartica, tum Alliotica. Inter purgantia autem eligi debent cholagoga quæ biliosam cacochymiam febris causam clementer per aluum deturbant: Cuiusmodi sunt *rheum, myrobalani citrinæ, cassia, tamarindi, diaprunum simplex, syrupus violaceus, & rosaceus,* & alia eiusdem generis. Si bilis etiam accessionis initio ad stomachũ repat, per vomitum educenda est, præcepto Hippo. ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκῃ αὖ μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων ταύτῃ ἄγειν. *Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia eo ducere.* Eadem lege per vrinam & sudores bilis exigenda, si illuc natura feratur. Sed in declinatione morbi & accessionum potissimum vrina potionibus in quibus apium & anethum maduerunt, prouocanda. Sudorque euocandus vsu vini albi, tenuis, bene diluti, & *syrupo acetoso simplici, & capillorum Veneris, cum decocto asparag. gramin. seminum apij, petroselini fœnic. aneth. cicerum nigrorum, aut mulsione quatuor seminum frigidorum maiorum.*

c. 16. d. 3. t. 1 l. 1.

c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 41. d. 3. t. 1. l. 1.

Alliotica etiam quæ refrigerandi & humectandi vim habent ad bilis feruorem demulcendum, caloremque febrilem extinguendam vsurpanda sunt: Cuiusmodi sunt *syrupi de cichorio, de granatis, de limonibus, violatus, rosatus, nymphæatus, cum aquis lactucæ, acetosæ, portulac, plantaginis, cuscutæ, &c.*

Apozemata ex refrigerantibus & humectantibus parata. Item quæ alterandi simul & roborandi vim habent, ne ob vestigia empyreumatis relicta, & ob virium imbecillitatem recidiua febris priore deterior emergat. Alterant autem & roborant *diamargaritum frigidum, elect. trium santalorum, conserua rosarum, & bugloßi.* & ea quæ admouentur, veluti epithemata & sacculi hepati calidiori imponenda. Balnea quoque calida ex aqua dulci in declinatione febris duplici nomine prosunt, tum quod aliquid bilis euocent, tum quod humectent & potentia refrige-

c. 39. d. 3. t. 1 l. 1. & c. 1. d. 3. t. 7. l. 2.

refrigerent. Hæc breuiter de febris diagnosi, prognosi & iasi dicenda esse mihi visa sunt.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Clario Cardinalis Borbonij medico, D. Dambraneo, aliisque medicis pro ingenuo iuuene, anno 1588. æstate, Rhemis laborante.

CONSVLTATIO XI.

De Tertiana notha.

c.23.d.1.t.7.l.2. TErtiana quæ laborantem exercet, exquisita nequaquam est, sed spuria, ex permistione bilis atque pituitæ genita. Nec enim omnes bilis, sed quasdam etiam pituitæ redundantis causas habet euidentes. Hominem quippe corripuit natura bilioſum, laboribus, vigiliis, victuique calidiori & ficciori assuetum (vnde bilis in corpore luxuriat) sed media hyeme, frigida & humida regione, ac pluuioso cœlo, quæ pituitæ prouentum faciunt. Hinc paroxysmi initio rigor minus quidem vehemens, sed diuturnior, in vigore calor minus pungens minusque vehemens nec æquabilis in omne corpus inuadit, non absimilis igni ex mistis virentibus siccisque lignis succenso: Ardoris symptomata omnia mitiora, quod bilis furorem pituita restingat: Hinc etiam pauco nec admodum calido sudore inclinat: Accessioque vltra horas duodecim multum exporrigitur. Quod ad *prognosim* attinet, vires robustæ, *c.2.4.7.d.2.c.1 l1.* ætas florida, victus ratio legitima qua ægrotans vtitur morbique spe-*c.14.& 15.* cies, securitatem pollicentur: sed morbificus humor, tempus, regio, *d.2.t.7.l.2* cœlique constitutio frigida, febrem longo tempore duraturam indi-*c.5 & 9.d.* cant. Curatio autem tribus absoluetur remediorum generibus, victus *2.t.1.l.1.* ratione, chirurgia & medicamentis. Victus ratio paulo plenior, nec *c.21.d.3.t.1* ita refrigerans & humectans atque in exquisita tertiana, sed aliqua ex *l.1.c.10.d.* parte abstergens & attenuans sit. Quocirca ex pullis & carnibus vitu-*3.t.7.l.2.* linis comparentur iuscula, non modo *oxalyde, lactuca, endiuia, bugloſſo & borragine*, sed etiam *petroselino & asparago alterata*. Nonnihil etiam piperis & origani cum ptisana, Galeni consilio, permiscetur. Bibat si malit extra pastum aquam coctam *cum cinamomo, saccharo & pauco hyssopo*. Extra accessiones vinum tenue, oligophorum, aqua dilutum concedatur. Quod ad Chirurgiam spectat, vena propter humorum copiam *c.4.d.3.t7.* pertundenda est, cum præsertim æger viribus valeat: sed quia diu dura-*l.2.*

turus

turus est morbus ob cruditatem, mediocriter sanguis est extrahendus, vt in finem morbi vires seruentur: præmisso tamen enemate, ad primam corporis regionem repurgandam, quod constet ex *decocto fol. malu. violar. mercur. pariet. origan. hyssop. flor. melil. chamamel. semin. citrul. cucum. anis. fœnic. cartham. in quo dissol. hiera, benedicta lax. mel rosatum, sal, oleum violaceum & chamamelinum.* Misso sanguine medicamenta ad præparandos humores morbificos tum sumenda, cuiusmodi sunt *oxymel simplex syrupus capil. Veneris, Bizantinus, acetosus, cum aquis agrimon. cassuthæ. asparag. gramin. cichor. apij*: tum extrinsecus admouenda, vt fomenta ex *decocto absynth. menthæ, salu. flor. chamamel. melith. aneth. rosarum rub. seminũ lini fœnigr. anis. fœnic. cumin.* pro regione ventriculi, hepatis, venarum mesaraicarum, necnon & hypochondriorum ad flatus qui ea distendunt discutiendos. Et linimenta *ex oleo mastichino. chamamelino, rosaceo &c.* præsertim circa regionem ventricili. Apparati humores, cholagogis & phlegmagogis purgandi sunt medicamentis, vt bolo *ex cassia recens extract. ʒ vj. diaphœnic. ʒ ij. rhei & agaric. troch. an. ϑ ij. cinamomi ϑ ß. vel potu ex decocti radic. fœn & cichor. an. ℥ ß. endiu. scariol. origan. hyssop. an. M ß seminis cartham. ʒ j glycyrrh. ʒ ij. q. s.* pro dosi, in qua infundantur *rhei elect. & agaric. trochisc. an. ʒ j. cinam. & gingib. an. ϑ j.* & in express. dissoluantur *diaprun. solut. & diaph. an. ʒ j. ß syrupi rosarum pallid. ℥ j vel pilulis ex agaric. albi ϑ ij. rhei el. ϑ j. cinam. & scœnanthi an. ϑ ß. cum succo agrimoniæ, & petroselini concinnatis*, octauo quoque die deuorandis. vel potius hoc syrupo cathartico: ℞ *rad. petros. asparag. cichor. gram. an. ʒ j. endiu. scariol. acetos. buglos. borrag. capil. Ven. agrimon. betonic. an. M j. seminum iiij. frigid. maior. apij, petroselin. anis. an. ʒ j. passul. mund. ℥ ß prun. n. xx. florum cord. anth. fœch. an. P. j. fiat decoctio ad ℥ x v j.* in qua infunde per noctem *fol. sen. mund. ℥ ij. seminis cartham. ℥ j. agaric. albi ℥ ij. gingib. & cinamomi an. ʒ j.* deinde parua ebullitione facta, omnium fiat expressio, in qua dissol. *sacchari albi* ℔ j. fiat syrupus perfecte coctus, non clarificatus, ponendo in fine decoctionis expressionem ℥ j. *rhei el. infusi in vino albo*, quo syrupo vtatur bis in hebdomada diebus intermissionis, cum aqua buglossi vel alia conueniente, ad materiam morbificam, quæ vna vice tota euacuari non potest citra virium noxam per epicrasim radicitus extirpandam. Proderit & vomitum prouocare ex *hydromelitis ʒ iij. cum decocti hyssopi & raphani ℥ ij.* in principio vel declinatione paroxysmi, vel statim à cibo tepide datis,

c. 43 d. 3. t. 1 l. 1.

c. 39. d. 3. t. 7 l. 2.

datis, ad ſtomachū pituitoſis excrementis quibus ſcaret repurgandū. Sudores & vrinas mouentia in declinatione morbi & aeceſſionum, Græcorū & Arabum conſilio vſurpanda erunt, cuius generis ſunt *ſyrupi capill. Veneris, & acetoſus cum decocto gram aſparag. aut mulſione ſeminum iiij. frigid. maior.* Item vinum album. Vtendum præterea erit roborantibus refrigerandi facultate præditis, ne ob veſtigia empyreumatis relicta, & ob virium infirmitatem recidiua febris priore deterior emergat, cuiuſmodi ſunt *diamargaritum frigidum, elect. diatrionſantalon, diarrhodon Abbatis, conſeruæ roſarum, bugloſſi & violar.* & ea quæ admouentur veluti epithemata hepati calidiori imponenda. Sitis ſi vrgeat, arcenda erit decocto *hordei, iniubarum, ſebeſtem, glycyrrhizæ, ſeminum cucurbitæ & lactucæ.* Linguæ aſperitas & ſcabrities ſi ſuperuenerit, alumine & ſaccharo roſato cum aqua roſarum miſto delenda erit. Hæc de febris diagnoſi, prognoſi & curatione dicenda eſſe mihi viſa ſunt.

Hac conſulebat Frambeſarius cum D. Gomero, pro nobili viro natura bilioſo, media hyeme apud Albam villam laborante, anno 1592.

CONSVLTATIO XII.

De Quartana intermittente.

c. 24. & 25. d. 1. t. 7. l. 2. QVæ ægrotantem iamdiu male habet febris, exquiſita quartana eſt, à melancholico humore extra venas putrente procreata. Nam præterquam quod quarto quoque die, cum horrore, tremore, dentium ſtridore, ἐξύπνῳ, & pulſu paruo, tardo, raro inuadit, homini melancholico, quadraginta annos nato, cibis craſſis ac terrenis diu addicto, curis & mœroribus confecto, autūnali tēpore ſuperuenit. Hæc autem febris quia ex ſeipſa non ex alia præcedēte febre originē habet, nec ex atra bile, ſed ex naturalis melācholiæ exuperātia putreſcēte nata eſt, ſalutaris mihi videtur, ſed quoniā ſub autūni finē prehēdit, diuturna procul dubio futura eſt. Nam ex Hippocrate οἱ φθινοπωρινοὶ τεταρταῖοι μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς χειμῶνα σαυάπλοντες. *Autumnales quartanæ longæ, præſertim*

6. 15. d. 2. t. 7. l. 2.

sertim quæ hyemẽ attingunt, quia succus melancholicus, crassus & lentus, ex quo autumnales quartanæ contrahuntur, intus retinetur, nec per id tempus discuti potest, meatibus corporis frigore occlusis. Hæc de febris diagnosi & prognosi: sequitur curatio, quæ tribus remediorum generibus perficienda est, diæta, chirurgia & pharmacia. Diæta autem instituenda est causæ morbificæ contraria, nempe calfaciens, humectans, extenuans & aperiens. A suilis itaque carnibus, atque auibus quæ in paludibus degunt, arceatur æger, & ab omnibus aliis eduliis quæ viscida & tenacia sunt, tardeque exire solent. A flatuosis cibis, piscibus salsis, ab omnibus denique quæ corpus refrigerant & exiccant. Vtatur carnibus hœdinis, vitulinis, volatilibus, montanis, elixis, potius quam assis, ouis sorbilibus, piscibus saxatilibus, & qui molli carne tenacitatis experte præditi sunt. Item capparibus. Salsamenta etiam ac sinapi cibis admiscenda sunt ad crassum & glutinosum humorem incidendum, & extenuandum, superuacuamque humiditatem depascendam. Vinum album, tenue & mediocriter calidum, præsertim diebus intermissionis ægro concedendum, quod sua tenuitate humoris melancholici crassitudinem extenuet, caloris autem mediocritate corpus humore melancholico refrigeratum modice calfaciat, coctionemque iuuet, & vrinam prouocet. Sed diebus accessionis mulsa, aut aqua cinamomi & sacchari potius exhibenda. Interim in principio & incremento febris ob diuturnitatem morbi plenus potius quam tenuis: in vigore tenuis potius quam plenus victus exhibendus est, ne natura à concoquendorum & excernendorum humorum negotio tunc perperam auocetur. Quinque autem aut sex horis ante accessionem alimenta erunt conferenda, vt natura peracta concoctione aduersus febris insultum sit vegetior. Mediocres etiam exercitationes in intermissione febris subeundæ, ac frictiones inter pastum moderatæ sunt adhibendæ, & quæcumque animum oblectant, lætitiaque afficiunt concedenda. Hæc victus ratio. Quod ad Chirurgiam attinet, vena basilica brachij sinistri, pridie accessionis ad sanguinis melancholici luxuriantis vacuationem aperienda. Et si sanguis niger & crassus profluat, audacter mittẽdus est. Nã huius magna copia extracta, natura reliquo humori cõcoquẽdo supior euadet, febrẽq; breuioré reddet. Sin a tenuis ac syncerus appareat, statim supprimẽdus erit, qa eiusmodi sanguis

c.18.d.2.t.7.l.2.

c.21.d.3.t.1.l.1.

c.11.d.3.t.1.7.l.2.

can. eodem

can. eodem

c.4 & 11.d.3.t.7.l.2.

craſſum ac frigidum humorem tum ſua ſubſtantia tum qualitate emẽdat. At quod ad medicamenta ſpectat; craſſum lentumque humorem incidentia, extenuantia, detergentia, ac omnibus modis præparantia primo erunt ex vſu, deinde purgantia per aluum, per vomitum, per vrinas & ſudores, tum partes laborantes roborantia, à leuioribus ad valentiora ſenſim progrediendo. Quartana quippe laborantes per initia moderate leniterque tractandi, neque vllo vehementi medicamento, aut vacuatione irritandi, quod humor qui quartanam efficit, tractui contumax ægre inter initia & antequam concoctus ſit, trahens medicamentum ſequatur, propter ſuam craſſitiem ac frigiditatem, & quod vias anguſtas per quas illi tranſeũdum eſt obſtruat. Quocirca hoc apozema erit accommodatiſſimum ad morbificum humorem præparandum, clementerque purgandum: *℞. rad. capparis & tamaricis an. ℥ iij. polyp. quern. ℥ ß epithym. ℥ ij. lupul. cuſcut. meliſſ. bugloſſ. borrag. an. M. j. ſeminum aniſ. & fœnicul. an. ℥ ij. flor. geniſt. P. j.* fiat decoctio pro iij. doſibus, in duabus prioribus diſſol. *ſyrupi de fumaria, ſyrupi de pomis redolentibus, aut regis Sabor an. ℥ j.* fiat apozema clarum, poſtridie acceſſionis duabus vicibus mane & veſperi ſumendum. In vltima doſi bulliant *flor. ſennæ mund. ℥ iij. aniſ. ℥ j. in colat. diſſol. cathol. duplic. ℥ ß. ſyrupi de epithymo ℥ j.* fiat potus die ſequenti ab apozemate ſumendus. Ad eundem ſcopum ſæpius vſurpari poterunt clyſteres accommodati primum remollientes, poſtea purgantes. Sic & vſu *oxymelitis, ſyruporum de fumaria & de epithymo, cum aquis bugloſſ. borrag. lupul. fumar. meliſſ. geniſtæ*, ſenſim melancholicus humor erit præparandus, & per epicraſim melanogogis repurgandus, principio leuioribus, vt ſenna, catholico: deinde vbi concoctionis notæ apparebunt, valentioribus, vt *pilulis Indis, è lapide lazuli, è fumaria, confectione hamech.* Quę vomitum prouocant ante paroxyſmum, vel potius in principio paroxyſmi ad vacuandam materiam peccantem iam agitatam valde profutura ſunt, ſi nauſeat æger, qualia ſunt aſarum & agaricus in oxymelite infuſa, & radicula transfixa ſurculis albi veratri in oxymelite vel hydromelite infuſa. Vrinas & ſudores mouentia, cuiuſmodi ſunt iuſcula *petroſel. aſparag. ruſci graminis. ſyrupus capill. Veneris, hydromel. diureticum, & vina factitia*, vbi ſigna coctionis ſe detegent, tempeſtiue vſurpabuntur. Ante manifeſta, quippe concoctionis indicia, ſi diuretica & hidrotica exhiberentur, contumaciorem obſtru-

c. 11. d. 3. t. 7 Li.

obstructionem inueherent, duplicemque aut triplicem quartanam infligerent, sic ægri salus perperam ageretur. Visceribus affectis præterea prouidendum remediis roborantibus tum sumendis, vt *conserui borrag. bugloss. anthos, cortice citri condit. confectione Alkermes diamosco, vino absynthite, theriaca ad* ʒ j per se, vel cum *aquæ vitæ* ʒ ij. data initio accessioni: tum admotis, vt *oleo è nuce moschata* ventriculi regioni impositio, oleis è genista & capparibus rite & tempestiue lieni accommodatis: *oleo irino, anethino, & rutaceo* aquæ vitæ permistis, quibus illinatur vniuersa dorsi spina, ad neruorum robur, & molestam horroris occursionem demulcendam, sudoresque ciendos. Hæc sunt quæ ad febris huius curationem mihi videntur decernenda remedia.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Dambraneo aliisq; meditis Rhemensibus, pro Doct. Theologo Franciscano, quadragesimum annum agente, Rhemis Autumno laborante, anno 1593.

CONSVLTATIO XIII.

De *Quartana notha.*

QVartana quæ laborantem excruciat, exquisita nequaquam est, sed spuria, non à melancholia naturali, sed ab atra bile extra venas putrente orta, vt ex eo dignoscere est quod iuuenem bilioſum, media æstate prehenderit, sitque multo acutior ac grauior, quam quæ à melancholia excitatur, ac longe maior celeriorque sit pulsus, acriorque calor febrilis. Adde quod ardenti febri succesſerit, flaua bile per adustionem in atram conuersa. Vnde eius in iecore non in liene focus, vt dextrum hypochondrium contactu ipso tumidum, tensum & valde durum manifeste demonstrat. Hanc præterea atrabilariam esse non melancholicam argumento est, quod melancholicus humor à liene ad ventriculum regurgitans augeat appetentiam, huic autem adiuncta sit inappetentia. Quod ad *prognosim* attinet, hæc longe periculosior est, quam vera quartana, quod sæuioribus omnino comitata sit symptomatis, quoniam atrabilarius humor ex bilis aduſtione factus, multo acrior exiſtit quam melancholia ex parte sanguinis crassiore confecta. Sed longe breuior futura est. Nam ex Hippocrate, *οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες, æstiuæ quartanæ magna ex parte breues*, quod bilis atra aëris ambientis calo-

c.24.&25. d.1.t.7.l.2.

c.18.d.2.t. 7.l.2.

re per vniuersum corpus fusa prompte discutiatur, meatibus corporis totius patefactis. Superest curatio tribus remediorum generibus perficienda, victu, manu & medicamine. Victus refrigerans & humectans ad bilis feruorem demulcendum, ardoremque febrilem contemperandum dècernēdus est. Isque tenuior quàm in quartana exquisita, quia acutior febris est. Nec tamen ob humoris acrimoniam die paroxysmi omnino denegandus, sed mature ante paroxysmum exhibēdus. Quod ad manus opem spectat, secanda vena basilica brachij dextri, quia hæc ex ipso corde morbi foco morbificum humorem maxime vacuat. At quod ad medicamenta attinet, quæ atræ bilis præustæ feruorem leniunt, & absque manifesto calore crassum humorem extenuant, imprimis conueniunt, cuiusmodi sunt Zulapia *ex syrupis è fumaria, è pomis redolentibus, è violis, cum aquis stillatitiis scolopendrij, lupuli, & cassuthæ, aut decocto borrag. bugloss. violar. & melissa comparata.* Deinde benigna cathartica, vt *cassia, senna, epithymus, catholicum*, per epicrasim vsurpanda sunt, ad humorem morbificum per aluum sensim educendum. Nec vomitum cientia, vt *oxymel simplex cum raphani decocto*, negligenda, si sursum irrepat humor morbificus. Vrinas & sudores mouentia, vbi coctionis notæ apparuerint, erunt etiam ex vsu. Tum hepati affecto prospiciendum roborantibus præsidiis, partim sumendis, vt *electuario trium santalorum, conserua bugloßi & rosarum*: partim admouendis, vt epithematis & linimētis in id comparatis. Balneum præterea aquæ dulcis non parum ægrotanti profuturum est, ad siccam & adstrictam cutim relaxandam, & ad calidam corporis intemperiem corrigendam. Hæc de præsentis morbi diagnosi, prognosi, atque therapia breuiter dicta sint.

c.1.d.3.t.7. l.2.
c.26.d.3.t. 1.l.1.
c.4.d.3.t.7 l.2.
c.11.d.3.t.7 l.2.

Hæc consulebat Frambesarius cum Dom. Tognartio Ducis Lotharingi medico, pro ingenuo iuuene, natura bilioso, mense Iulio, anno 1587. Nancei laborante.

CONSVLTATIO XIV.

De Quotidiana intermittente.

DOmina laborans febre quotidiana intermittente à pituitoso humore extra vasa putrescente procreata conflictatur. Nec eam ex eo tantum quod quotidie typo simili redeat, agnosco: Nam duplex tertiana

tertiana & trip'ex quartana ſingulis quoque diebus reuertuntur. Sed etiam quod mulieri natura frigidæ & humidæ, obeſæ, proiectæ ætatis, otioſam vitam degenti, largiori ſomno indulgenti, ac frigidiore humidioreque victu vtenti, hyeme frigida & humida regione, & pluuioſo cœlo acciderit. Ac præterea quoniam huic facies ſubliuida & ſubtumida eſt, os ventriculi imbecillum, deiecta appetentia, aciduſque ructus frequens. Nec acceſſio repente ſed ſenſim inuadit, corporis extrema duntaxat refrigerans, non rigore concutiens, adeſtque corporis grauitas & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas. ac plerumque & hoc initio animus defectione langueſcit. Calor dein pedetentim & ægre augeſcit, magna certe inæqualitate, qua modo calor modo frigus percipitur. Accenſus tandem calor non acer, ſed hebes & halituoſus tangenti primum occurrit, quaſi ex ſuccenſis viridibus lignis vapor ſublatus. Poſtea vero aliquantum mordax & acer. Quum in omne corpus iam effuſus eſt, nullum vehemens incendium corpus nudare cogit, nec ardoris compunctio id varie iactare, nec ſpirandi difficultas multum frigidumque aërem ducere, nec ſitis vehemens aquam frigidam expoſcere. Inclinans acceſſio nullum vel paucum ſudorem effundit. Acceſſioque ad horas octodecim vſque exporrigitur. Pulſus paruus, languidus, ſummiſſus ac rarus acceſſionis initio & incremento, poſtea vero creber euadit, ſed minus quam in tertiana, perpetuoque inæqualis. Vrina tenuis & alba initio viſa eſt, ex crudæ materiæ copia, quæ & vehementer obſtruebat, & natiuum calorem obterebat: nunc vero rubra, craſſa, turbida redditur, quia materia coquitur, eiuſque nonnihil cum vrina præterfluit. Alui deiectio liquida, cruda, pituitoſa. Hæc de febris diagnoſi. Quod ad *prognoſim* attinet, vires ægrotantis imbecillæ, habitus craſſus, ætaſque ſenecta periculum portendunt: ſed cum febris intermittat, & laborantis naturæ, habitui, ætati & tempori conſentanea ſit, omnem ſalutis ſpem non adimit. Eius tamen curatio difficilis erit, quoniam cauſa & morbus contraindicant, & longa, quia humor morbificus craſſus & lentus non niſi longo tempore radicitus è corpore euelli poteſt, hyberno præſertim tempore. Tribus autē ſcopis perficienda videtur, primo vt humor morbificus imprimis præparatus euacuetur: ſecundo vt in eo præparādo vacuandoq; caloris etiā febrilis ratio habetur: tertio vt ventriculi imbecillitas, dolor & reliqua ſymptomata emenden-

c.18. & 19. d. 1.7.l.2.

c.2.3.4.d.2 t.1.l.1. c.14.d.2.t. 7.l.2. c.10.d.2.t. 1.l.1. c.9. & 5 d. 2.t.1.l.1. c.3.4 5.d. 3.t.1 l.1.

emendentur. Ad duos priores ſcopos conſequendos, in aëre verſandum temperato, vel parum ad caliditatem & ſiccitatem vergente alimentis vtendum euchymis quæ citra manifeſtum calorem incidant & extenuent, *vt panatellis, iuſculis capi, pulli, carnium hœdinarum, petroſelino hyſſopo, thymo, aſparago, bugloſſo & borragine* alteratis, preſſis, conſumptis & contuſis carnium delicatarum. *paſſulis, prunis, amygdalis, dactylis.* Propotu vino oligophoro in paſtu, extra paſtum hydromelite, vel bocheto ex cinamomo, ſaccharo, & aqua confecto, vel priſana ex gramine, hordeo, coriandro & cinamomo comparata. Medicamentis præterea humorem crudum coquentibus, lentum detergentibus, craſſum attenuantibus, & meatus conſtrictos aperientibus, vt *ſyrupis ex abſynthio, è mentha, & è corticibus citri,* qui calore temperato natiuum recreando & augendo concoctionem iuuant. Item *oxymelite, ſyrupis è ſtœchade, è quinque radicibus è bizantiis, cum aquis fœniculi, hyſſopi, eupatorij,* & aliis id genus incidentibus, extenuantibus & aperientibus. Deinde phlegmagogis pharmacis pituitam ſenſim & pedetentim apparatam elicientibus, vt *agarico, diaphœnico, diacarthamo, catapotiis ex hiera, ſtomachicis aureis & cocciis.* Inſtante paroxyſmo ad vacuandam pituitam quæ ventriculo continetur, vomitum prouocare proderit, ex *ſyrupi acetoſi aut oxymelitis ſimplicis* ℥ij. cum *decocto raphani,* in quo ℥ß. *agarici* bullierit, præſertim ſi natura illum appetere videatur. Clyſteres etiam ex decocto carminatiuo & remolliente, *diaphœnico, hiera picra, melle anthoſato, & oleis anethi, chamæmeli & liliorum* comparati, frequenter iniiciendi ſunt ad vniuerſam putredinis illuuiem, febris ſobolem, quæ primam corporis regionem obſidet, ſenſim per aluum educendam. Toto quoque morbi progreſſu proſpiciendum erit ſtomacho pituitæ morbificæ ſedi, aſſumptis *aromatici roſati & diarhodon tabellis, theriaca vel mithridatio ex vino albo ad* ℥j. Admoto circa regionem ventriculi *cerato ſtomachico cum oleo nardino, abſynthino, cum puluere* nucis moſchatæ, cardamomi, galangæ & macis. Frigus etiam quod in principio acceſſionis ægrotantem infeſtat, demulcendum erit illitu *olei irini, chamæmelini, & vini generoſi,* addendo aſſam aromaticam & myrrham. Si ſomni immoderati importunitas obreperit, excitanda erit adoramentis *nigellæ Romanæ, caryophyllorum & nucis moſchatæ.* A plebotomia autem abſtinendum eſſe cenſeo, ne cruditatem contumaciorem inuehat, ac ne humoris in prima corporis regione peccantis colluuies in locum ſanguinis puri vacuati traducatur.

f. 9. d. 3. t. 7 l. 2.

c. 43. d. 3 t. 1. l. 1.

c. 29. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 9. d. 3. t. 7 l. 2.

ducatur. Adde quod ægrotantis vires & ætas, anni tempus, cœli constitutio & regio sanguinis missionem prohibeant. Hæc mea est de febris diagnosi, prognosi & curatione sententia.

Hæc consulebat Frambesarius Feræ cum D. Prouancherio Ducis Mayennēsis medico pro matrona Ferana, anno 1591. mense Decemb.

CONSVLTATIO XV.

De febre Hectica.

QVæ in hunc iuuenem natura calidiorem & ficciorem incidit febris, à vehementibus causis euidentibus, iracundia, mœrore, labore, æstu, inedia & siti orta, cum in plures dies iam extensa sit, ephemera amplius dici nequit: sed hectica vera simplexque censeri debet, inflammatis proculdubio iam solidis partibus. Nam febris perseuerat æqualis citra insignem vel additionem vel minutionem. Vnde laborans sine vllo dolore est, vixque febricitare se putat. Magna virium imbecillitas est cum quodam langore. Tangenti calor mitis primum apparet, sed mox acer ac mordax, pulsus durus, debilis, paruus, ac frequens. Hora vna duabusve ab ingesto cibo calor exacuitur, pulsusque crebrior atque celerior euadit: cibo autem confecto febris in pristinam æqualitatem redit. Vt enim si calcem humore conspergis, vapor multus acriorque calor suscitatur, ita & corporis solidæ partes hectico calore obsessæ, ampliorem calorem effundunt dum cibi madore proluuntur. Vrinæ pinguedo telis araneorum similis innatat. Corpusque iam manifeste liquescit & absumitur. Cutis vt cæteræ solidæ partes arida squalidaque existit. Quod ad *prognosim* attinet, cum iam febris secundum magnitudinis gradum adepta sit, vt quæ magnam carnosæ partium solidarum substantiæ iacturam fecerit, curatu profecto difficillima est. Attamen cum nondum sit in febrem marasmodem traducta, humido primigenio nondum exhausto absumptoque, æger non est vsque adeo deperditæ sanitatis, quin adhuc aliquis curationi relinquatur locus. Ad quam consequendam vnicus videtur esse scopus, in refrigerando & humectando situs, tam iis quæ intra sumuntur, quam iis quæ extra admouentur. Itaque æger aëre refrigerante & humectante; libero & clementi fruatur. Vescatur alimentis refrigerantibus & hume-

c. 30. d. 1. 7. l. 2.

c. 19. d. 2. t. 7. l. 2.

c. 2. & 13. d 3 t. 7. l. 2.

humectantibus, euchymis, concoctu facilibus & multum succulentis, vt *gelatinis, consumptis, instaurantibus, hordeatis, panatellis, iusculis carnium, lactuca, portulaca, bugloſſo, borragine, hordeo excorticato, & seminibus lactuc. portula. & melonum alteratis*, quæ corporis emaciati iacturam reſarciunt, promptequeaſſimilantur. Vtatur lacte muliebri, vel aſinino horis quatuor ante prandium cum ſaccharo roſato, hoc vt celerius, illo vt magis nutriat. Et quoniam vires elangueſcunt, ſæpius quidem ſed parca manu cibus ingerendus eſt. Vna quippe vice magnam ciborum copiam virtus inualida vincere haud poteſt. Potus ſit *ptiſana ex hordeo, paſſulis, iuiubis, ſebeſtem, coriandro & glycyrrhiza* comparata, quandoque vinum oligophorum aqua dilutum. Motum immodicum & quicquid vires reſoluere poteſt deuitet. Semper autem procurandum eſt, vt tota morbi radix quæ adhuc altius inhæreſcit, penitus euellatur. Quocirca inſignis animi affectus qui ægrotantē adhuc vrgentius ſollicitat, omnibus rationis & orationis lenociniis eſt demulcendus & compeſcendus. Simulac aluus plus æquo adſtricta fuerit, lenibus clyſteribus refrigerantibus & humectantibus, adiecta medulla caſſiæ fiſtularis, erit eluenda. Intra corpus ea etiam exhibebuntur medicamenta quibus refrigerandi & humectandi vis ineſt, cuiuſmodi ſunt *ſyrupus violaceus, nenupharinus, acetoſus, electuaria diarhodon Abbatis, diatrionſantalon, diatragacanthum frigidum, ſaccharum roſatum, conſerua bugloſſi, violar. &c.* Inter ea quæ foris admouentur, præſentiſſimum remedium erit balneum aquę dulcis, primum mediocriter calidæ, ad aperienda cutis ſpiracula, deinde tepidæ ad humectandum, poſtremo frigidæ ad refrigerandum, roborandum abſtringendumque corpus vt conceptam humiditatem retineat. Ad magis humectandum, flores *violarum, nymphæa, folia ſalicis, malu. lactuca, hordeum mundatum* balneo iniici poterunt: ad laxandas reficiendaſque partes præ ſiccitate hectica tenſas & contractas, capita viſceraque agnina, pedeſque vitulini cum butyro incoqui etiam poterunt. Poſthæc linimenta conuenient ex *oleo roſacto, violaceo, nenupharino, papauerino, amygdalyno, butyro in aqua violarum & ſolani* loto, & aliis eiuſmodi, quibus vniuerſum vngatur corpus. Epithemata quoque cordi & hepati imponenda, ad illorum ardorem contemperandum, ſiccitatemque corrigendam. qualia parari poterunt ex *aquis bugloſſ. violar. nymphæa, lactuca, hordeo mundato, ſeminibus cucurbita* & cucumeris, & aliis

aliis id genus refrigerantibus & humectantibus. Hæc ad febris huius dignotionem, prænotionem, & curationem dicenda esse duxi.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Prouancherio collega suo, pro nobili iuuene, Sandesiderij, æstate media laborante, anno 1587.

CONSVLTATIO XVI.

De febre Hectica marasmode.

FEbris quæ Dominum laborantem exercet cognitio facillima, sed longe difficillima curatio est, imo prorsus impossibilis. Hectica quippe confirmata est, & iam ad Marasmum perducta, cum præsertim febrilis & immanis calor solidæ substantiæ primigenium humidum, natiui caloris & insiti spiritus subiectum iam absumpserit. Quo fit vt penitus immedicabilis morbus existat. Quum enim nobis insitum sit & ex semine contractum humidum id primigenium, quicquid illius assumtum est, resarciri nunquam potest. Quemadmodum igitur si quis in exustum elychnium, oleum affundat, oleum & operam perdit, ita solidam partium substantiam natiuo calore, spiritu & humore primigenio priuatã restituere qui contenderet, frustra laboraret, quia aqueus non aërius humor à calore febrili ex alimento substitueretur. Confirmatam autem hecticam manifeste indicant cadaueroſa facies, oculi concaui, nares acutæ, collapsa tempora, frons dura, intenta & arida, venter quasi inanis, depressus atque contractus, reliquumq; corpus ita aridum vt nihil præter ossa membranis & cute obducta, & quasi sceleton esse videatur: ipsaque cutis apprehensa vt corium aridissima apparet. Pulsus omnium maxime durus, paruus, debilis ac frequens. Quoniam igitur nullus spei amplius relinquitur locus, nulla nobis tentanda curatio, ne simul ac victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videamur: sed ad vitandam calumniam funestus morbi exitus necessariis ægrotantis mature prædicendus est: Nam vt prudenter monet Galenus, ὃ χρὴ κεκρατημένοις ἐγχειρεῖν, ἀλλ' ἀφίεσθαι δηλονότι προσαγορεύοντα μόνον ἐς ὅτι πλουτήσει τὸ νόσημα, deploratos non oportet aggredi curare, sed relinquere, & morbi

c. 29. d. 1. t. 7. l. 2.

c. 19. d. 2. t. 7. l. 2.

c. 30. d. 1. t. 7. l. 2.

c. 1. d. 1. t. 1 l. 1.

finem tantum modo prænunçiare. Quod de præsenti morbo mihi videretur, dixi.

Id Frambesarius de honesto viro, cum Cl. Medico Vuekero opinabatur Sammariæ anno 1592.

CONSVLTATIO XVII.

De Febre symptomatica.

Prophasis ex qua morbi διαγνῶσις.

MVnus nostrum triplex (Medici percelebres) primum ἐν τῷ διαγνῶναι, alterum ἐν τῷ προγνῶναι, postremum ἐν τῷ θεραπεύειν versatur. Ad latentis morbi, abditæque causæ patefaciendam diagnosim, euidens prophasis, iam inde à principio videtur enarranda. Generosissimus Dominus Theminensis militiæ Gallicæ Tribunus, annos quinquaginta quinque natus, exanthlatis pluuioso cœlo laboribus immodicis in Castelli Portiani, & Rethelensis vrbis obsidione, Regem apud Parisios adiit. Hinc ad Lotharingiam in exercitu Regio aduolans, alui profluuio in itinere tentatus est, quod intra 24. horas substitit. Ad Virtodunum tandem appulit, vbi à triginta quinque diebus decumbit. Initio de anorexia, & torminibus conquerebatur. Mox diarrhœa iterum correptus in dies aliquot perseuerante. Cuius succedanea fuit febris valde maligna. Continens & proxima eius materia, non in maioribus vasis, sed in hypochondriis consistit. Ex pituita quippe & vtraque bile mesenterio impacta putrescente, ob latentem circa præcordia obstructionem, vnde putridus vapor in cor obrepit, ortus sui causam duxisse consentaneum est. Ac licet mane dum conquiescit humor, tenta febris appareat, vesperi tamen exacuitur, nec prius mitescit, quin turgens humor magna ex parte fuerit euacuatus, ter vel quater aluo vt plurimum soluta. Et quanquam cacochymia triplex, huius causa statuitur, atrabilaria tamen præpollet, quod quarto quoque die, quo impetum facit cardialgia, anorexia, tormina, anxietas, agrypnia, dysthymia, cæteraque symptomata ingrauescant. Adde quod laborans olim

olim fuerit hœmorrhoidibus obnoxius, quarum suppressio melancholicæ cacochymiæ prouentum arguit. Sed quoniam putredinis portio in venas effusa sanguini permiscetur, putredinis notæ fuerunt in vrinis conspicuæ, quin & vrinæ acrimonia meiendo interdum percepta, vbi excandescit febris, pulsus frequentior, celerior & inæqualis, vires adeo imbecillæ, vt ne progredi quidem æger possit. Hæc morbi diagnosis. Quod ad *Prognosin* attinet, cum hæc febris à crasso potissimum & lento humore, vt pote melancholico, ac pituitoso procreata sit, nequaquam mirum, si non nisi diuturno tempore terminari possit, quia ex Hippocrate, μέλαινα χολὴ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνέοντων γλιχροτάτη, καὶ τὰς ἕδρας χρονιοτάτας ποιέηται, *Bilis atra omnium humorũ viscosissima, & quæ stationes maxime diuturnas pariat.* Quin etiam τὸ φλέγμα γλιχρότατόν ἐστι, καὶ βίη μάλιστα ἄγεται μετὰ χολὴν μελαίνην, *Pituita viscosissima est, & post bilem atram vi omnium maxima educitur.* Quocirca nec septimo, nec decimoquarto, nec vigesimo die, aliisve decretoriis soluta est, sed primariæ febris continuæ terminum prætergreditur. Grauis initio metus erat, ne vires nimiopere fatiscentes, morbi diuturnitati pares forent, corporisque moles sensim liquesceret, ac sine sensu prouectæ ætatis homo inflictis olim vulneribus vndique confossus marcore tandem conficeretur: Nec minus imminebat ex atrabilarij humoris cacoëthia periculum. Nam ex Hippocrate ὑποχωρήματα μέλανα ὀνήσιον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτης ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετοῦ κάκιστα, deiectiones nigræ sanguini atro similes sponte procedentes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ; *aph.* 21. *lib.* 4. Sed cum εὐεκλικώτατον corpus animaduerterem, atque laborantem medicis antagonistis synagonistem, victricem fore naturam iudicaui. Superest *therapia* ad quam moliendam plurima hactenus præscripta, ac nonnulla deinceps præscribenda remedia, Enemata imprimis ex remollientibus, detergentibus & discutientibus comparata, iniecta sunt ad dolores compescendos. Dilutum rhei *in aqua cichorij & plantaginis cum syrupo rosatum pallidarum & de cichorio*, semel atque iterum est exhibitum, ad cacochymiam clementer purgandam, & viscera simul roborandam. Sanguis dein parca manu missus ad eius inhibendam putredinem, caloremque febrilem contemperandum. Cum Dominus cardialgia, & ingenti ciborum omnium fastidio grauiter afficeretur, ob multiplicem excrementitium humorem vtpote pituitosum è cerebro, biliosumè

πρόγνωσις.

ἴασις.

ſum è iecore, & atrabilarium è liene, ad ventriculum & aluum confluentem, è crudis, flauis & ſubnigris deiectionibus nobis conſpicuum, maſtichina & polychreſta catapotia exhibuimus deglutienda, addita confectione baphica. Ad viſcerum robur & vehementiorem humorum impetum ſiſtendum, parata eſt opiata, ex *conſerua roſar. carne cydonior. & myrobalanis ſaccharo* conditis, *corallo & margaritis præparatis cum ſyrupo cydonior.* Paratæ & in eum finem tabellæ ex *corallo, margaritis, ſpodio, ebore, ſuccino, lapide Bezoardico, confectione baphica & hyacynthœa, cum ſaccharo rhodoſtagmate ſoluto.* Iidem pulueres cardiaci per ſe, nonnunquam cardiacis aquis ſoluti, ex cochleari ſæpius exhibiti, ad cardialgiam propellendam. Ad febrilem ardorem extinguendum, vrinæ acrimoniam demulcendam, viſceraque recreanda, frequens fuit iuleporum cordialium vſus, modo ex aquis ſtillatitiis, modo ex decoctis *bugloſſi borrag. ſcabioſæ, agrimon. lupuli, endiu. ſcariol. oxalyd. adianti, tormentillæ, ſemin. frig. maior. flor. cord. geniſtæ & ſimilium,* cum *ſyrupo oxyacanthæ, & ſucco limon. aliqua tandem vini albi portione addita.* Adhibiti fotus circa regionē ventriculi, ex *cypero, calamo aromat. abſynth. mentha, florib. chamæ, & anethi roſis rubr. balauſtiis, ſem. aniſi & fœnicul. baccis iunip.* & ſimilibus ſacculo concluſis, in æquis partibus aquæ & vini rubr. decoctis. Litus ex *cerato ſantalino*, item ex *oleo de nuce moſch. cum butyro recenti.* Scutum ex *maſtiche, oleo cydo. ſoluta.* Epithemata ex *aquis ſtillat. roſar. lactuca, bugloſſi & borrag. aceto roſato, & diamargarito frig. pro regione cordis:* Epithemata *ex aquis ſtillat. cichorij, oxalyd. & plantag. aceto roſ. & diatrionſantalon.* pro regione hepatis. Sed quoniam præ ventriculi impuritate, quæcumque offeruntur etiamnum faſtidire videtur, prima corporis regio per epicraſin iterum atque iterum repurganda benigno cathartico, *è folior. orient. ʒ ij. cum caryophyllis iij. in decocto ſplenico infuſis, & ♃ iij. rhab. cum cina. ♃ j. in aqua cichorij maceratis,* addita *cremoris tartari ʒ j. & ſyrupi roſarum pallid. ℥ j.* Adhuc è iuſculis *carnium, bugloſſo, borrag. lact. endiu. & oxalyde alteratis,* è panatellis, è gelatina, ex inſtaurantibus ſuccis & aliis id genus eduliis liquidis euchymis, & eupeptis, victus eſt inſtitutus. At morbo iam à vigore ad declinationem vergente, ad ſolidiores cibos tranſeundum erit. vinum præ virium imbecillitate ab initio conceſſum in paſtu, ſed aqua longe dilutiſſimum: paulo meracius deinceps bibere liçebit, ad corpus citius priſtino robori reſtituendū. Hæc de diagnoſi,

prognoſi,

prognoſi & curatione noſtrũ Gallicæ militiæ moderatorem infeſtantis, proponenda eſſe mihi viſa ſunt.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Cacheto Ducis Lotharingi Medico, ac D. Lordelio Virtodunenſis Poliatro, pro Polemarcho Theminenſi Virtodunilaborante, Maio & Iunio menſibus anno 1617.

TITVLVS II.

De Dyſpnæa, Aſthmate & Orthopnæa.

Diſtinctio 1. qua continentur diagnoſtici canones.

CANON I.

DIfficultas ſpirandi apud Græcos aliud atque aliud nomen habet, prout ſe intendit. Hæc enim dum immodica eſt, neque ex toto ſtrangulat, δύσπνοια appellatur: cum vehementior eſt, vt ſpirare æger ſine ſono & anhelatione non poſſit, ἄσθμα: cum acceſſit id quoque, ne niſi recta ceruice ſpiritus trahatur; ὀρθόπνοια. *Celſus cap. 4. lib. 4.* *Vt ſpirandi difficultas prout ſe intendit aliud nomen ſortiatur apud Græcos.*

II.

Dyſpnœa etſi generatim omnem ſpiritus difficultatem ſonat, proprie tamen pro crebra reſpiratione citra ſonum ac anhelationem vſurpatur. Aſthma eſt crebra reſpiratio citra febrem, qualis accidit iis qui citatione curſu fatigati ſunt. Anhelatio & ſuſpirium Latine dicitur. Vnde qui hac affectione laborant, aſthmatici, anhelatores & ſuſpirioſi appellantur. Orthopnæa eſt vbi nulla vrgente febre laborantes recta ceruice perpetuo ſpirare cogũtur, ſuffocationis metu, propterea quod vbi decumbunt totus thorax ſupra ſpinam ipſam concidit, quo fit vt arctior reddatur via ſpiritus, ac ſuffocari proinde videantur. *Ex Galen. Paul. Fernel. Altomar. Fuchſ. Holer. &c.* *Quid Dyſpnœa.* *Quid Aſthma.* *Quid Orthopnœa.*

III.

Verum aſthma ex magna craſſi lentiq; hũmoris tempore magis magiſq; concreſcentis copia pulmonũ bronchiis infarcta, à deſtillationibus multis circuitu redeuntibus ſenſim cumulata, vias per quas ſpiritus euadit obſtruente & coarctante gignitur. Vnde huic opportuni eſſe ſolent qui catarrho atq; tuſſi frequenter tentantur, maxime vero ſenes, & qui anguſtis ſunt pulmonibus. Eadem cauſa ſi grauior fuerit orthopnœam, ſin leuior exiſtat dyſpnœam ſine febre excitat. *Ex med. conſ.* *Vnde & quomodo gignatur aſthma.* *Qui aſthmati ſint obnoxij.* *Qua ratione orthopnœa excitentur.*

IV. Id

IV.

Vt id malũ ſtatis periodis recurrat.

Id malum ſtatis periodis recurrit, cum videlicet recens quædam deſtillatio in pulmonum arterias veteri affectu iam impeditas irruit. Omnes enim vere aſthmatici atq; orthopnoici ſereno cœlo & in quiete & ieiuni facilius ſpirare ſolent: at quoties cauſa & materia intus condita frigido humidove cœlo, aut etiam multa crapula humeſcens & quaſi tumens diffunditur, noua dyſpnœæ quaſi acceſſione conflictantur. *Ex Paul. Fernel. Altom. Fuchſ Holl. & aliis.*

DISTINCTIO II.

Qua continentur prognoſtici canones.

CANON I.

Vt aſthma & orthopnœa affectiones ſint periculoſiſſima. Dyſpnœa vero ſecurior.

ASthma & orthopnœa longe periculoſiſſima mala ſunt, adeoq; interim acuta vt ægros prompte ſtrangulent, ob vehementiſſimas acceſſiones quæ contingunt, cũ multa deſtillatio repente in pulmones iamdiu infarctos atque coarctatos magno impetu irruit. At dyſpnœa longe mitius malum eſt. *Ex Celſo, Fernel. Altomar. & aliis.*

II.

Vt aſthma valde ſenibus ſuperueniens incurabile.

Aſthma vt & graue quodlibet malum ex frigidis humoribus ortum, ſi valde ſenibus ſuperueniat, eos comitatur ad mortem. *Galen. in aphor. 40. l. 2.*

III.

Vt gibboſi ex aſthmate aut tuſſi ante pubertatem moriantur.

Οἱ γόῤῥοι γίνονται ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς πρὸ τῆς ἥβης, ἀποθνήσκουσι. Qui gibbi ex aſthmate fiunt aut tuſſi, ante pubertatem moriuntur. *Hipp. aph. 46. lib. 6.* Cum enim thorax in his imminuatur aut ſaltem deinceps non augeatur, pulmones autem & cor per ætatem increſcãt, tanta anguſtia premuntur ea quæ reſpirationi obſeruiunt inſtrumenta, vt neceſſe ſit ex difficultate ſpiritus, eos breui tempore interire. Omnibus ſiquidem commune eſt qui ſponte gibbi factæ ſunt, hoc eſt quibus ſine ictu vel caſu ſpina paſſa eſt, propter dura tubercula & concoqui difficilia tales fieri. *Ex Galen.*

DISTIN-

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

DVo præcipui ſunt curationis ſcopi, vnus vt deſtillatio à pulmonibus arceatur, alter vt iamdiu infarcti pulmones expediantur. Ad arcendam deſtillationē inſtituenda victus ratio tenuis & exiccans, purgatio non ſemel tantum frequenter præſcribenda, validi clyſteres ſæpe inliciendi, cucurbitulæ paulo ſupra renes affigendæ, errhina & ſternutatoria naribus indenda, ac ſi neceſſitas vrgeat cantharides occipitio, & cauteria commiſſuræ coronali admouenda, quotidie frictiones capiti ex ſacculis exiccantibus, diſcutientibus & roborantibus, ac ſuffumigationes adhibendæ. Ad infarctos vero pulmones liberandos craſſæ lentæque materiæ expectoratio modis omnibus procuranda ſyrupis, iulepis, apozematis, eclegmatis, conditis, electuariis & aliis id genus remediis extenuantibus, abſtergentibus, expurgantibus, emollientibus, lenientibus, ſputum promouentibus, diſcutientibus ac corroborantibus frequenter vſurpatis. *Frambeſ.*

Quot curationis ſcopi propoponantur.

Quibus remediis perficiatur ſcopus.

1.

2.

II.

Phlebotomia in aſthmate concedi poteſt ætatibus mediis, ſi nihil eſt in ſcopis vniuerſalibus mittendi ſanguinis quod repugnet, ſi vehemens malum eſt, ſi ſuppreſſi menſes aut hæmorrhoides, ſi febris adſit, vel futuræ inflammationis metus ſit, alioqui parcendum venæ. *Ex Hollerio & Riolano.*

Vbi in aſthmate phlebotomia locus.

III.

Pharmaca hic eligenda quæ citra vehementem calfactionem extenuent, incidant atque abſtergant, admixtamque habeant humiditatem quandam. Siquidem ab immodico calore veluti etiam frigore craſſi ac tenaces humores magis craſſeſcunt, coguntur contrahunturque, ita vt ſubinde difficulter abſtergi & auelli poſſint. Nec etiam facile per ſputum reiicitur ob craſſitudinem id quod abſterſum eſt, niſi humiditate quadam diluatur. Nec in hoc affectu chronico iiſdem continenter vtendum, quoniam quibus remediis natura aſſueſcit, ea tandem contemnit, quod ab aſſuetis paſſio non fiat. *Ex Galen. Altom. Fuchſ. Sylu. &c.*

Qua pharmaca hic eligenda.

IIII.

Quibus cathartici hic vtēdū. *Quando ijs abſtinendum.*

Inter cathartica medicamenta, catapotia in hoc malo efficaciora, vt quæ longa in ventriculo mora, à remotis partibus peccantem materiam felicius attrahunt. Sæpe autem ob morbi longitudinem repetenda purgatio. Verum à purgantibus medicamentis omnino abſtinendum tempore paroxyſmi, dum velut in pulmone feruet, & exundat ſurſum materia. Periculum enim eſt ne tunc materia vi medicamenti agitata in pulmones largius ruat, penituſque ſuffocet *Ex Sylu. Bruel.*

V.

Vt hic ab apophlegmatiſmis cauendū.

Apophlegmatiſmorum in aſthmate parum tutus eſt vſus, quod pituitam deducant in fauces, à quibus potius reuellenda. *Fernel.*

VI.

Quando liberalior potus hic vitandus, & quando cōcedendus.

Potius largior deſtillationis materiam auget, & ſpirandi difficultatem, quia ventriculo diſtenſo diaphragma premit: confert tamen ad materiam in thorace conceptam vbi iam inciſa abſterſaque eſt diluendam, quo facilius expectoretur. Itaque initio cum catarrhi materiam abſumere conſilium eſt, exiguus potus eſt exhibendus: vbi vero obſtructionis materiam educere propoſitum eſt, liberalior eſt concedendus: quia humectatione multa opus eſt, quo facile efferatur per tuſſim id quod in bronchiis continetur. *Ex Gal. Altom. Fuchſ. Fernel. Holler.*

CONSVLTATIO

De Aſthmate.

c.1.2.3.& 4.d.1.t.3. l.2.

QVi proponitur affectus, verum Aſthma eſt, ſtatis temporibus recurrens. Nam laborans certis interuallis, cum anhelatione, veluti citatiore curſu fatigatus crebro ſpirare citra febrem vllam percipitur. Id autem duabus è cauſis conſiſtit, vna eſt pulmonum pertinax obſtructio, ſenſim ex pituita influente contracta, quæ eouſque iam obduruit, vt pars eius maxima caſei duriuſculi conſiſtentiam obtineat: altera cauſa eſt deſtillatio è cerebro quibuſdam circuitibus in pulmones affatim irruens, à qua anguſtiores iam pulmones maxima ex parte obſtruuntur. Sub hoc enim affectu iam diu pulmonū arteriæ quadam

tenus

tenus obstructæ sunt crassa atque lenta pituita, qua & ipsa pulmonum substantia infarcta aliquantulum videtur. Quoties autem noua è capite destillatio eodem incumbit, ea geminat obstructionem, impletque arterias, spiritum intercipit, ac magnam parit anhelitus difficultatem, verique asthmatis accessionem, quæ eousque persistit dum recens illapsa fluxio, aut dissipata sit, aut concocta excretione reiecta. Quod ad *prognosim* spectat, id malum profecto longe periculosissi num. Minatur enim repentinam suffocationem, præparoxysmorum vehementia imminentem: Necnon & curatu difficillimum, quia valde inueteratum vitium est, & iamdiu ex frigido crasso ac viscido humore, in homine iam prouectæ ætatis contractum. Quo fit vt non nisi longo temporis spatio vlla possit sperari perfecta sanitas. Duo autem præcipui sunt curationis scopi, vnus vt destillatio à pulmonibus arceatur, alter vt iamdiu infarcti pulmones expediuntur. Primum vt assequamur, demenda est imprimis destillationis materia, & enitendum vt deinceps quam pauciſſima gignatur. Id autem fiet, si victus obseruetur tenuis seu parcus & siccans, cibusq; bis die sumatur, non è sorbitionibus, iusculis cæteriſque liquidis, sed è solidis ac siccis, ac fere semper è carnibus assis, iisque boni succi & concocti facilibus, abstineatque à fructibus præterquam ab vuis passis, ficubus, prunis & amygdalis: potus sit vinum album, aut rubrum, tenuet nec generosum nimis, nec vaporosum, satisque aqua puriſſima dilutum, ne caput vapore tentet vel impleat. Nec vnquam ad satietatem edat, quam parciſſime bibat, ac sæpe sitim toleret, vt hac viuendi ratione exhauriatur humor omnis superuacuus, & corpus vniuersum gracilescat, ipsumque caput quod mali fons est ficcescat. Adhæc exercitationem subeat mediocrem, præsertim mane & sub cœnam. Somnumque vitet pomeridianum, ac nocturnum iusto longiorem, necnon & cœlum humidum ac frigidum. Et quoniam vna victus ratio licet exquisita vix satis potest iamdiu affecti corporis omnem impuritatem eximere, in eumdem scopum purgatio non semel tantum, sed frequenter quoque adhibenda. Itaque præmissa humorum ad euacuationem præparatione, tertio aut quarto die qui suspectam accessionem præcedit, purgandam sæpius *pilulis cocciis & de agarico*, interdum potione ex *diluto agarici*, *& rhei*, *ac diaphœnico*, admixto syrupo de hyssopo, vel alio generis eiusdem medicamento satis valido, quod possit è cerebro aliisque partibus

c. 1. d. 1 t. 3. l. 2.

c. 1. d. 3. t. 3. l. 2.

influxurum humorem vniuersum vacuare. Tum excrementitia cerebri pituita quotidie mane per nares deriuanda, *errhino ex succo salu. betonic. maioran. radici, reos, vino albo & hydromelite parato.* Interdum sternutamenta mouenda, vt eorum quæ in fauces & in pulmones influere consueuerunt reuulsio fiat in nares, per palatum autem apophlegmatismis deriuare tutum nō est, quod ea via nimis propinqua sit faucibus, per quas fluxio fit in pulmones. Sed auertenda *insuper* videtur à capite materia validis clysteribus frequenter iectis, necnon & cucurbitulis, ac si necessitas vrgeat, pyroticis etiam admotis. *c.5.d.3.t.3.* *3.l.1.* Præterea detonsum vel derasum caput quotidie mane sacculis *ex milio, sale, seminibus anisi, fœnic. cumin. baccis lauri, in sartagine torrefactis.* fricandum, ad frigida eius excrementa exsiccanda ac dissipanda, ipsumque cerebrum corroborandum, ne post hac tam multa superuacua gignat. Poterit & in eum finem suffiri caput odoribus calidis, siccis & corroborantibus, vt *nigella Romana, styrace calamita, assa odorata, succino & rosis rubris.* proderit & theriacæ vel mitridatij aliquid interim exhibere, longe ante cibum. Hæc igitur præcipua remedia sunt, quibus cerebro mandanti tanquam fonti succurritur. Vt autem altera mali causa quæ pulmonibus infixa est submoueatur, curatioq; ad posteriorem scopū dirigatur, crassa glutinosaq; pituita pulmonum bronchiis, totiq; substantiæ infarcta, incidenda, abstergenda, diluenda, riteq; ad euacuationem præparata omnibus modis expectoranda, per aluum expurganda, per sputum educenda, per poros discutienda, parsq; laborans simul corroboranda, ne tam facilis sit in consuetum malum relapsus. Ad id standum, oxymelite frequenter vtendum simplici, composito ac maxime scyllitico, syrupis *de glycyrrhiza, de marrubio, de hyssopo, de tussilagine, aliisque bechicis*, cum duplo aquarum hyssopi, vel fœniculi, vel decocti pectoralis. Apozema item præscribendum, ex *decocto radic. enulæ campanæ & fœnicul. polypodii querni, hyssop. thym. satureiæ, tussilag. seminum cartham. anis. alth. passul. mund. glycyrrh. & syrupis thoracicis* commemoratis constans pro pluribus dosibus. Ex eodem apozemate, additis *sennæ foliculis, agarico trochiscato, gingibere, ac iride Florentina* comparandus est syrupus catharticus, quo per interualla vtatur ad ℥ ij. cum aqua hordei. Electuaria insuper ex vsu erunt *diaireos, diatragacanthum, diapenidion, saccharum candum, zingiber conditum, conserua enulæ campanæ, adianti, ireos, pilulæ hypoglottides*, eclegma ex hisce omnibus,

omnibus, *è pino, è scylla, è pulmone vulpis* confectum, & alia id genus quæ occulta nedum manifesta qualitate pulmones iuuant, & sputum promouent. Vbi longo horum remediorum vsu rudiorem mali partem æger exemerit, vt reliqua radix penitus euellatur, & quicquid superuacanei humoris supereſt per sudores exhauriatur, ac discutiatur, vtilissimum fuerit diætam ex palmæ sanctæ decocto imperare, cui admista sint, quæ tum capitis tum pulmonibus insita proprietate opitulantur medicamenta. Vinum tandem conficiendum, ex *vini albi optimi & hydromelitis* perfecte cocti *an.* ℔ *j.* in quibus *rad. enulæ campanæ & polypodij* querni minutim concisarum *an.* ℥ *ii.* per 24. horas infusæ fuerint, quod mane tribus horis ante cibum *ad* ℥ *iiii. vel v.* per aliquot dies datũ, discutiendis materiæ reliquiis, simulque viribus corroborandis mirifice proderit. Extrinsecus etiam pectus illinendum vnguento *ex oleis liliorum, amygdalarum dulcium, anethino, chamæmel. rutaceo, butyro recenti, mucagine fœnigræc. alth. croco, & radice iridis confecto*, necnon & linteis asperis molliuscule fricandum, vt apertis poris aliquid materiæ exhalet, partique affectæ robur addatur. Si quæ sit sanandi ac præcauendi asthmatis spes, in hisce præsidiis tota videtur posita.

Hæc consulebat Frambesarius Plumberiæ, anno 1592. cum D. Pasquerio, medico Regio, pro nobili Germano.

TITVLVS III.

De Peripneumonia.

Distinctio I. De Peripneumoniæ diagnosi.

CANON I.

Περιπνευμονία ἐστὶ τοῦ πνεύμονος φλεγμονὴ, μετὰ πυρετοῦ ὀξέος, καὶ δυσπνοίας. Peripneumonia est inflammatio pulmonis, cum febre acuta & spirandi difficultate. *Gal. cap. 1. lib. 2. de cur. rat. ad Glauc. & lib. defin. med.* *Quid peripneumonia*

II.

Peripneumonia vel primum & per se oritur, nullo præcedente morbo, vel aliis succedit affectibus, vt anginæ, pleuritidi, asthmati, catarrho. *Ex Gorræo, Fernel. Fuchs. &c.* *Vt peripneumonia primaria vel symptomatica sit.*

III.

Peripneumonia quæ non alium morbum subsequitur, sed ex sese primam *Vt peripneumonia*

primaria raro gignatur. primam duxit originem, fit ex tenui bilioſoque ſanguine è dextro cordis ſinu per venam arterialem in pulmones violentius excuſſo, ibique putreſcente: hęc aũt vera exquiſitaq; ſed rara admodum peripneumonia eſt. Frequentior quæ anginæ, quæque pleuritidi ſuccedit, dum è faucibus è latere humor repente fertur in pulmones: vtraq; ad primariam proxime accedit. Omnium frequentiſſima, quæ ab acri tenuique deſtillatione contrahitur, è cerebro confertim in pulmones illapſa, eoque præter naturam ardore incenſa vt febrem inferat cum ſpirandi difficultate ac tuſſi, ſine cruenta tamen expuitione. Sed hæc profecto ab exquiſita plurimum tum cauſatum ſymptomatum magnitudine diſſidet. *Ex Fernel. &c.*

Vt ſymptomatica frequentius tingat.

Quæ omniũ frequentiſſima.

I V.

Quibus notis peripneumonia dignoſcatur. Peripneumoniam febris comitatur magis vel minus acuta, pro diuerſi humoris inflammationem committentis ratione. Magna ſpiritus difficultas vrget, quia pulmo inflammatus cordi incumbens ſuffocationem infert. Tuſſis moleſta eſt: grauitas diſtenſioque pectoris citra dolorem, niſi membranæ pariter quæ cum thorace ſecundum eius longitudinem connexæ ſunt, inflammatæ fuerint. Malæ præter modum rubent, oculi intumeſcunt. Atque ſi vera phlegmone ſit, ſputum cruentum citatur, niſi admodum crudus ſit morbus, ac pectoris anguſtia grauitaſque magis premit, ſed tamen febris acuta nõ admodum vrit. Si vero inflammatio eryſipelatodes fuerit, tuſſis flauum ſputum trahit non multo permiſtum cruore, ac pectoris anguſtia, grauitatiſque ſenſus minor, at febris flagrantiore incendio extorret, calidior expiratio percipitur, maiórque ineſt aëris frigidi concupiſcentia. Si œdematodes exiſtat, ſpumoſum candidumque ſputum apparet, febriſque multo remiſſior, ac nonnihil habet comatis. *Ex Gal. Aretæo, Fernel. Altom. Fuchſ. Gorræo, &c.*

Quibus ſignũ dignoſcatur an ſit pura phlegmone.

an eryſipelatodes.

an œdematodes.

DISTINCTIO II.

De Peripneumoniæ prognoſi.

CANON I.

Vt peripneumonia pertimeſcenda. ID genus morbi plus periculi quam doloris habet, *Celſus.*

II.

Iudicatur morbus hic, breuiſſimus quidem in diebus ſeptem aut quatuor-

quatuordecim: longissimus quidem in duobus de vigínti. Pauci autem hunc morbũ effugiunt: verum postquam vigesimum diem transgressus fuerit peripneumonicus, non amplius moritur, sed pus expuit, & pectus dolet, & tussit. Nam ex hoc morbo fiunt etiam suppurati, si in iudicatoriis diebus pulmo non fuerit purgatus, *Hipp. 2. & lib. de morb. ac lib. de affect.* *Quo tempore iudicetur.*

III.

Si screatio flaua, non multo permista sanguine inter initia excernatur, salutaris admodum pulmonis inflammatio est, Si septimo die, pigriusve minus secura est. *Hippocr. 2. progn.* *Quæ peripneumonia secura.*

IV.

Quæ peripneumonia cum virium imbecillitate accidit, pernicioſa est. Vt enim pleuriticis & synanchicis, ita & peripneumonicis vna salus, ipsum virium robur. *Ex Gal. com. in 3. prorrhet. & lib. 10. meth. med.* *Quæ periculosa.*

V.

Si mortale malum fuerit, vigiliæ amplius aderunt, aut somni breues comatodes, extremitates frigidæ, vngues liuidi incuruantur: quarta aut ad summum septima die hi moriuntur. Verum si ad salutem permutetur morbus, sanguinis eruptio ex naribus abundanter sequitur, aut alui exturbatio, multis exeuntibus bilioſis & spumoſis humoribus: aliquando autem inflammatione in pus commutata, per ventrem aut vrinam pus excernitur, statimq; ab omni molestia liberantur. At si in pulmonem aceruatim irruperit, aut suffocat, aut cum grauibus symptomatis in tabem permutatur. *Ex Aretæo, Aetio, Altomar. Fuchs.* *Signa peripneumonia lethalia.* *Salutaria.*

VI.

Ἐπὶ φρενίτιδι φρενίτις, κακόν. A peripneumonia phrenitis, malum. *Hipp. aph. 12. l. 7.* Quia si peripneumoniæ delirium succedat, vaporibus à pulmone ad caput delatis malum est duplicatum. *Vt peripneumonia delirio superuenire malum.*

VII.

Peripneumonia pleuritidi succedens, securior ea est quæ ab initio fit. *Ex Hipp. in coacis prænot.* Licet pleuritidi peripneumoniam superuenire malum sit, eodem authore, aph. 11. l. 7. In vehementi enim pleuritide si sine causa lateris dolor soluitur repente, aut plurimum mitescit, plerumque in pulmones transitus fit, ac tum increscente tussi, ortaque *Vt peripneumonia symptomatica securior primaria, Licet illa periculo nõ vacet.*

ortaque ſuffocatione maiore peripneumonia naſcitur cum ſputo etiam cruento, à qua pauci admodum liberantur. *Fernelius.*

DISTINCTIO III.

De Peripneumoniæ therapia.

CANON I.

Quæ peripneumoniæ curatio à pleuritidis curatione differat.

PEripneumonia remediis prope iiſdem quibus pleuritis curatur. Magis tamen in peripneumonia quam in pleuritide, extenuatoria victus ratione opus eſt, medicamentiſque maiori extenuandi facultate præditis: potuque exiguo vtendum, quia humiditas pulmoni noxia eſt. *Ex Aëtio, Altomar. Fuchſ. Sylu. apud Gatin.*

II.

Vt ſanguis in peripneumonia mittẽdus, quãdo, & ex qua vena.

In peripneumonia ex quacumque cauſa, ac quouis modo genita fuerit, ſi vires ferant, nec quid aliud obſtiterit, ſecanda ſtatim vena in gibbero interna, ac primum quidem modice ex altero brachio detrahendus ſanguis eſt, deinde ex reliquo, ſi opus ſit, *Ex Aëtio, Paul. Celſ. Altomar. Fuchſ.*

III.

Si quid phlebotomiam prohibeat, quid agendum. Quando purgatio molienda, & quibus pharmacis.

Si quid ſanguinis miſſionem prohibuerit, cucurbitulas thoraci, lateribuſque affigere oportet, iiſque tantum ſanguinis eliciendum, quantum vires patiuntur: aut acri clyſtere aluum eluere conuenit. *Ex Paul. Altom. Fuchſ.* At ſi neque iis morbus cedat, purgante medicamento ſed blando aluum ſubducere per initia licebit, eoque magis quo & febris obtuſior fuerit, & dolor leuior: oportet enim aluum neque valde ſuppreſſam eſſe, ne febris acutior euadat, neque valde egerere, ne ſputi per ſuperiora eductio prohibeatur, & ægri vires frangantur. *Altom. ex Hipp. 3. de morb.*

IIII.

Ad quem ſcopum præcipua peripneumoniæ curatio dirigi debeat.

In peripneumonia curandum, vt per crebram ſpuitionem, prompte & celerrime pulmones expurgentur, necnon & topica quæ digerendi ac diſcutiendi vim habent, extrinſecus adhibeantur, *Ex Paul. Aetio. Altomar. Fuchſ. & alijs.*

CONSVL-

CONSVLTATIO

De Peripneumonia.

MOrbus qui laborantem exercet, Peripneumonia est, non exquisita quidem atque ex influente sanguine veram pulmonum phlegmonem excitante orta, sed contracta ex destillatione acri & tenui, è cerebro confertim in pulmones illapsa, ibique excandescente & putrescente, æstum acutam q; febrem inferente, & magnam spirandi difficultatem & tussim sine cruenta tamen expuitione, & pectoris grauitatem ac distensionem sine vehementi dolore, genarum ruborem, oculorum tumorem, & alia id genus symptomata, quæ peripneumoniæ indubitata signa sunt. Quod ad *prognosim* attinet, id genus morbi plus periculi, quam doloris habet, authore Celso. Nam præterquam quod grauibus comitatur symptomatis, exitiosos minatur affectus insuper imminentes, nisi quam primũ leuetur æger. Metus quippe est, ne processu temporis humore caloris vi suppurato empyema, ac puris, tandem putredine labefactata, corrupta atque exesa pulmonum substantia tabes consequatur. Quocirca aggredienda statim curatio, quæ morbi materiam extirpet, antequam ad suppurationem perducatur. Secanda igitur protinus vena in gibbero interna, primum dextri, tum sinistri brachij, cum vires præsertim robustæ sint, nihilque obstare videatur. Deinde ad purgandam pituitam è cerebro in pulmones etiamnum decumbentem, exhibendum catharticum, sed blandum. Expedit enim, authore Hippocrate, aluum hic neque valde suppressam esse, ne febris acutior euadat, neque nimium egerere, ne sputi per superiora eduction prohibeatur, ægrique vires prosternantur, in quarum robore salutis spes omnis posita est. Interim vero anacatharsis acceleranda, sputum promouentibus præsidiis, vt *syrupis iuiubino, adiantino, è glycyrrhiza, ex hyssopo, è prasio, eclegmatis è pino, è scylla, è pulmone vulpis, pilulis becchicis*, mulsa per se, *& cum nucleis pineis*, pro potu data, *decocto pectorali, decocto hyssop. marrub. origan. rad. iridis, helenij in aqua mulsa*, sorbitione ex ptisanæ cremore cum melle, origano aut hyssopo, pro victu exhibita. In hoc enim morbo medicamentis extenuandi facultate maiori præditis, magis extenuatoriis cibis opus est, quam in pleuritide. Nec prætermittenda topica sunt quæ digerendi ac discutiendi vim obtinent, vt linimenta ex *oleo amygdalino, anethino,*

c.3 & 4. d.1.t.4.l.2.

c.1.d.2.t.4 l.2.

c.2. d.3. t.4.l.2.

c.3 d.3. t.4.l.2.

c.4.d.3. t.4.l.2.

c.1.d.3.t. 4.l.2.

chamæmel. irino, rutaceo, butyro recenti ſalis experto, œſypo liquida ac gallinarum & anſerum pinguedine comparata, pectoris regioni illinenda: Cerata ex *oleo rutaceo, vnguento nardino, butyro recenti, medulla ceruina, œſypo liquida*, adiectis *iride, hyſſopo, marrubio* tenuiſſime tritis *terebinthina*, & cera exceptis confecta, toti thoraci & lateribus imponenda, Aëtij & Pauli conſilio: vel cataplaſmata ex *rad. alth. & malua* contuſis, cremore *ſem. lin. alth. & fœnigr puluere iridis & hyſſopi, butyro, œſypo liquida, oleo chamæ. rutaceo & hydromelite* compoſita, quibus pectus & latera contegantur. Hæc de propoſito affectu ſummatim dicta ſint.

Conſultabat Frambeſarius cum D. Meſtreo, Medico Regio, pro milite in obſidione Lauduni laborante, anno 1594.

TITVLVS IV.

De Hæmoptyſi.

Diſtinctio I. De Hæmoptyſeos diagnoſi.

CANON I.

Quid Hæmoptoes ſeu Hæmoptoſis ſignificet.

AΙμοπτόης vel rectius αἱμόπτυσις, quaſi αἵματος πτύσις, cruentam ſpuitionem, vel ſanguinis per os reiectationem Latinis ſignificat. *Fuchſ.* Vnde αἱμοπτοικὸς ἢ αἱμοπτυσμὸν, atque etiam ἀναφορικοὶ quaſi ἄνω φέροντες ſurſum ferentes Græcis dicuntur, qui ex inferioribus partibus per os ſanguinem reiiciunt. *Ex Hollerio.*

II.

Quomodo dignoſcatur ex qua parte ſanguis proceſſerit.

Qui expuitur ſanguis, ſi ex gula aut è ventriculo eſt, vomitione: ſi è gingiuis, lingua & palato, expuitione ſimplici: ſi è faucibus & gurgulione, ſcreatu: ſi ex gutture tuſſicula, ſi ex pulmone & thorace, tuſſi reiicitur. Et qui tuſſi ſi tenuis, floridus ac ſpumoſus, atque ſine ſenſu doloris effertur, ex pulmone eſt: ſin vero craſſus, grumoſus ac nigricans, ſimulque pars quædam thoracis dolitet, è thorace. Per omnes autem expuitiones cruentas, etiam atque etiam animaduertendum, num ſanguis nuper fluxerit è naribus: illinc ſiquidem ſæpe in fauces relabitur, interdum in pulmones aut in ventriculum, ſed qui poſtea grumoſus euadat, atque concreſcat. *Fern. ex Galeno.*

III. Si

III.

Si ex æsophago cruenta fiat eductio, sanguis admodum exiguus vomitu erumpit, quia graciles eius venæ sunt, ac in deglutiendo mordacitas percipitur. Si vero ex ventriculo, nausea cruentum vomitum præcedit, deiectio sanguinis concreti comitatur. Ictus, casus, ero dentium sumptio antecessit. Dolor in parte erosa vel rupta sentitur. At si ex hepate vel splene in ventrem delatus fuerit qui euomitur sanguis, in alterutro hypochondrio aderit tumor ac dolor, ipseque sanguis grumosus ac niger erit, præsertim si à liene. Si ex aspera arteria, sanguis paucus, ruber & calidus, aliquando pure permistus, cum tussi leui effertur, ac dolor iuxta aliquam arteriæ partem percipitur. Si ex pulmone sanguis multus, tenuis, floridus, feruens ac spumans confertim citra dolorem cum tussi vehementi reiicitur. Si ex thorace per pulmonem atq; asperam arteriam facta translatione, vt in pleuritide, sanguis non multus, nec tenuis, nec ruber, sed paucus, crassior, nigricans, grumosus ac minus calens, cum dolore & tussi adhuc vehementiori educitur, quia primum ad pulmonem trahitur, & inde per asperam arteriam excluditur. Sic ex faucibus & gurgulione, sanguis omnino paucus per ἀνάλειμψιν excluditur, apparetq; fere illic solutio continui, lingua per specillum depressa. Quandoque tamen à capite in fauces delabitur, non adeo paucus, niger, læuis, linguam & palatum commaculans, titillans, ad nares grumos relinquens, ex ictu, ebrietate, calore, frigore vel capitis plenitudine, conspicua ex eius grauitate & dolore, aurium sonitu, ac venis in fronte emicantibus. Qui si parte aliqua in arteriam defluat, tusses irritat leues, facileq; gargarismis adstringentibus supprimitur. Ex gingiuis autem, lingua ex palato paucus admodum sanguis, simpliciter expuitur. *Ex Gal. & recentioribus.*

Quibus notis dignoscatur an sanguis exeat ex œsophago.

Ex ventriculo.

Ex iecore & liene.

Ex aspera arteria.

Ex pulmone.

Ex thorace.

ex faucibus.

à capite.

Ex gingiuis lingua & palato.

IV.

Hæmoptysis accidit rupta, aperta vel exesa vena, arteriave partis vnde manat cruor. Si ex valorum ruptura fiat, multus sanguis affatim erumpit: idque prouenit nonnunquam à causa externa & manifesta, nempe delapsu ex alto, plaga extrinsecus illata, percussione vehementi, saltu, aut si grauius aliquod corpus thoraci inciderit, clamore denique magno, aut frigore immodico: nonnunquam à causa interna & occulta, vtpote sanguinis plenitudine ex pleniore victus

Vt dignoscatur an hæmoptosis fiat per rexim.

ratione, suppressis mensibus, aut solenni aliqua vacuatione orta, quæ per se, vel vna cum flatuoso spiritu, in pulmonibus vel aliis partibus vasa distendit, ac tandem disrumpit. Quæ etiam ora venarum aperit & recludit, vbi victus calidior & humidior, balnei immoderati vsus, æstas, cœlique constitutio feruidior, ac calidioris loci habitatio præcesserunt. Si ex venarum erosione contingat, non confertim, sed paulatim, & per modica interualla sanguis reiicitur, aliquando caruncula & ramenta vasorum vna excernuntur: idque fit ab humore acri, quem vel caput demittit, vel ratio vitæ, aliquando etiam inedia collegit. *Ex Galeno & recentioribus.*

Per anastomosim.

Per diabrosim.

V.

Quibus hæmoptysis contingat.

Τοῖσι νεανίσκοισιν αἵματος πτύσιες Iuuenibus sanguinis spuitiones. *Hipp. aph. 29. l. 3.* Iuuenibus autem spuitiones sanguinis accidunt, non ratione ætatis, sed quia aut percutiuntur, aut contunduntur, aut saliunt, aut clamant vehementius, aut refrigerantur & humi cubant, aut replentur. *Galenus.*

DISTINCTIO II.

De Hæmoptyseos prognosi.

CANON I.

Vt omnis eruptio sanguinis per os perniciosa.

Αἷμα ἄνωθεν μὴ ὁκοῖον αὖ ἦ κακόν. Sanguinem supra ferri, qualiscumque sit, malum. *Hippoc. aph. 25. l. 4.* Eum autem sanguinem supra ferri intelligit, qui per os excernitur, vt Galenus exponit. Terrifica quippe sanguinis per os spontanea eruptio, quia hæc pars huic operi non est dicata. *Duretus.*

nisi critica fuerit.

& in pleuritide.

Minus periculosa est critica sanguinis per os excretio acute febricitantibus. Anagoge in pleuritide laudabilis est, cum naturæ vi, & meatuum libertate materia noxia expellitur. *Ex eodem.*

II.

Cur hæmoptysis periculosissima.

Hæmoptysis non modo inter alias sanguinis excretiones, verum etiam inter alios præter naturam affectus periculosior existit. Nam pessimorum longorumque morborum magna ex parte causa redditur. *Alex. c. 1. l. 7.*

III.

Vt sanguis

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνδρα πυρετὸς, σωτήριον, ἢν δὲ ξιὼ πυρετῷ, κακόν.

Quicum-

Quicumque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi vero cum febre malum. *Hipp. aph.* 37. *l.* 7. Illis enim qui febre vacant, liquet nullam adeſſe inflammationem in loco vnde emittitur ſanguis. Quare vel alicuius vaſis ore adaperto fit ſanguinis vomitus, vel cum exulceratione quidem, ſed ſine inflammatione. Quæ autem abſque inflammatione ſunt vlcera, facile curantur adſtrigentibus. Quæcumque vero cum inflammatione ſunt ac febribus, tantum abeſt vt curationem admittant, quin potius maiora & maligniora fiant. *Galenus.*

Vtrum vomitio cum febre periculoſior, quam quæ ſine febre.

IIII.

Si cum tuſſi ex pulmone emittatur ſanguis, etſi quam maxime abſque febre fuerit, periculum imminet, ne curari poſſit, & ſi durarit, omnino poſtea febres ſuccedent. *Gal. in com aph.* 37. *l.* 7.

Vt ſanguinis è pulmone reiectatio periculoſa.

V.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεσάσῃ τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις. Mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio. *Hipp. aph.* 32. *l.* 5. Non abſque ratione: fiet enim reuulſio ſimul atque euacuatio ſanguinis ad ſuperiora tendentis. *Galenus.*

Vt mulieri ſanguinem vomenti menſes erũpere bonũ.

V I.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει, πύου πτύσις. κακόν. A ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum. *Hipp. aph.* 15. *l.* 7. Nam purulentum ſputum non omne ſanguinis ſputum ſequitur, ſed quod malignum exiſtit: tale autem eſt omnino ex pulmone. *Galenus.* Adde quod puris ſputum à ſanguinis ſputo, vlceris curatu haud facilis ex vulnere facti indicium ſit.

Vt hæmoptyſis puris ſputum ſuperuenire, malum.

VII.

Sanguinis ſpuitio ſi ex eroſione ortum ducat, incurabilis eſt. *Gal. lib* 5. *meth.*

Vt hæmoptyſis ab eroſione incurabilis.

VIII

Si ex thorace ſanguis profluat, minoris eſt periculi, quam ſi ex pulmone. *Gal. lib.* 4. *de loc. aff.*

Vt ſanguinis ex thorace eductio minus periculoſa, quam ex pulmone.

IX.

Si ſanguis copioſe euacuatus fuerit, quemadmodum in his qui iugulantur, mortem infert præſentaneum. Si affectus remanet in tabem tranſire minatur. *Paulus.*

X.

Vt copiosa sanguinis euacuatio longe periculosissima.

Periculum est ex venæ magnæ ruptura vel apertura, ne sanguinis multitudine cor suffocetur, vel nimia profusione homo exanimetur. Aliquando enim tanta copia inde profunditur sanguis vt etiam pelves, magnaque vascula breui tempore impleta fuerint. *Ex Bruel.*

XI.

Quamobrẽ magna vena rexis vel anastomosis periculosa.

Qui sanguinis fluores tuti, qui periculosi, qui curatu faciles, qui difficiles.

Sanguis ex ore, gingiuis & faucibus profluens absque periculo est. Sanguinis fluor ex capite veniens, curatione facillimus est: ex stomacho vel ventre haud curabiles fluores approbamus: vlceratione facti difficiles curatione: ab iis qui è ruptione fuerint effecti iudicantur: omnium vero difficilis atque grauior curatione ex pulmone fluens sanguis accipitur. *Celsus.* Ob iuge spirationis officium. Vlcerati enim pulmones ratione continui motus consolidari non nisi difficulter possunt. Itaque è faucibus & tonsillis minus periculi: ab arteria plus: à pulmone plurimum. Inde enim suppuratio & tabes. *Holl.*

XII.

Vt sanguis in visceribus grumescens periculosus.

Si sanguis in visceribus grumescat, periculum portendit. Omnis enim sanguis grumosus venenosus. Vnde Themistius eporo sanguine taurino grumoso interiit, vt ait Aristoteles. *Duretus.*

XIII.

Vt hæmoptysi phthisis succedat.

Τοῦτο τὸ αἷματος πτύσιν, ἔπονται φθίσεις. Sputum sanguinis tabes consequitur. *Gal. com. in aph. 29. l. 3.*

DISTINCTIO III.

De Hæmoptyseos therapia.

CANON I.

Qua methodo hæmoptysens curatio instituenda.

IN curatione hæmoptyseos imprimis animaduertendum, num causa ruptionem aut apertionem efficiens desierit, vel adhuc maneat. Namque si desierit, primum sisse e sanguinem expedit, eo auerso atque aliorsum translato post vero perruptum vas aut reseratum sanare, eo conglutinato vel obstructo. Si autem permaneat adhuc efficiens causa, vtpote abundantia, ea quidem primo vacuanda erit: etenim manente ea, vas etiam plus rumpitur aut reseratur: ab hinc sanguis supprimen-

primendus, moxque vlcus ipsum vasis, vel eius apertio curanda. *Altomarius ex Gal. 5. meth. med.*

Sic etiam diligenter perpendendum an actis & ferina destillatio in pulmonem confluat, vnde fiat erosio; illa quippe primum sistenda esset: an pulmonis vitio & imbecillitate excrementum ibi colligitur: id enim imprimis esset expurgandum.

II.

Quoniam in sanguinis reiectatione primum periculum est, ne immoderata eius euacuatio fiat, laboranti iniungendum est vt nec vehementer respiret, nec sonum edat, & vt parum loquatur, & fere in totum sileat. *Montuus & Fuchs. ex veterum decretis.* *A quibus hic cauendum.*

III.

Ruptis vasis glutinantia quæ citra morsum siccant, apertis adstringentia, exesis sarcotica & boni succi alimenta conueniunt. *Montuus & Holl. ex veterum decr.* *Propria cuique haemoptysi sistenda remedia quæ.*

IIII.

Interdum stupefacientia pharmacis congruentibus adduntur, quod sistant sanguinem sua frigiditate, & somnum concilient, sicque tussim mitigent. *Montuus.* Sed meminisse oportet numquam vtendum esse narcoticis recens paratis, sed semestre spatium esse expectandum, aut eo plus. Nec statim his vtendum esse, sed tentatis prius leuioribus remediis, & vbi natura robusta est. *Hollerius.* *Vt narcoticis hic vtendum. quibus, & quando.*

V.

Si ab erosione, cruenta anagoge fiat, ad diuersionem angusto foramine vena secanda, purgandum, diuertendus catarrhus, caput & pulmones confirmandi. *Hollerius.* *Vt curanda haemoptysis si ab erosione fiat.*

VI.

Si ob rupturam vel apertionem fiat eductio, maior sanguinis quãtitas vel vnica vice, vel iteratis vicibus trahenda est, tum danda ea sunt quæ vim adstringendi habent. Si ob erosionem contingat, magis necessaria purgatio est, licet ad diuersionem cogamur etiam aliquid sanguinis detrahere. *Rondeletius.* *Si ob rupturam, vel apertionem vasorum.*

VII.

Adstringentia & refrigerantia nec vehementiora, nec ante vsum auertentium extrinsecus admouenda sunt ne sanguinem intro in pulmones propellant. *Ex Holler. Bruel. Sylu.* *Quæ adstringentia & refrigerantia ex vsu sint, & quando.*

VIII. In

VIII.

Cautio hic adhibenda. In multitudine humorum è thorace expurganda habeatur ratio, ne materia supprimatur, neve sanguis irritetur. Etenim suppresso sputo lenientia iterum veniunt vsurpanda. *Hollerius.*

IX.

Vbi oxymel & acetum officiant. Oxymel & acetum suspecta, si puer aut mollis æger, macilentus, neruoso genere imbecilliore, asperiore tussi, sputis crassioribus, aut liquidioribus, ægro debili & sene. *Hollerius.*

CONSVLTATIO

De Hæmoptysi.

c.2. & 3.d. 1.t.5.l.2. QVi expuitur sanguis, non ex ventriculo, non ex faucibus, non ex aspera arteria, non ex thorace, sed ex pulmonibus profunditur, quia nec vomitione, nec screatu, nec tussicula, sed tussi vehementi reiicitur sine dolore tenuis, floridus ac spumosus, non crassus, grumosus, *c 4.d.1.t.5. l.2.* ac nigricans. Atque hinc rupta, non exesa aut aperta vena educitur. Nec enim cruenta anagoge per venarum, diabrosim ex acribus contigit humoribus, siue à capite in pulmonem delabentibus, siue in ipso pulmone generatis. Nec per sanguinis copia venarum ora per anastomosim referante, sed perrexim à causa externa & manifesta, nempe delapsu ex alto, ac magna inde concussione, grauique contusione, & distẽsione accidit. Quod ad *prognosim* attinet, periculosissimus profecto *c.2.d.2.t.5. l.2.* hic effectus. Grauissimorum quippe morborum sæpe causa est, vt peripneumoniæ, si sanguis ex venæ ruptura in pulmonum substantiam effusus inflammetur: phthiseos, in putrescens pulmones tandem labefactet: atq; empyematis, si quando purulentus euadat. Periculũ est etiã *c. 12.d.2.t. 5.l.2.* ne cõcrescat in pulmone sanguis. Omnis e. sanguis grumosus venenosus. Vnde Themistius epoto sanguine taurino grumoso interiit, vt ait *c.10.d.2.t. 5.l.2.* Aristoteles: Neve copia sanguinis intus cohibiti cor præfocetur, vel si vberius foras erumpat, ne tandem nimia profusione homo exanimetur. Quamobrem summa diligentia mature illi opitulandum. In cura- *c.3.4. & 5 d.3.t.1.l 1. & c. 1. d. 3. t.5.l.2.* tione tres proponuntur scopi, primus vt qui per ruptum vas effluit sanguis auertatur, atque aliorsum transferatur: secundus vt soluta vasis continuitas vniatur: tertius vt symptomata corrigantur. Ad priorem *c. 6.d.3.t 5 l 2.* scopum consequendum sanguis ex interna brachij vena angusto vulnere,

nere modica quantitate bis aut ter per diem detrahendus. Iniicienda vincula coxis & brachiis ad articulos, & in eisdem locis adhibenda frictio. Cucurbitulæ hypochondriis, ilibus atque inguinibus affigendæ. Sanguisugæ etiam consilio Hollerij in pectore apponendæ sunt. Ad alterum curandi scopum, glutinantia adstringentiaque conferunt. Itaque victus initio quidem tenuis, sed incrassans & adstringens instituendus, qui & sanguinem ad fluxum reddat ineptiorem, & vlcus ipsum vniat. Qualis erit ptisanæ cremor cui inspersa sint malorum punicorum grana, lac coctum cum amylo, aut farina hordei, panis azymus, pisces glutinosi, vt anguilla, tinca animalium extremitates, aliæq; partes neruosæ, cartilaginosæ, pingues, caseus recens, non salsus (nam vetus calet) & alia id genus esculenta quæ sanguinem incrassant & vasorum diuisionem illitu suo obturunt. *Lentes* quoque, *lac acidum*, *milium*, *panicum*, *oryza*, quatenus siccant & adstringunt erunt idonea: necnon & quæ refrigerant, vt *lactuca*, *plantago*, *cucurbita*, *portulaca* etiam trita & ore retenta: Aqua ferrata, aut chalybata per se aut cum iulepo rosato data. Interim vini & Veneris abstinentia, leuis respiratio, silentium, quies tum animi tum corporis imperanda sunt. Medicamenta dein exhibenda, si resistet aluus, quæ adstringendo purgant, vt rhabarbarum in substantia, & myrobalani cum aqua plantaginis. Mox quæ vulnus glutinant & fluxum adstringunt, vt *zulapia ex syrupis rosarum siccarum, cydoniorum, myrtillorum, granatorum, ribes*, cum *aqua plantaginis*, *portulacæ*, *centinodiæ*, additis pulueribus *corn. cerui vsti, coralli albi vsti, lapidis hæmatitis, mastiches, boli Armenæ, terræ sigillat. sanguinis draconis, vel trochisc. de berberis, de spodio, de bolo, de carabe.* Eclegmata paulatim velut lambendo deglutienda ex *sacchari rosat. tragacant ana* ℥ j. *gummi Arabic. boli Armen. corn. cerui. balaustij ana* ʒ j. *cum syrupo violato.* Lupinares trochisci, incunte præsertim somno ore continendi, ex gummi tragacanth. & Arabici in *aqua rosarum dissoluti ana* ℥ j. *amyli* ʒ ij. *boli Armen terræ sigillat. ana* ℈ iiij. *mastich.* ʒ j. *cum syrupo myrtillorum, aut aqua plātaginis* formati. Opiata ex *conseruæ rosarum veteris* ℥ ij. *conseruæ symphyti* ℥ j. *diatragac. frigid.* ʒ j. *corall. rub. rasuræ ebor. corn. cerui vsti, lapidis hæmatitis ana* ℈ j. *boli. Armen. terræ sigillat. electri ana* ℈ ß *cum syrupo myrtino parata*, in horas danda ad crassioris fabæ magnitudinem. Extrinsecus autem thorax illinendus oleis quidem *rosarum*, *myrtillorum ac cydoniorum*, vinoque adstringente, sed

c. 3. d. 3. t. 5. l. 2.

c. 2. d. 3. t. 5. l. 2.

oleis chamamel. & amygdalarum dulcium admixtis, ne illa vehementius adstringendo sanguinem intro compellant, & sputum sanguinis redintegrent. Inter symptomata, sanguinis in pulmone concretio imprimis prohibenda, vel si quæ intus latet protinus dissoluenda & ad expuitionem paranda, exhibito ægrotanti *oxycrato tepido vel oxymelite simplici, composito, scyllitico ad ℥ ij. cum aqua oxalydis:* vel datis theriaces ℈ iij. *cum aqua scabiosæ:* vel *diacurcumæ ℥ ij.* vel *coaguli leporis* vel *cerui vel hœdi ʒ ß. cum aqua hyssopi:* vel *thymo* vel *serpyllo* vel *tymbra cum aceto.* Sitis sedanda, somnusque accersendus *syrupo violato, papauerino, semine papaueris albi, cortice radicum mandragoræ, Philonio Romano cum succo polygoni.* Vires si collabantur, instaurandæ iusculis carnium, expressis, diarhodo Abbatis, aromatico rosato. Hæc sunt quæ ad hunc hæmoptoicum curandum mihi videntur pertinere remedia.

Hæc consulebat Frambesarius Hedini, pro strenuo milite, 1592.

TITVLVS V.

De Phthisi.

Distinctio 1. de Phthiseos diagnosi.

CANON. I.

Quid tabes. Tabes quæ Græcis propriè φθίσις, & Athenien sibus φθόη dicitur, pulmonis est exulceratio, qua sensim corpus vniuersum liquescit. *Ex Fernel. &c.*

II.

Nota tabis incipientis. Tabe incipiente frequens tussis molesta est, qua cruentum aliquid sine sensu doloris extunditur: deinde sordidum quiddam & purulentum tussi editur, tum febricula leuis adoritur, cuius nulla fit intermissio, quæ tandem hectica facta mox à cibo aliarum more inualescit. Vlcere magis magisque serpente & sordescente pus excreatur quãdoque syncerum, quod aquæ iniectum minime alterius ritu innatat, sed in imum desendit, subsidetque. Ac nihilominus quoties vel labore, vel tussis impetu, vel excandescentia vlcus puris lentore obductum refricatur, cruenta excreatio redit. Confirmato ac iam inueterascente vitio, putris pulmonis portio interdum exit, & sputum carbonibus iniectum aut etiam per se graueolet, sæpe id etiam halitus contagione

Confirmata.

tagione imprudentes labefactat, vt plurimum alui profluuium superuenit, præ facultatis imbecillitate: capilli defluunt, idque alimenti inopia: toto corpore exarefacto & inualescente febre vngues in manibus curuantur, malæ liuescunt tetro vapore eo sublato, costarum extrema siccitate sursum conuelluntur, dum tandem corpus omne consumptum contabefiat, calorque natiuus exhausto pabulo intereat. *Ex Fernel. & reliquis auth.*

III.

Tabes causa duplex, vna quidem pulmonis vitiosa constitutio, altera humor exedens. Per vitiosam constitutionem intellige non intemperiem, sed mollem, tenellam ac corruptioni paratam pulmonum substantiam. Sic pleriq; ab ipso ortu & à parentibus latente pulmonũ vitio tenentur, quo tandem omnes contabescunt, etiamsi nulla aut certe minima destillatio è cerebro aut aliunde procumbat. Qui tabida stirpe sati sunt, quasi hæreditario iure omnes necessario tabe marcescunt: hocque malum sæpe in omnes eiusdem familiæ ordine grassari videtur. Et qui natura pectus angustum atque depressum obtinent, sublimesque scapulas, hi sunt in tabem procliuiores, horumque natura ad phthisim vergit. Non hinc certe quod pulmones anguſti sint (hoc enim duntaxat in asthma deduceret) sed quod ij fere languidi adeo sint & imbecilli, vt tempore sensimque flaccescant ac sponte corrumpantur. Causa tabis altera acris est & exedens è capite destillatio: aut humor acer è corde in pulmones eiectus, qualis maxime autumno cumulatur: aut à rupto, aperto aut exeso aliquo in pulmonibus vase sanguinis spuitio suppressa, vulnere nec conglutinato, nec ad cicatricem perducto: aut puris eruptio in empyis, pleuriticis & peripneumonicis cohibita. Hæ siquidem causæ valentissimos quosque pulmones sensim & sine sensu doloris exulcerant. *Ex Fernel, & aliis auth.*

Quotuplex tabis causa.

1. tabis causa.

2. tabis causa.

VI.

φθινώδης tabidus appellatur non modo qui iam phthisi correptus est, sed etiam qui ad phthisim natura procliuis est, vt qui tam angusto adstrictoque thorace est, vt à tergo operta scoptula alarum instar promineant. Vnde πτερυγώδης alatus etiam nuncupatur. Quique præterea caput habet imbecillum, & inde crebris est in pulmones destillationibus obnoxius. *Ex Hipp. Galen. Gorræo, Altomar. Holler.*

Quis tabidus dicatur.

DISTINCTIO II.

De Phthiſeos prognoſi.

CANON I.

Quomodo tabidi moriuntur.

Ἐπὶ πύῳ πύσει φθίσις καὶ ῥύσις· ἐπὶ δὲ τὸ πύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσιν. A puris ſputo tabes & fluxus: cum vero ſputum retinetur, moriuntur. *Hipp. aph. 16. l. 7.* Phtiſim nominat totius corporis cum parua febre extenuationem inſanabilia pulmonis vlcera conſequentem. Per fluxum aut intelligit vel capillorũ defluuium, vel alui fluorem. Vtrumque enim conſueuit euenire, cum tabidi ad extremum mali perducuntur, alterum ex ſiccitate, alterum ex potentiæ imbecillitate. Modum vero mortis oſtendit illorum qui ex tabe moriuntur. Eouſque enim tabidi viuunt, donec pulmonem expurgare poſſunt, per ea quæ expuendo excernuntur. Cum vero non amplius expuunt præ imbecillitate, ſed puris copia in pulmone coaceruata viam ſpiritus obſtruit, ſtrangulantur. *Galenus.*

II.

Vt lethale tabis ſignũ ſit ſputum graueolens, & capillorũ defluuium.

Τοῖσιν ὑπὸ τῶν φθίσιων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἀνθρακας ἐπιχεόμενον καὶ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι θανάσιμον. *Qui tabe moleſtantur ſi ſputum quod extuſſiunt graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt lethale. Hippocr. aphor. 11. lib. 5.* τὰς ἐπὶ πνεύμονι ἑλκώδεις διαθέσεις ὀνομάζει νυνὶ φθίσεις. *Quæ in pulmone ſunt vlceroſas affectiones nunc tabes nominat.* In quibus ſputum quod per tuſſim excreatur, carbonibus impoſitum ſi grauiter olet, oſtendit extremam humorum qui in pulmone ſunt putrefactionem. Si vero & ex capite capilli defluunt, lethales etiam nota eſt, quæ vltimi alimenti defectum oſtendit, atq; aliquando humorum corruptionem. *Ex Galen.*

III.

Vt & alui profluuium illi adiunctum.

Οκόσοισιν αὖ φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, ἔτι διαρροίης ἐπιγιγνομένης ἀποθνήσκουσιν. Quibuſcumque tale laborantibus capilli à capite defluunt, ij alui profluuio ſuperueniente moriuntur. *Hipp. aph. 12. l. 5.* Alui enim profluuio ſuperueniente mortem appropinquare opinandum, cum hoc ſymptoma & mala cauſa & malum ſignum exiſtat. Fit enim ex virium imbecillitate, quæ præterea ex ipſo caſu fiunt imbecilliores, *Galenus.*

IV. Τὰ δὲ

IIII.

Τὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγιγνομένη, θανατώδες. *Tabe laboranti profluuium alui superueniens, lethale. Hipp. aph. 14. l. 5.* Hic simpliciter dicit esse lethale alui profluuium in tabe, tanquam illud solum sufficiat mortem significare, non tamen ita è propinquo, neque tam cito secuturam, sicuti cum defluuium capillorum adiungitur. *Galenus.* *Vel etiam per se tabe laboranti superueniens.*

V.

Τὸ φθινόπωρον τοῖσι φθίνουσι κακόν. *Autumnus tabidis malus.* Hipp. aph. 10. l. 3. Quia cum sit siccus simul ac frigidus & inæqualis pulmones per sputa expurgari prohibet, adeo vt his vulgus ipsum sæpe mortem denunciet, foliis arborum cadentibus. *Ex Gal. & Holler.* *Vt autumnus tabidis malus.*

VI.

Huic malo inter initia protinus occurrere necesse est; neque enim facile is morbus cum inueterauerit, euincitur. *Celsus.* *Vt inueteratum malum, vix curationẽ admittat.*

VII.

Vlcera pulmonis pluribus de causis difficilime curantur, primo quod citra tussim expurgari nequeant. Tussi autem magnis magisque dilacerentur. Deinde quod ad pulmonem tam longa via sit, vt remedia viribus in egris eo peruenire non possint. Tum quod remediis vt operentur quiete sit opus, pulmo autem propter respirationem in perpetuo sit motu. Postremo quod pulmonis vlceribus coniuncta sit febris, quæ refrigerantia postulat & humectantia: illa vero exiccantia atque calida, vt remedia eo vsque perducant. *Ex Gal. Altom. Fuchs. Riolan. & cæteris recent.* *Cur pulmonis vlcera curatu difficilia.* 1. *ratio.* 2. 3.

VIII.

Cum in pulmone ruptum vas est, scire aperte licet, nisi protinus antequam phlegmone excitetur, glutinatum sit, id postea insanabile fore. Quod si aliquando curetur, relinquitur tamen in ipso res quædam callosa & fistulosa quæ tractu temporis à leui occasione expelli solet. Vnde pulmonis vlcera quamuis curaueris, propter callosas tamen fistulosasque reliquias, facile denuo exoriuntur. *Ex Gal. 5. meth. & 4. de loc. affect. & aliis author.* *Vt ruptum in pulmone vas nisi statim glutinatum fuerit, postea insanabile sit.*

DISTINCTIO III.

De Tabis curatione.

CANON I.

Qua methodo tabis curatio tentanda.

INitio abstergendum atque resiccandum, Vbi iam satis detersum est, atq; iam nihil sanioſum repurgatur, glutinare oportet. Sed dum hæc fiunt, extenuatio corporis instauranda est analepticis. *Hollerius.* Causa tamen antecedens si persistat, maloque incrementum suggerat, imprimis summouenda est, plethora quidem, si per vires licet, sanguinis missione: cacochymia vero purgatione. Si catarrhus morbi parens extiterit, vacuantibus, auertentibus, roborantibus, modis denique omnibus quam primum sistendus venit. Si quæ sit alia mali soboles, eritante omnia accurate remouenda. *Ex variis authoribus.*

II.

Vt lac tabidis conuenientissimum, & quibus.

Αρμόζει ὴ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίαν πολλῷ πυρέσσουσι γάλα: Tabidis lac conuenit, iis videlicet qui non valde febricitant. *Hipp. aph. 64. l. 5.* Nam cum in tabe tria concurrant, propriam curationem postulantia, pus, vlcus, & consumptio seu marcor: puri detersio conuenit, vlceri conglutinatio, maciei vero analeptice. Hæc autem præsidia lacti insunt omnia. Nam serosa sui parte abstergit pus quod in pulmone est coaceruatum, caseosa vlcus conglutinat & ad cicatricem perducit, butyro vero emaciatum corpus nutrit & reparat. Conuenit autem dummodo non adsit magna febris, dolor capitis, aut hypochondriorum tumor. *Ex Galeno, Montuo, & cæteris recent.*

III.

Lactis cuiusque vires.

Lac asininum & caprinum frigidum magis & tergens, quia serosius. Ouinum autem & vaccinum plenius nutrit & valentius glutinat, quia plus butyri & casei habet. Muliebre autem ad omnia simul est præstantissimum. *Sylu. apud Gatinar.*

IV.

Vt saccharũ rosatum tabidis cõferat. Vires sacchari rosa.

Sacchari rosati vsus frequens tabidis mirifice confert. Nam tergit, glutinat, nutrit, & refrigerat. Si autem recens fuerit, acrimoniæ particeps est, eaq; potentius tergat. Vetus vero magis glutinat. *Ex Sylu. apud Gatin. Auicenna, & aliis.*

V. Hy-

V.

Hydromel ad detergendum, bolus Armena, terra sigillata & pulmo vulpis in puluerē redactus ad glutinandum pulmonis vlcus valde commendantur, *à Galeno, Paulo, Hollor, Sylu. & aliis auth.*

ti, recentis, veteris. Quamobrē hydromel, bolus Armena, & alia id genus hic vtilia.

VI.

Vinum album, aquosum, subdulce, cibus est, potus & medicina. Siquidem nutrit, sitim sedat, abstergit: Adde quod celeriter in calorem naturalem & spiritus conuertatur. Salubris etiam hordei ptisana est, quia nutrit, refrigerat, abstergit. *Montuus.*

Vt vinum album & aquosum. Vt & ptisana.

VII.

Phlebotomia non conuenit vlcere facto, nisi noua fiat expuitio sanguinis, aut venæ alicuius recens apertio metuatur, & vires ferant. *Holler.*

Quando cauendum à phlebotomia, & vbi Phlebotomiæ locus.

VIII.

Τὰς φθινώδεας κάτω φαρμακεύειν, ἀλλ' οὐκ ἀνω. *Tabidos per inferiora purgare oportet, non per superiora.* Hippocr. *aphor. 8. lib. 4.* Propter instrumentorum quæ respirationi obseruiunt imbecillitatem. Per tabidos autem hic intelligere oportet, tum eos qui phthisim patiuntur, tum qui ad eam sunt natura proni. *Galenus.*

Quomodo tabidi sint purgandi.

CONSVLTATIO

De Phthisi.

COnspicua sunt in hoc iuuene tabis ex vlcere pulmonum profectæ indicia. Cruentum quippe sputum sine sensu doloris iampridem frequenti tussi editum, & aliquando etiamnum repetens, & febris lenta cuius nulla fit intermissio, mox à cibo inualescens, illamq; subsequutus alui fluor, tantusq; corporis vniuersi marcor, vt laborans σκέλετ@ potius quam horno videatur. *c. 2. d. 1. t. 6. l. 1.*

Phthisim manifeste demonstrant: hæc autem non è sola destillatione, sed vitio pulmonum contracta est. Nam præterquam quod valde imbecillum caput crebras pulmonibus destillationes demittit, pectus etiam ita angustum adstrictumque est vt à tergo operta scoptula, alarum instar promineant, adeo vt laborans natura πτερυγώδης, & ad phthisim procliuis ab ipso ortu fuerit, præ vitiosa pulmonum constitutione. *c. 3. d. 1. t. 6. l. 2.*

Vnde

Vnde illos constat iam diu spirandi difficultate oppressos fuisse, & nunc sic labefactatos vt propria illorum substantia nō modo contabescat, verum etiam corrumpatur. Cuius rei argumentum est expuitio nūc purulenta prodiens fœdi admodum odoris. Quin etiam putris pulmonis portio non ita pridem tussiendo reiecta, confirmatam esse tabem testatur. Quocirca malum iam factum est immedicabile, neq; vllus spei locus est. Producenda tamen est laborantis vita quoad arte licebit, blandis benigniſque subsidiis, quæ citra vitium offensam morbum leniant. Itaque à venæ sectione deinceps abstinendum. Quod si sanguinem denuo erumpere contingat, is aptius supprimetur ʒj. *rhei electi puluerizati.* Aut si qua ratione purgandum videbitur, satis erit, vel cassia fistularis, vel dilutum rhei. Educenda autem accuratè sputa sunt syrupis lenientibus atque detergentibus qui non vehementer aperiant, quales sunt ex *iuiubis, sebestem, ficubus, passulis glycyrrhiza, polypodio, vngula caballina, pimpinella, hyssopo,* in quibus bona sit portio sacchari, vt sint vice eclegmatis. Conferet & syrupus resumptiuus recenter dispensatus, & vnguentum resumptiuum, quo corpus vniuersum vesperi & mane obungetur: Præterea *saccharum rosatum & conserua rosatum cum bolo Armen. terra sigillata, succino, corallo, & semine portulaca.* Eclegma è *pulmone vulpis, & è pino, conditum symphyti maior. & adianti,* & alia id genus quæ glutinandi simul & abstergendi vim obtinent, ex vsu erunt. Propter alui fluorem à viscerum imbecillitate profectum, vtatur *diarrhodo Abbatis, electuario diatrionsantalon,* & aliis id genus quæ ventriculo, hepati, cæteriſque visceribus roborandis dicata sunt. Corpus interim emaciatum iusta & conuenienti victus ratione reficiendū, ex cibis boni succi & multi alimenti, concoctu facilibus, ac maxime liquidis, vt vias ob siccitatem contractas facilius subeant & penetrent, ob febrem quoq; nonnihil refrigerantibus, & ob vlceris saniem detergentibus, & ob solutionem continui glutinantibus. Quamobrem imperandum lac asininum arte præparatum. Has quippe dotes omnes obtinet, idq; mane offerendum, puro stomacho, horis saltem quatuor ante cibum. Aut si eius non sit facilis vsus, hordei cremor ex saccharo rosato, ea ipsa hora atq; similiter exhibendus. Salubria etiam sunt iura multum succulenta ex *carnibus caponum, perdicum, vitulorum, hœdorum & similium,* cum *amygdalis, seminibus frigidis, saccharo rosato:* sorbitiones *ex ptisana & ex oryza lacte adiecto, amygdalogola, oua sorbilia:* pisces denique squam-

c.6.d.3.t. 6.l.2.

c.7.d.3.t. 6.l.2.

c.4.d.3.t. 6.l.2.

c.2.d.3.t. 6.l.2.

ſquammati, ſaxatiles, potiſſimum vero cancri fluuiatiles: inter fructus *vuæ paſſæ, amygdala dulcia, nuces pineæ, ficus, palmulæ, piſtacia.* Cibus autem parcior ſumatur, ſed ex breuioribus interuallis, ne imbecilliorem naturam obruat, & cruditates augeat. Potus ſit vinum album, tenue, non vaporoſum. Quandoque etiam aqua mulſa ad detergendum. Interdum lac in quo chalybs candens fuerit extinctus præ alui profluuio. Ante paſtum ſuauiter deambulet. A paſtu penitus quieſcat. Exercitia & motus vehementes deuiter. Somno vtatur nocturno duntaxat, eoque moderato. Fugiat iram, triſtitiam, vigilias immodicas, famem, ſitim, coitum, & quicquid corpus exinanire poteſt. Ac aërem imprimis ſiccum, in calore vero & frigore temperatum inhabitet. Si hæc viuendi lex ad vnguem obſeruetur, nihil ad prohibendum mali incrementum, diutiuſque producendam ægrotantis vitam fuerit præſentius.

Hæc conſulebat Frambeſarius Pariſiis, anno 1586. cum DD. Palmario & Akakia, pro nobili Veromanduo.

TITVLVS VI.

De Pleuritide.

Diſtinctio 1. De pleuritidis diagnoſi.

CANON I.

EX thoracis affectibus pleuritis & empyema, & pulmonum vitiis dyſpnœa, aſthma, orthopnœa, peripneumonia, hæmophyſis, phthiſis, vt inter cordis morbos febris maxime & frequentiſſime infeſtant. *Frequentiores partium vitalium affectus.*

II.

Πλευρίτις ἐστὶν ἡ τὰς πλευρὰς ὑποζωννύουσα φλεγμονὴ μετὰ πυρετοῦ ὀξέος καὶ δυσπνοίας καὶ βηχὸς, καὶ μάλιστα τῶν πλευρῶν ἀλγήματα καὶ πνευματώδης, ποτὲ μὲν μέχρι κλειδὸς, ποτὲ δὲ μέχρι ὑποχονδρίου ἐκτεινομένη. *Pleuritis eſt inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis, cum febre acuta, & ſpirandi difficultate & tuſſi, & dolore lateris pungente, qui interdum ad clauiculam vſque, interdum ad hypochondrium extenditur.* Ex *Gal. c. 1. l. 2. de art. cur. ad Glauc. com. in aph. 12. l. 1. lib. def. med. lib. introd.* *Quid pleuritis.*

III.

Quotuplex pleuritis

Pleuritis duplex est, vera & notha. Vera pleuritis ἐν τῇ πλευρᾷ aut musculis saltem μεσοπλευρίοις illi continuis: Notha vero in externis costarum musculis inflammatis consistit. Vera exquisitaque pleuritis fit ex sanguine qui ex vena caua cordi assidente in eam quæ azygos nuncupatur, ac dein in tenues costarum venas impetu quodam incurrit, ex quibus apertis aut disruptis exilit, inciditq; in musculos mesopleurios vel succingentem costas membranam, illicque collectus phlegmonem parit. Notha vero externaque oritur quum sanguis in externos thoracis musculos effusus, per ramum qui à vena caua mox vt è thorace in alam emersit delabitur, propagaturque in partes thoracis externas, phlegmonem gignit. Causa porro quæ sanguinis fluxionem impetumque mouet, aut illius immoderata est copia, aut tenuitas aut efferuescentia & exagitatio ab æstu, à balneis, ab exercitatione, ab excandescentia, ab ictu, à subita regeneratione, à frigida potione, quæ concalfactum agitatumq; sanguinem varie depellit ac disiicit. Ad has causas accedit lateris imbecillitas, qua fluxio non quidem allicitur, sed promptius excipitur. *Ex Fern. Gor. & alijs.*

Vbi consistat pleuritis exquisita, notha.

Qua ex causa & quomodo fiat pleuritis vera.

Notha.

Irritans causa, seu occasio qua.

IIII.

Quibus signis exquisita pleuritis à notha internoscatur.

Etsi signa hæc pathognomonica vtriusque pleuritidis communia sunt, febris assidua, respiratio difficilis, tussis initio sicca, ac pungens lateris dolor: inter se tamen multum distant. Nam pleuritis exquisitæ febris acutior est, quod affectæ sedi magna insit vicinitas cum corde: spiratio difficilior, quia magis arctatur interna thoracis capacitas à materia phlegmonosa quæ succingente membrana continetur. Magis molesta tussis initio quidem sicca, sed mox fere humida: dolor pungens si membrana costas succingens parte superiore inflammatur ad iugulum, sin inferiore ad hypochondrium pertingit: neque lateris dolor tactu neque pressu ingrauescit, estque in sanum latus, quam in ægrum difficilior decubitus, quod materia inter costas & membranam succingentem collecta aduerso decubitu propendens membranam magis distendat atque diuellat. Pulsus præterea durus, tensus, ac serræ modo asper & inæqualis, quod membrana afficiatur quæ natura dura est, vtpote densata frigore. Externæ vero pleuritidis dolor tactu pressuque excandescit: molestus est in latus ægrum decubitus, in sanum facilis: pulsus neque durus neque tensus. *Ex Fernel. & alijs.*

V. Quan-

V.

Quanquam exquiſita nothaque pleuritis ſitu plurimum diſtant, tanta tamen ſocietate connexæ ſunt, vt ſæpe interioris in externam, aut contra tranſitus ſit, quod interiorum venarum extrema foras emergant, & externarum ora intro ſubeant. *Ex Fern.*

Vt frequēs ſiat alterutrius in alteram trāſitus.

VI.

Vt ſanguis varius exiſtit, ita variam inflammationem gignit. Si enim tenuis bilioſuſque fuerit eryſipelatodem, ſi craſſus ac pituitoſus œdematodem, ſi bile atra perfuſus ſcirrodem, ſi purus ſimplicem parit phlegmonem. Vnde dolor pleuriticus non perpetuo vniuſmodi eſt. Nam à bilioſo ſanguine atrocior, à puro aut pituitoſo, mitior. Ratio autem ex craſſo, ſæpius ex tenui bilioſoque ſanguine pleuritis fit, quia tunica ſuccingens denſa cum ſit, non niſi tenuem bilioſumque humorem facile poteſt ſuſcipere. *Ex Fernel. Gal. & aliis.*

Vt varius dolor pleuriticus, pro varia materia ex qua ſuſcitatur.

VII.

Ἡμῦ πλευρίτις ἅμα τοῖς ὠχροῖς τε καὶ ξανθοῖς πύυμασιν ὑπὸ χολώδεσι γίνεται χυμοῖς, ἡ δ' ἅμα τοῖς ἀφρώδεσι τε καὶ λευκοῖς, ὑπὸ φλεγματικοῖς. ὥσπερ καὶ ἡμῦ ἅμα τοῖς μελαντέροις, ὑπὸ τοῖς μελαγχολικοῖς, ἡ δ' ἅμα τοῖς ἐρυθροῖς, ἐκ' αὐτῷ τῷ αἵματι. Pleuritis quæ vna cum flauis ac pallidis fit ſputis, ex bilioſis humoribus ortum habet: quæ vero cum ſpumeis & albis, ex pituitoſis, quæ cum nigris ex melancholicis, quæ cum rubris ex ſanguine. *Gal. com. in aph. 33. l. 6. & alibi.* Materia pleuritidis dignoſcitur ex aliis etiam excretionibus, ac præterea ex antecedentibus ſignis.

Quibus notis materia pleuritidis dignoſcatur.

VIII

Præter lateris dolorem à phlegmone, alius à deſtillatione, alius à flatu ſuſcitatur minime pleuriticus. Lateris dolor è deſtillatione cō-tractus externas etiam partes occupat, orituque ab humore frigido è ſummo capite per ceruicem in ſcapulas & omoplatas, tandemque in lateris externos muſculos illapſo. Hic tametſi nequaquam pleuritis eſt, perſeuerans tamen veram interdum pleuritim quæ etiam ſputum cruentum emolitur accerſit, ſeu quod ſenſim altius penetrans tandem ſe in meſopleurios & ſuccingentem membranam inſinuet, ſeu quod illius dolor nouam fluxionem eo proritet è venis. A flatu lateris dolor etiamnum fit admodum vehemens, quoties is inter membranas aut externas aut interiores ſeſe infert, eaſque diſten-

Vt præter pleuritidē, fiat lateris dolor. à deſtillatione. author nō-nunquam pleuritidis. & à flatu.

distendit diuellitque à vicinarum partium adhæsu. Distant autem quod dolor à flatu fere vagus est, nec diu eadem sede persistit, sed calore & fomentis mitescit, atque etiam sæpius discutitur: ortus quoque est à frigore aut ab aliis causis flatulentis, hisque euidentibus. Dolor vero ex destillatione prægressam habet & manifestam causam: in ceruice vel scapula primum affluxit, deinde in latus delapsus est, in quo pressu contractuque exacerbatur, fomentis non tollitur. Atque horum dolorum nulla febris comes est, nisi aliunde fortassis accersita. *Ex Fernel.*

Qui dolor à flatu distinguatur ab eo quem destillatio parit.

IX.

Lateris dolor pleuritidem mentiens per sympathiam viscerum præsertim iecoris inflammati nõ raro excitatur, verum punctorius non est, tussis perpetuo sicca & quæ nihil emolitur male habet, facies pallidior apparet, nec pulsus adeo durus superuenit, vbi hepar in vitio est. *Ex Paulo, Fernel. & aliis.*

Vt lateris dolor per sympathiã quandoque excitetur, quibusque notis discernatur à vera pleuritide.

DISTINCTIO II.

De Pleuritidis prognosi.

CANON I.

Ὁκόσοι πλευρίτιδι γινόμενοι οὐκ ἀναθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τετέοισιν ἐς ἔμπυημα μεθίστατι. Quicumque pleuritide laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur. *Hipp. aph. 8. l. 5.* Eam quæ fit per sputa euacuationem humorum pleuritidem facientium solet Hippocrates ἀνακάθαρσιν repurgationem nominare. Tempus autem præfinit eiusmodi purgationis, in quo si non fiat, pleuritis in empyema conuertitur, pure scilicet inter pulmones & thoracem effuso. *Ex Galeno.*

Vt pleuritidis fiat in empyema transitus & quando.

II.

Ἐν πλευρίτιδι σῖτιον πύελον ἢν αὐτίκα ἀποφαίνηται ἀρχομένῃσι, βραχύνει· ἢν δ' ὕστερον ἀποφαίνηται, μηκύνει. Si pleuriticis sputum circa initia statim appareat, breuiat morbum: si vero postea appareat, producit. *Hippoc. aph. 12. l. 1.* quia ἀπεπεστάτη μὲν ἡ νόσος ἐφ' ἧς ὅλως οὐδὲν πύεται, crudissimus morbus est, in quo nihil omnino expuitur, δευτέρην δὲ ἔχει τάξιν ἐφ' ἧς ἰχῶρες λεπτοὶ, τρίτην ἐφ' ἧς παχύτεροι, καὶ τετάρτην ἐφ' ἧς εἰς πέλω ἐπέφθησαν. Secundum ordinem obtinet ille, in quo sanies

Quo potissimũ signo præsciatur vtrum breuis an longa pleuritis futura sit.

sanies tenuis est: tertium in quo crassior, & quartum in quo perfectam habet coctionem. πλείας δ' ἐστὶ γνώρισμα τὸ πτύελον πέψεως, ὅταν ᾖ λευκόν τε καὶ λεῖον, καὶ ὁμαλὸν, τῇ τε συστάσει μήθ' ὑπερύγρον, μήθ' ὑπερπαχύ. Sputum autem perfectæ coctionis signum est, quando album fuerit & læue & æquale, ac consistentia neque nimis humidum, neque nimis crassum. *Galenus.* Quanto igitur citius apparent quę excernuntur cocta in pleuritide, tanto breuior sperari debet morbus: quanto vero tardius, tanto longior.

III.

Pleuritis mitis ac tuta perhibetur vbi symptomata non valde molesta sunt, ac tussi reiicitur aliquid coloratum. Maxima vero periculosissima censetur, si vehemens febris fuerit, anhelitus magna difficultas, acerbus dolor, atque ad iugulum & hypochondrium protensus, tussis valida atque sicca, adeo vt nihil expuatur. Occidit autem symptomatum vehementia, aut suffocatione, aut translatione materiæ in pulmones, vnde tabes. *Ex Bruel. & aliis.* *Pleuritis qua tuta. Quæ periculosa.*

IIII.

Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διάρροιη ἐπιγιγνομένη, κακόν. Pleuritide & peripneumonia correpto alui profluuium superueniens, malum. *Hipp. aph. 16. l. 6.* Vehementer laboranti pleuritide vel peripneumonia, profluuium alui superueniens malum est: significat enim hepar ob consensum quem habet cum partibus respirationi inseruientibus, ita male affici, vt præ imbecillitate non possit ad se attrahere alimentum, neque conuertere in sanguinem. Verum in mediocri pleuritide atque mitiori peripneumonia, profluuium alui prodesse potest ratione euacuationis, præsertim vbi in morbus signa coctionis apparuerint. *Ex Galeno.* *Vt pleuritidi & peripneumoniæ diarrhœa superuenire malum.*

V.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν. A pleuritide peripneumonia, malum. *Hipp. aph. 11. l. 7.* Quando non potest is qui pleuritim facit in costis humor contineri totus, pars eius aliqua ad pulmonem fertur, vnde pleuritidi superuenit peripneumonia, malum priore deterius, vtpote quod nobiliorem partem occupet. *Ex Gal.* *Vt pleuritidi peripneumoniam superuenire, malum.*

VI.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες ἅπαντα πλευρικοὶ γίνονται. Qui acidum eru- *Vt qui acidum eru-*

dum eructant in pleuritidẽ propensi nõ sint.

ctant, non multum pleuritide corripiuntur. *Hipp. aph. 33. lib. 6.* Pleuritis licet ab aliis humoribus ortum habeat, fere tamen est à bile flaua. Ructus autem acidus à pituita & frigiditate, corruptis scilicet in ventriculo cibis. Ob eam causam raro pleuritide corripiuntur qui acidum ructum habent, aut quibus natura superabundat pituita, præsertim si salsedinem atque acrimoniam aliquam sibi adiunxerit. Illa quippe intestina mordens irritat ad deiectionem. Qui vero aluum natura humidam obtinent, pleuritidi minimè sunt obnoxij, Hippocrate authore. *Ex Galeno.*

DISTINCTIO III.

De Pleuritidis curatione.

CANON I.

Quot in curatione pleuritidis scopi proponantur. Quibusque remediis perficiantur.

CVratio pleuritidis duobus continetur capitibus, quorum primum in humore ad membranam costas succingentem etiamnũ fluente sistendo, alterum in humore parti laboranti iam fluxo & impacto educendo consistit. Ad arcendum influentem materiam, victus ratio tenuis instituenda, protinusque reuulsio ac vacuatio per phlebotomiam, purgationem & alia id genus molienda. Ad humoris vero illapsi exagogem anacatharsis per ea quæ sputũ promouent quam primum procuranda, atq; diaphoresis per digerentia topica extrinsecus adhibita. *Frambesarius.*

II.

Vbi in pleuritide phlebotomia locus. Vbi purgationi. Vbi ab vtroq; remedio abstinendum.

Si lateris dolor ad iugulum vsq, peruenerit, administranda phlebotomia: sin autem ad hypochondrium descenderit, purgatio potius imperanda, nisi febris magnitudo reclamet. Tunc enim sanguinis missio anteponenda. Si autem pleuritis spuria fuerit, vel vera quidem sed mitissima, nec plethora in corpore adsit, ab hisce maioribus remediis abstinendum: sed calidis fomentis quam primum tentanda phlegmones discussio. *Ex Hippocr. Galen. Paul. Altom. Fuchs. Holer. & aliis.*

III.

Qua vena secanda.

Secanda in pleuritide vena cubiti interna quæ è directo est laborantis lateris. Hæc quippe non solum à parte affecta auertit, verum etiam celeriter (quod maxime requiritur) euacuat. Quæ vero ex brachio

brachio oppoſito eſt, aut omnino nullam aut obſcuram, aut certe poſt temporis interuallum vtilitatem affert. *Ex Hippocr. Gal.* & reliquorum Græcorum, nec non & recentiorum medicorum ſententia, contra Arabum doctrinam.

I V.

Sanguis auferendus ad coloris vſque mutationem, ſi vires ferant. Nec perpetuo ſemel is ducendus eſt. Nam ſuſpectis viribus, vacuationem partiri melius eſt. Hocq; remedium ſecundo ac tertio reuocandum, ſi quidem non repugnant vires. Phlebotomia porro remiſſionis tempore, & eo die quo leuior paroxyſmus exiſtit, commodior eſt. Verum & veſpere, & nocte media, vrgente malo, & oblata occaſione ſanguinem detrahere non dubitandum. *Ex Hippocrat. Galen. Holler. & aliis.*

Quomodo mittendus ſanguis.

Et quando.

V.

Pharmaca non valenter, nec adſtringendo, ſed leniendo tantum purgantia hic exhibenda, ne febrem phlegmonemq; augeant, periculoſumve alui profluuium accerſant. *Ex Sylu. & aliis.*

Qua pharmaca hic ex vſu ſint.

V I.

Tempeſtiua purgatio turgente materia, prima die, non vltra ſecundam. Et ſi pleuritidem eo proceſſiſſe perſpexeris, vt ſputa prodire incipiant, purgans medicamentum minime exhibendum, ne ſputi motus inhibeatur, *Holl. ex Hipp. l. 3 de morb.*

Quãdo purgatio molienda.

Quando nõ molienda.

V I I.

Cucurbitularum in pleuritide plurimus vſus eſt ad reuellendum & vacuandum. *Ex Holl. & Dureto.*

Quare cucurbitulis vtendum.

V I I I.

Suſpectus eſt repellentium vſus in pleuritidè, propter principum partium viciniam. Adſtringentia item & quæ vehementius refrigerant omnia vitanda ſunt, quia expectoratum prohibent. *Ex Hollerio, & aliis author.*

Quare repellentibus, & adſtringentibus hic abſtinendum.

IX.

Oportet omnia quæ lateri admouentur eſſe læuia, mollia, actuq; calentia, cumq; refrixerint, remouere. *Ex Holler. & aliis.*

Qualia hic admouenda topica.

X. Si

X.

Vt pleuritis quæ resolui non potuit, curanda sit.

Si pleuritis discuti non possit, sed ad suppurationem vergat, topica quæ coctionem promoueant adhibenda, ruptoq; per se, vel pharmacia, vel chirurgia abscessu, ea quæ extergunt, atque à pure & sanie purificant ac facta tandem abstersione, quæ vlcus glutinant, exhibenda. *Ex Fuchs. & aliis.*

CONSVLTATIO I.

De vera Pleuritide.

c.2. d.t.1. l.2. PVnctorius lateris dolor laborantem immaniter excrucians cum spirandi difficultate, tussi acutaque febre proculdubio Pleuritis est. Nullum quippe ex pathognomonicis eius signis non concurrere videtur. Nec ea quidem notha, sed vera exquisitaque existit, cum pulsus sit durus & ferræ modo asper ac inæqualis, faciliorq; in ægrum latus quã in sanum decubitus, neque tactu neque pressu ingraueſcat dolor, adeo vt neque in externis costarum musculis, neque in solis meloplurijs, sed ἐν τῇ πλευρᾷ succingente costas membrana consistat, quam & superiore & inferiore parte inflammatam esse indicat dolor ad iugulum & hypochondrium simul pertingens. Huius autem causa sanguis est bilioſus, ratione temperamenti, ætatis, temporis, victus rationis in corpore exuperans, qui præ immodica exercitatione, ingentisque æstu excalfactus & agitatus, mox ab intempestiuo frigidæ potu varie depulsus atque disiectus, è vena caua per eam quæ azygos nuncupatur in succingentem membranam repente irruit, illicque collectus phlegmonem parit erisipelatodem, quam sputum pallidum vt spero breui proditurum tussiendo apertius declarabit. Hæc morbi diagnosis. Quod ad *prognosim* spectat, cum morbus acutus sit, salus profecto non potest, nisi dubia promitti. Aphoristica quippe Hippocratis lege: Acutorum morborum non omnino tutæ sunt prædictiones, neque salutis neq; mortis; quia (ait Galenus) acuti morbi præterquam quod celerrime iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Grauia siquidem symptomata quibus pleuritis est comitata, acerbus lateris dolor ad vtramque thoracis partem protensus magna anhelitus difficultas, valida tussis sine sputo ac febris vehemens vitæ periculum portendunt: Sed vires ægrotantis robustæ, ætasque florida, non exiguam salutis spem reliquam

c.7. d.1 t.1. l.2.

c.11. d.2 t.1. l.1.

c.3. d.2. t.1. l.2.

c.1. & 4. d. 2. t.1. l.1.

liquam esse pollicentur. Adde quod morbus hic naturæ, habitui, ætati, & tempori consentaneus sit ac pauci præterea hac tempestate pleuritici perierint. Morbus porro breuis erit, quia à bilioso humore æstinoque tempore ortus est, summaq; habet omnia quæ naturam ad celerrimam pugnam inuitant. Prædicto morbi euentu, ad curationem transeundum est. Quoniam morbus à fluxione excitatur, curatio duobus cõtinetur capitibus, quorum primum in humore ad membranam costas succingentem etiamnum fluente sistendo, alterum in humore parti laboranti iam fluxo & impacto educendo consistit, iuxta illud Hippocratis ὅσα μὲν νοσήματα ἀπὸ τῶν ῥέων γίνεται, τὰς ῥόας παύειν χρὴ πρῶτον, ἔπειτα τὸ ζωερρηγὲς ἐξάγειν. Quicumque morbi à fluxionibus fiunt, primum fluxiones sedare oportere deinde id quod influxit educere. Morbus quippe omnis curatur sublata primum antecedente, deinde continente eius causa. Ad inhibendum vehementiorem fluxionis impetum, auferendamque antecedentem pleuritidis causam, instituendus initio tenuis & aliquantulum refrigerans victus, ex *ptisana & amygdalarum cremore, pullorum iusculis*, aliisve leuibus cibis ac maximè sorbitionibus, potusque ex *decocto hordei, glycyrrhizæ, florum violar. iuiub. sebest.* vel ex *aqua cum saccharo & cinamomi momento cocta*, ac laboranti prorsus interdicendum vino, acribus, salsis, nec non & acidis, adstringentibus, iisq; omnibus quæ vehementius refrigerant, quod sputum incrudescere faciant, expectoratumq; prohibeant. Confestim item sanguis in affectam partem magna vbertate irruens, ac phlegmonem augens, auertendus, ac vna eademque opera vacuandus, pro virium robore & morbi magnitudine, secta, κατ' ἴξιν, semel atque iterum vena gibberi interna, nempe in eo brachio quod è directo est affecti lateris. Et quoniam dolor ad hypochondrium vsq; descendit, leui etiam pharmaco, quod bilem sanguini permistam per aluũ blande repurget, atque auertat, mox à phlebotomia, antequam sputum prodire incipiat exhibito, vt cassiæ bolo, aut rhei in *aqua hordei diluto, catholico, diapruno simplici, syrupo violato*. At præterea iniecto quoties adstrictior aluus videbitur clystere molli, non acriori, ne alui fluor pleuritidi periculosus superueniat. Nec alienum erit ad reuulsionem cucurbitulas insuper hypochondriis & inguinibus affigere. Ad materiæ vero coniunctæ, eductionem anacatharsis quamprimum procuranda, remediis sputum promouentibus & facilitantibus, vt *syrupis violato, it-*

c.10. d.2. t.1. l.1.
c.9 & 5. d.2. t.1. l.1.
c.1. d.3. t.1. l.2.
c.7. d.3. t.1. l.1.
c.8. d.3. t.1. l.2.
c.3. d.3. t.1. l.2.
c.2. 5. & 6. d.3. t.1. l.2.
c.7. d.3. t.1. l.2.

lato, iuiubino, morbi initio, postea syrupis *glycyrrhizæ, capillorum Veneris*, alias per se ex cochleari, alias ptisana vel decocto pectorali dilutis, *iulepo violato, saccharo albo, cando, violato, diatragacantho frigido, diaireos, penidiis, pilulis* albis ore contentis, eclegmatis *de pino, sano*, vel eclegmate ex hisce omnibus composito. Mox diaphoresis molienda topicis digerentibus extrinsecus adhibitis, vt litu ex *oleis violato, amygdalino liliaceo, chamæmelino, vnguento resumptiuo, de althæa.* Emplastro filij Zachariæ super alutam extenso, lateri dolenti admoto: fotu ex *decocto florum chamæmel. melilot. radicum alth. seminum lini, fœnigr. foliorum malu. violar. byssop. aneth. furfuris, in aqua & vino albo.* Vesica suilla ex lacte calente vel hoc decocto ex parte plena lateri affecto imposita: vel sacculis ex prædictis simplicibus paratis: Et cataplasmatis ex farino aut mucag. *seminum lin. fœnigraci, radicibus & foliis althæa malu. floribus chamæmel. melilot. & oleis amygdalarum dulcium & liliorum*, affectæ parti applicatis. Hactenus videor dignotionem, prædictionem & curationem morbi summatim perstrinxisse, vt mea quidem fert opinio.

Hæc cõsulebat Frambesarius cum medico Marchionis Varambonij, pro nobili viro, Atrebatij laborante, anno 1592. mense April.

CONSVLTATIO II.

De Pleuritide notha.

Diagnosis. Luce meridianna clarius Dominum Pleuritide correptum non genuina, sed spuria. Nec n. valde acuta febris, nec vehemens dispnœa, nec valida tussis. Adde quod lateris algema tactu pr sluque excandescat; catacliſis in ægrum latus molesta, in sanum vero facilis sit; pulsusque neque durus, neque tensus percipiatur, quod non in succingente membrana, sed in externis costarum musculis consistat. Gignitur à pituitoso sanguine è vena caua per ramum thoracicum in exter-

Prognosis. nos costarum musculos effuso. Quod ad *Prognosim* attinet, morbus nequaquam periculosus, quod nullis comitetur sæuis symptomatibus; chronicus tamen futurus, quod ptyelon nondum apparuerit. Adde quod phlegma glischrotaton sit, ac bradytera reddantur ab hyeme nosemata. Vt curationem persequar, secanda protinus basilica quæ è directo est laborantis lateris, non modo ad fluxionem auertendam,

dam, verum etiam ad plenitudinem vacuandam. Deinde pituita sanguini permista benigno phlegmagogo repurganda. Tum ad humoris illapsi exagogem, anacatharsis per bechica quæ sputum promouent, quam primum procuranda, atque diaphoresis per digerentia topica extrinsecus adhibita. Victus ratio interim non vsque adeo tenuis & refrigerans, atque in exquisita pleuritide præscribenda. Hæc summa diagnoseos, prognoseos ac therapiæ capita mihi videntur in præsentia sufficere. *Curatio.*

Consultabat Frambesarius Genabi cum DD. Massaco & Ridardo Medicis Aurelianis, anno 1600.

TITVLVS VII.

De Empyemate.

Distinctio 1. De Empyematis diagnosi.

CANON. I.

Ἔμπυημα (quod suppurationem Latini vocant) proprie puris est in thoracis capacitate collectio, quod eo confluxit vel ex angina, vel ex peripneumonia, vel quod frequentius contingit ex pleuritide in abscessum versa atque disrupta, vel illic ex sanguine ab aliqua vena aperta, fracta aut erosa effuso tandem putrescente genitum est. Notha interdum suppuratio fit ex pituitoso, tenui seroso; humore è cerebro per asperam arteriam & pulmones, aut ex abdominis capacitate per cæcos ductus (vt hydropicis non raro accidit) aut è reliquo corpore ad thoracem confluente, isthicque putrescente, ac demum in materiã puri haud absimilem degenerante. *Ex Gal. Paul. Fernel. Altom. Fuchs. Trincauellio.* *Quid empyema, & vnde procedat.* *Nothum empyema vnde oriatur.*

II.

Empyema dignoscitur tum ex antecedentibus, si ex prægressa angina, aut ex peripneumonia aut ex pleuritide vehementi nihil pene laborans expuerit, vel ex præcedente sanguinis eruptione: tum ex adiunctis, si pulmonis grauitas aut faucium aut lateris dolor, simulque febris vehementia subito remissa sit: si nouum grauitatis sensum in imo thoracis ad diaphragma surrectus æger percipiat, decumbens vero, aut in alterutrum latus se conuoluens, transfluere quiddam & fluctuare: tum ex consequentibus, si per tussim verum pus *Quibus signis empyema dignoscatur.*

expuatur, vel si valida tussis perseueret, adeo sicca vt nihil aut minimum reiiciatur, si febricula perpetuo comitetur languida, inordinata, ac vere hectica, quia perseuerans suppuratio phthisim accersit. *Ex Paul. Altom. Fernel. Riol.*

III.

Quibus notis internoscatur num empyema vtrumq; an alterutrum duntaxat latus occupet.

Quoniam autem thoracis capacitas dissepto (quod mediastinum appellant) media dirimitur, neq; dextri lateris cum sinistro vlla societas est, contingit quidem vt alias suppuratio alterutrum duntaxat latus, alias vtrumq; occupet, quod magna est obseruatione dignum. Ab angina & à peripneumonia suppuratio in vtrumq; ferè capacitatis latus influit: à pleuritide in alterutrum duntaxat, in id nempe quod dolore vexatum est. Latus porro in quo vno suppuratio reconditur, hinc nosces, quod & grauius & calidius existit. Decumbens æger in latus sanum onus sentit pectori incumbere, quod & angustia vehementer premit & tussim exasperat. In latus ægrum decubitus hæc omnia mitigat, pure nimirum in costas recumbente. *Fernelius.*

IIII.

Qui spuriũ empyema à proprie dicto distinguatur.

Spuria suppuratio à proprie dicta distinguitur, quod eam neque veræ suppurationis efficientes causæ præcesserint, neque febris comitetur. *Ex Fernel.*

DISTINCTIO II.

De Empyematis prognosi.

CANON I.

Vt empyemati phthisis succedat, & quando.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν ἀναχαθαρθῶσιν ἐν τεσσερακονθαήμερον ἀφ' ἧς αὐτοῖσι ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, εἰς φθίσιν μεταβαίνουσι. Quicumque ex pleuritide suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die à qua fit ruptio, liberantur: sin minus, ad tabem transeunt. *Hippocrates aph. 15. l. 5.* Vt enim pleuritidi si per sputa non repurgetur ante quartumdecimum diem succedit suppuratio, ita suppurationi tabes, nisi in quadraginta diebus à ruptione & puris effusione purgatio fiat per spuitiones, quia necessarium est pulmonem exedi, pure processu temporis putrescente. *Ex Gal.*

II. Ex

II.

Ex ſuppuratis hi maxime ſuperſtites manent, quibus febris eodem remiſerit die poſt eruptionem, ac ciborum appetentia ſtatim redierit, & ſitis deſierit, & venter exigua atque compacta egeſſerit, & pus album, læue, concolor, & à pituita liberum fuerit, ac citra dolorem tuſſimque validam expurgatur. Optime enim ac celerrime ipſi liberantur, deinde quibus proxima his contigerint. Ii vero intereunt, quos febris non deſerit, aut cum videatur deſerere, denuo recaleſcens innoteſcit, & ſitiunt, nec cibum appetunt, aluus humida eſt, pus viride liuidumque ſpuunt, vel pituitoſum ſpumoſumque. *Hipp. 2. progn.*

Quæ ſuppuratio ſalutaris.

Quæ lethalis.

III.

Suppurati quibus propter magnam puris copiam inter thoracem & pulmonem collectam totus thorax in reſpiratione attollitur, celerrime ſuffocantur, tum ob affectum ipſum, tum quod vires defeſſæ propter pugnam, ex neceſſitate imbecilliores redduntur. *Altom. ex Gal. 4. de loc. aff.*

Quæ præſentaneam mortem infert.

IIII.

Cum lateris aut pulmonis inflammatio in ſuppurationem verſa ſurſum verſus rumpitur, periculoſior eſt. Quia niſi ſumma adhibeatur diligentia protinus purulenta collectio tabem accerſit, pulmone exulcerationem contrahente. Quæ vero ſuppurationes inferius tendunt ac rumpuntur, non adeo periculoſæ exiſtunt, cum in aluum & inteſtina, aut in veſicam transfundantur, per vaſa quædam tranſmiſſione ad eas partes facta. *Altom. ex Aëtio, & Paulo.*

Quæ periculoſior.

Quæ ſecurior.

V.

Κάταρροι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν. Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies. *Hipp. aph. 38. l. 7.* Ventrem ſuperiorem nominat hic thoracem, in quo pulmo continetur, & in quem à capite deſtillatio fertur per aſperam arteriam. *Galenus.*

Intra quot dies deſtillatio in thoracem ſuppuretur.

DISTINCTIO III.

De Empyematis curatione.

CANON I.

CVm ſuppuratio fieri incipit, puris concoctio adiuuanda. Pure confecto quæ abſceſſum rumpunt admouenda. Rupto abſceſſu diligen-

Quæ ad tẽtandam empyema-

tis curationem molienda. diligenter erit animaduertendum, quo pus prorepat. Adiuuare enim eius excretionem oportet. Nam si ad aluum proreptet, magis emollientia offerenda sunt: si vero ad vesicam serpat, ea quæ vrinam magis ciant adhibenda. Si vero per tussim puris expurgatio fiat, quæ sputum promouent ac facilitant maxime ex vsu erunt. *Ex Paul. Aetio, Altom. Fuchs. &c.*

II.

Vt hic diureticis vtẽdum. Vndecumque puris excretio contingat, ea quæ vrinam cient, cibis commode admiscentur. *Ex Aetio, Altom. Fuchs.*

III.

Methodus curandi empyematis geniti, in quo sita sit. Vniuersa ratio curandi empyematis geniti in hoc sita est, vt quanto citius potest pus educatur, mundumque & expurgatum reddatur, internum thoracis spatium. Hæc vero expurgatio per tussim aut omnino, aut maxima ex parte fieri debet. *Trincauellius.*

IV.

Extremum empyematis remedium. Tentatis omnibus aliis remediis, si quidem desperatio est, & vires tolerare possunt, cauterium actuale aut potentiale (vt vocant) vel nouacula vulnus affecto lateri inter quintam & sextam costam inferendum, quo puri pateat exitus. *Magna cũ cautione adhibendum.* Sed magna cautio adhibenda, ne vitali spiritu confertim vna cum pure euacuato, mors statim, aut incuria insanabilis fistula tandem consequatur. *Ex Hollerij, Riolani & Paræi consilio.*

CONSVLTATIO

De Empyémate.

c.1.d.2.t.1.l.2. QVicunque pleuritide laborantes in quatuordecim diebus per sputa non repurgantur, ad suppurationem vertuntur, inquit Hippocrates. Cum igitur Dominus per quatuordecim dies vehementi pleuritide laborans, nihil pene expuerit, ac nõ ita pridem vrgens cum rigore lateris dolor, simulque febris vehementia subito remiserit, phlegmonem ad suppurationem perductam esse constat, ac rupto abscessu purulentam materiam in thoracis capacitatem aceruatim effusam, adeoque pleuritidem in empyema conuersam esse. Nam præter an-

ter antecedentia ſigna grauitatis ſenſum in imo thoracis ad diaphragma ſurrectus æger percipit, in alterutrum vero latus ſe conuoluens, transfluere quiddam & fluctuare audit, ac decumbens in latus ſanum onus ſentit pectori incumbere, quod & anguſtia vehementer premit & tuſſim exaſperat. In latus vero ægrum decubitus hæc omnia mitigat, pure nimirum in coſtas recumbente. Præterea tuſſis valida perſeuerat, qua iam puris nonnihil reiicitur, febriculaque perpetua, languida, inordinata, hecticæ naturam redolens. Quod ad *prognoſim* ſpectat, niſi intra quadraginta dies repurgetur æger, metus eſt in puris acrimonia exeſis tandem pulmonibus, tabidus moriatur, iuxta illud Hippocratis: Quicumque ex pleuritide ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus repurgantur à die qua fit ruptio, liberantur: ſin minus ad tabem tranſeunt. Quamobrem tota curationis ſpes in eo ſita eſt, vt purulenta inter membranam ſuccingentem & pulmonem effuſio breui expectoretur, euacueturque non per deiectiones quidem, ſed per expuitiones, quod ſurſum non deorſum ruptus ſit abſceſſus, nec ad aluum proreptet puris excretio, verum ad ſuperiores partes vergat, viamque affectet. Itaque anacatharſis quamprimum procuranda remediis ſputum promouentibus atque facilitantibus, vt ſi fieri poſſit per tuſſim pus quam citiſſime repurgetur. In eum ſcopum lenientibus, incidentibus & detergentibus alimentis & medicamentis vtendum, vt cremore *ptiſanæ*, *iuſculis gallinarum, pullorum gallinaceorum*, *columbarum*, *perdicum*, & ſimilium carnium, *hyſſopo*, *thymo*, *fœniculo*, *oreoſelino*, *aſparago* conditis: *Amygdalis*, *nucleis pineis*, *vua paſſa* & aliis fructibus generis eiuſdem: vino tenui ad dulcedinem declinante, vel potius *aqua hordei hydromelite*, ptiſana optimo melle permixta *decocto hyſſo. thym. puleg. marrub. iridis glycyrrhizæ in aqua mulſa: ſyrupis violato, adiantino è glycyrrhiza, è tuſſilagine, ex hyſſopo, è praſſio, ſucco glycyrrhizæ.* Ea inſuper quæ vrinam cient, cibis commode admiſcebuntur. Quod ſi nec victu, nec pharmacis conuenientibus, purulenta collectio per ſputa repurgari poſſe videatur, priuſquam frangantur vires, ac puris putredine pulmonum ſubſtantia labefactetur, latus dolens ab experto chirurgo inter quintam & ſextam coſtam nouacula aperiendum eſſe ſentio, vel cauterium actuale aut potentiale (vt vocant) inferendum, quo puris excretioni pateat exitus, etſi id remedij genus non prorſus vacat periculo.

c. 1. 2. & 3. d. 1. t. 2. l. 2.

c. 1. d. 2. t. 2. l. 2.

c. 3. d. 3. t. 2. l. 2.

c. d. 3. t. 2. l. 2.

Quo-

Quoniam enim & sectione & vstione non pauci supputati, alioqui deplorati, pristinæ sanitati sunt restituti, cæteris præsidiis frustra tentatis, ad chirurgiam demum confugiendum esse duco. *Dubia quippe spes certa desperatione est potior*, vt ait Celsus.

Quod si diuturnior affectus fuerit, lacasinininū ægrotandi tandem exhibendum, Alexandri consilio, ad vlcus abstergendum, glutinandum, ac totum corpus contabescens vna nutriendum. Hæc ad tētandam empyematis curationem meo iudicio facienda sunt.

Hæc consulebat Frambesarius pro equite Cardomonti laborante, anno 1592.

N. ABRA-

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTATIONUM Medicinalium LIBER QVINTVS.

Continens veram Methodum curandi morbos & affectus Epatis & partium ei naturaliter subiectarum.

Explicatis partium animalium & vitalium morbis, sequuntur partes naturales. cumq; Epar sit principale organum facultatis naturalis, de eius morbis primo tractatur, deinde de partibus, tam nutritioni quam generationi seruientibus, puta de Ventriculo, Inteſtinis, Splene, Renibus, Veſica, membris Genitalibus & Matrice.

Præcipui morbi Epatis sunt Hydrops & Icterus. Violentißimus ventriculus affectus eſt is, qui dicitur Cholera. Principale Inteſtinorum Symptoma eſt Lienteria, deinde Cœliaca, Diarrhœa, Dyſenteria, Colica, Iliaca & Hæmorrhoides. Potißimum Lienis malum eſt Scyrrhus.

Frequentißimus morbus Renum & Veſicæ vocatur Nephriticus, poſtea Iſchuria, Dyſuria, Stranguria. Partibus ſpermaticis accidit Gonorrhœa: Matrici, Purgationes Menſtruales inordinatæ, Fluor albus, ſuppreßio menſium, & ſuffocationes Hyſtericæ.

TITVLVS I.

De Hydrope.

Diſtinctio I. De Hydropis diagnoſi.

CANON I.

AFFECTVS qui Græcis quandoque, ὑδρώπισις, interim ὑδερὸς, ſæpius ὕδρωψ, Latinis aqua inter cutem, & hydropycus morbus nuncupatur, tumor eſt vel totius corporis ab humore, vel ventris tum ab humore, tum à flatu. *Ex Holler. Gorræo, &c.* *Quid hydrops.*

I I.

Quot hydropis species. Hydropis tres ſpecies ſunt, Sarcites qui & Anaſarca, & Leucophlegmatias dicitur, Aſcites, ac Tympanites, ſeu Tympanias. Ἀνάσαρκα molis corporeæ incrementum eſt præter naturam. Sic autem appellata eſt quod per totam corporis carnẽ aquoſus humor diſſeminetur *Quid anaſarca.* *Cur ſic dicta.* Λευκοφλεγμαλίας vero quod corpus vniuerſum pituitoſo albicanteque ſanguine ſuffundatur. Ἀσκίτης, eſt abdominis ex ſubdito aquoſo ſeroſoque humore diſtenſio. Sic dicta quod ἀσκῷ, hoc eſt vtri modo peritonæum aqua repletum eſſe videatur *Cur Leucophlegmatias etiam nominetur.* τυμπανίτης abdominis eſt diſtentio ex multo flatu in illius capacitate concluſo, non tamen citra humoris permiſtionem. Sic autem nuncupatur quod percuſſus venter tympani ſonum edat. Hippocrati ſiccus hydrops nominatur. *Ex Fernelio, Altomar. Holler. & reliquis.* *Quid aſcites.* *Cur ſic appelletur.*

I I I.

Quid tympanites. Anaſarca hinc deprehenditur quod totum corpus præter naturam ex æquo intumeſcat, & æquabiliter molle, laxum, pallidũ & emortuo ſimile exiſtat, ac ſi digitum in carnem paulo altius adegeris, cauitatem ibi impreſſam relinquat, idq; diſſolutũ & quaſi eneruatum minimo labore frangatur, omneſque illius functiones langueſcant & hebeſcãt, ac vrinæ albæ, tenues & omnino crudæ appareant. In aſcite autem ſolus venter ſupra modum intumeſcit, corpus reliquum marceſcit ac liqueſcit. Tumor preſſo diaphragmate ſpiritum difficilem reddit. Si abdomen impellitur aut corpus in alterutrum latus prouoluitur: fluctuantis humoris ſonus obauditur, vrina admodum pauca eſt, eaque fere craſſa & rubicunda. Seroſus humor totus interdum ſub abdomine concluditur, nonnunquam eius portio in femora & in pedes maxime poſt inambulationem, interdum in ſcrotum veluti cuniculis ſibi inuſitatam viam parat. Irrepit & nonnunquam in thoracis ſpatium, inferque ea ſymptomata quæ purulentos affligere ſolent. In Tympanite vero moles quam in Aſcite minor & minus grauis, parum fluctuans, ſed rugitu obmurmurans: ſummus venter vngue percuſſus vt tympanum tinnit, multaq; flatus indicia exiſtũt. Omnes autem hydropici febricitant & ſitiunt, quod humor circum viſcera deſes nec perflatus putredinem ſalſedinemq; colligat. Sed febris quamuis aſſidua, lenta tamen eſt cum pulſu paruo. Adhæc omnes ſpirandi difficultatẽ grauitatem, colorem vitioſum, cibiq; faſtidium incurrunt. Cõmune item omnis

Quibus notis anaſarca deprehendatur. *Quibus notis aſcites dignoſcatur.* *Quibus notis tympanites ab aſcite internoſcatur.* *Quibus ſymptomatis hydrops*

omnis aquæ inter cutem est pedes intumescere, quippe cum procul à calidissimis partibus absint. *Ex Fernel. Altomar. Gorræo & reliquis.*

omnis sit comitatus.

I V.

Omnis hydrops fit ob insignem iecoris refrigerationem, siue hæc primaria sit, siue aliarum partium vitio contracta. Accidit enim vbi adeo refrigeratur hepar, vt frustrata hæmatosi aquam loco sanguinis faciat. Id quod illi contingit per se, vel per consensum lienis, folliculi fellis ventriculi, intestinorum, vteri, renum, cordis, pulmonum, aliarumve partium. Sæpe enim iecur intemperie qualibet, obstructione, phlegmone, scirrho, aut alio peculiari vitio affectum, adeo refrigeratur, si non positiue, saltem priuatiue admodum imbecillo eius insito calore reddito, vt deprauata sanguificatione hydrops consequatur. Frequenter etiam lien si ob scirrhum vel obstructionem nõ reproget sanguinẽ melancholica fæce, aut folliculus fellis obstructus eandem non deputet bilioso excremento, aut renes obstructi vel imbecilliores serum non trahant, aut menses vteri vitio, aut hæmorrhoides, aut aluus ex quacumque occasione supprimantur, aut immodice profluant, hydropem accersunt. In immodica enim vacuatione, spiritu cum sanguine exhausto calor extinguitur: in suppressione sanguis vel excrementa refluunt in hepar, vnde suffocatur. Aliquando contactu chyli frigidioris læditur, vt aquæ frigidæ potu, à calore & exercitio. Sic intemperie hepati à pulmone aut alia parte communicata phthisici & hectici hydrope magna ex parte corripiuntur, nisi ventris fluxu intereant. Phthisici etiam non raro hydropem incurrunt, quod sanioſa virulentaque eluuies viam inueniens è pulmone in iecur diffusa illic obhæreat, eiusque substantiam labefactet. Eodem modo asthmatici aqua in spatio thoracis collecta & in ventrem tandem effusa. Ascites autem ex Fernelij sententia non vt Leucophlegmatias ex sola partium nutrientium refrigeratione, nec ex cruditate sola ortum ducit: sed maxime ex soluta continuitate partium aut vasorum quibus humores contineri solent. Hinc fit vt iis fere superueniat qui rupta vel exesa viscerum vena, cruentis vomitionibus aut deiectionibus opportuni sunt. Licet enim suppressus sanguis sit, serosus tamen humor per derelictam fissuram præterfluit, inciditque in spatium abdominis: his etiam superuenit, qui viscerum errore ictero diu tentantur,

Quam ob causam hydrops contingat.

Vt hydrops omnis oriatur à refrigerato hepate.

per se.

vel per consensum lienis.

cystis fellis, renum, vteri, alui.

ventriculi, pulmonis. &c.

Vt ascites insuper à solutione continui ortum ducat.

1. ratio.

& quibus lien & iecur vel meſenterium veteri ſcirrho obduruit: quandoquidem viſcerum ſubſtantia ſiccitate humoriſque penuria ceu rimis quibuſdam dehiſcit, eorumque ambiens membrana diffringitur, vt non amplius tenue ſerum continere poſſit, ſed id renum more elabi ſinit, atq; ſenſim quaſi ex fiſſa olla ſtillare in vacuum abdominis ſpatium. Hanc cauſam innuit Hippocrates, quum ait, *Quibus hepar aqua plenum eruperit, iis venter aqua repletur.* Quod ſi ſola viſceris ſubſtantia diffinditur, ambiens autẽ ac cingens membrana integra manet, aqua non excidit, ſed veſiculæ aqua plenæ ὑδατίδες Græcis dictæ emergunt. Itaque cauſæ omnes quæ iecur vehementer exſiccant, vt ardentes febres, vt calidiorum ciborum præſertim vini meracioris liberalior vſus, hydropem inuehunt. Ab his quippe exaretactum iecur perinde atque terra ſiccitate dehiſcit, atque finditur. *Ex Altomario, Hollerio, Rondeletio, Gorræo. Fernel. & aliis.*

Hippoc. authoritas.

V.

Quomodo fiat hydrops.

Hydrops omnis naſcitur διὰ τὴν ἀποτυχίαν τὲ τῆς αἱματώσεως ἔργε, per fruſtrationem operis ſanguificationis, quando hæmatoſis naturæ votis non reſpondet. Illa autem ἀποτυχία fit proprio hepatis vitio, aut per ſympathiam aliarum partium: ac præterea per ſe vel ex euentu. Duæ enim omnino ſunt cauſæ hydropis, vna aquoſi humoris aliunde immiſſi nõ in corpore geniti ſuppreſſio, alia humoris crudi perennis in corpore generatio. Cuius duplex ratio, vna per impedimentũ functionis hepaticę, altera per alienationem facultatis ſanguificæ. Suppreſſionem appello cum hauſta liberaliter aqua fluuiali ſtagnante quæ vomitu non excluditur ſed ſupprimitur, hydrops fit. Voco impedimentum functionis hepaticæ, quando hepar omnis vitij expers non habet materiam idoneam ad ſuſcipiendam hæmatoſim, & officio ſuo prohibetur ſympathia partium communium & propinquarum. Alienationem facultatis ſanguificæ nomino vbi hepar receſſit à temperamento calido, humido: vt quum obtrito calore natiuo, exhauſtoque humido primigenio, efficitur frigidum, ſiccum. Veluti quum incendio conflagrans penitus exſiccatur, ac in maraſmum frigidum incidit. *Ex Dureti dictatis.*

Quot hydropis cauſa

Vt hydrops cõtrahatur ob aquoſi humoris aliunde immiſſi ſuppreſſionem.

Ob perennẽ aquoſi humoris in corpore generationẽ, impedimẽtũ functionis hepaticæ.

VI.

Per alienationem facultatis ſanguificæ.

Cum hydrops ab hepate per ſe affecto proficiſcitur, tuſſis leuis, ſiccaq; moleſta eſt, hepate mole ſua pulmonem in anguſtiam trahente, deiectio-

dejectiones paucæ & aridæ sunt, quia rapitur alio aquosus humor, & illæ in intestinis resides torrentur, præcipue vero si inflammatio accesserit: vitio etiam hepatis ortum hydropem cognoscimus ex dolore & distentione partis, & si nullus in aliis partibus morbus præcesserit. At cum aliæ primum laborant partes, suis propriis internoscuntur signis. *Ex Hipp. Gal. Altomar. Holler & alijs.*

Quibus notis dignoscatur an hydrops ab hepati per se affecto fiat.

VII.

Οκόσοισι σύφει ἡ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, ἢ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ' ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρον ἱδρύεται. Quibus ad sunt tormina, & circum vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur, hydrops siccus contrahitur. *Hipp. aphoris. 11. l. 4.* Nam cum ex multis eruditatibus plurimi congeruntur in ventre flatus, quibus neque per superiora neque per inferiora exitus est, dolor ingens suscitatur, qui nisi medicamentis, aliisque auxiliis soluatur, sed circum vmbilicum ac lumbos se firmauerit, tympanitem accersit hydropem, qui ab Hippocrate siccus appellatur. *Ex Gal.*

an per sympathian aliarum partium.

Quibus notis tympaniæ ortus dignoscatur.

DISTINCTIO II.

De Hydropis prognosi.

CANON I.

NOn admodum formidabilis est aqua intercus quæ nullo antecedente morbo: deinde quæ longo omnium periculosissima quæ ex acuto nascitur *Hollerius, Vvekerus.*

Vt hydrops ex morbo præsertim acuto natus longe periculosior quam qui per se accidit.

II.

Hydrops à scirrho confirmato non curatur, vix à reficcato nimis hepate. Nullus quippe morbus curatur, cuius causa tolli non potest. At scirrhus exquisitus nullam curationem admittit. Quicumque vero in hepate scirrhus oboritur, eo difficilius curatur, quod hepar medicamenta adstringentia semper expostulet ad eius corroborationem: scirrhus vero emollientia quæ ipsum relaxant & ad suscipiendam aquã flatumve magis idoneum reddunt. *Ex Hollerio, Rondeletio, Vvekero, &c.*

Vt hydrops ab hepatis scirrho sit incurabilis. Quod scirrhus præsertim hepatis nullam curationem admittat.

III.

Qui provenit ab hepate hydrops peior est, quam qui à splene, vel ab aliis membris. *Vvekerus ex Arabum decretis.*

Vt hydrops qui proprio sit hepatis vitio periculosior, quam qui per consensum aliarum partium.

IIII.

Inter initia non difficillima curatio est. At si malum inueterauerit, non sine magna molestia discutitur. *Cels.*

Vt hydrops initio curationē haud agre admittat: ubi vero inueterauerit, nō nisi difficillime.

Omnes igitur inueterati hydropes, & qui iam habitum corrumpunt, sunt periculosi. *Aëtius.*

V.

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ τὸ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥύενται, λύσις. Hydrope correpto, si aqua quæ in venis est, ad ventrem defluxerit, solutio. *Hipp. aph.* 14. *l.* 6. Id tamen non est perpetuum. Multis enim sponte vel arte commoto ventre, & aquosis multis inde expurgatis non superfuit salus. Nam etiamsi expurgetur aqua, si viscera vel corrupta vel syderata sint, celerius moriuntur. Multos obseruauimus qui ex alui profluuio melius habuerunt, sed paulo post manente causa morbus rediens interitum attulit. *Hollerius.*

Vt hydropi profluuiū alui superueniens morbum soluat. Sed nō semper.

VI.

Ην ὑπὸ λευκῆς φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγένηται ἰχωρή, λύει τὴν νοῦσον. Qui leucophlegmatia detinetur, si alui fluor superuenerit vehemens, à morbo liberatur *Hipp. aph.* 29. *l.* 7. Dummodo id non accidat ab imbecillitate facultatis retentricis. *Butinus.*

Vt vehemens alui fluor leucophlegmatiæ superueniens, salubre rimus.

VII.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπὴ γένηται, κακόν, Hydropicis tussis superueniens, malum. *Hipp. aph.* 35. *lib.* 6. Ὑδρωπῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστι. Si tussis hydropicum male habeat, desperatus est. *Aph.* 48. *l* 7. Si videlicet contigerit morbo adaucto, & aquæ ratione, quæ iam asperas pulmonum arterias occupet. Tunc enim periculum imminet suffocationis. Cum vero ex alia occasione tussis fit in homine aquam inter cutem patiente, non est signum exitiale. *Ex Galeno & Hollerio.*

Vt hydropicis tussim superuenire præ copia aquæ, exitiosum.

VIII

Οκόσοισι αὖ τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν ἐς τὸ ὑπόπλεον ῥαγῇ, τύπτεσθαι ἢ κοιλίη ὕδατος ἐμπίμπλαται, καὶ ἀποθνήσκουσιν. Quibus hepar aqua plenum in omentū eruperit iis venter aqua repletur, & moriuntur. *Hipp. aph.* 55. *l.* 7. Aptissimum hepar est ὑδατίδας id est vesicas quasdam aqua plenas, in ea quæ ipsum ambit exterius membrana generare. Videtur enim & in iugulatis animalibus hepar his aliquando plenum. Si quando igitur cōtingat eas vesicas rumpi, effunditur aqua in abdominis capacitatem. Vnde

Vt hydrops à soluta hepatis continuitate lethalis.

Vnde hydrops, qui ſæpius lethalis eſt. Quia eiuſmodi hydatides ſubſtantiæ hepaticæ ruptionem & corruptelam indicant, quæ vix poteſt inſtaurari. Nonnunquam tamẽ per medicamenta humiditates ſuperfluas purgantia, & per ea quæ vrinas cient, & per epithemata diſcutientia curationem admittit. *Ex Galeno.*

IX.

Vt hydropicorum vlcera vix ad curationem perducantur.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, ὀρῇδίως ὑγιάζεται. Aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore facta, difficulter ſanantur. *Hipp. aph. 8. lib. 6.* Quia vlcera non prius ad cicatricem perducuntur, quam omnino exſiccentur. Hoc autem non facile fieri poteſt in hydropicis, ob humiditatis exuperantiam. *Galenus.*

X.

Cur hydrops ſarcites cæteris tutior, & curatu facilior.

Hydrops ſarcites cæteris ſecurior & curatu facilior exiſtit, quod in eo nihil exeſum, ruptum, fiſſumve ſit, naturæque roburid quod noxium eſt ad totum corporis habitum amandare poſſit. Longe periculoſior aſcites, curatuque difficilior. Omnium periculoſiſſimus tympanites à Græcis medicis perhibetur, quod, vt arbitror, maior iecinoris ſiccitas eum pariat, quæ imbecillima omnino qualitate tollenda curandaque venit. Sed Auicennas aſcitem tympanite periculoſiorem eſſe contendit. Auicennæ autem ſententia Græcorum authoritati videtur præferenda, tum quod aſcites à maiori frigore oriatur quam tympanites, fereque contingat à frigida hepatis intemperie, quæ ſuperuenit calidæ: tum quod aqua vnde fit aſcites craſſior ſit quam vapor qui tympanitem creat, nec tam facilem habeat exitum, ſitque proinde ſolutu difficilior: tum quod aqua diutius ſub peritonæo concluſa tempore putreſcat, ac putredine partes nutritioni dicatas contaminet; faciatq; metaſtaſim ad thoracem vnde tuſſis, quæ cum ſuperuenit, mortis eſt nuncia: facieſque magis à naturali habitu recedat, quam in tympanite. *Partim ex Dureto, partim ex Gorræo, & aliis auth.*

Controuerſia inter Græcos & Arabes, de hydropis ſpecie omnium periculoſiſſima.

Cura ſcites tympanite periculoſior.

1. ratio.
2.
3.
4.
5.

XI.

Hydrops qui curabilis, & qui incurabilis.

Non omnis hydropicus ſanatur excluſione aquæ, ſed is tantum, qui à ſimplici ſuppreſſione factus eſt hydropicus. Nec curatur hydrops vbi aliqua ſubeſt ſubſtantiæ hepaticæ corruptela, quia hæc inſtaurari non poteſt: ſed is duntaxat qui integris viſceribus fit. Inſanabilis item hydrops, vbi iecur obtrito calore natiuo, exhauſtoque humido primigenio in maraſmum frigidum incidit. *Ex Dureto.*

DISTIN-

DISTINCTIO III.

De Hydropis curatione.

CANON I.

Qua methodo hydropis curatio tentanda.

AD tentandam curationem, instituenda imprimis victus ratio calida & sicca, quæ aquam intercutem augeri prohibeat, deinde aqua hydropem excitans vacuanda hydragogis, vreticis, hidroticis, ac vrgente necessitate, phœnignis vel paracentesi. Discutienda que diaphoreticis extrinsecus adhibitus: Tum hepar ab intemperie cæterisve præter naturam affectibus imbecillius redditum, erit corroborandum. *Frambesarius.*

Vt pro varia causa, diuersis vtendum remediis.

II.

Cum à calida intemperie frustrata est hæmatosis, minus calidis tum alimentis tum medicamentis pugnandum est, quam dum à frigidis causis est abolita. *Ex Sylu Fontanono, &c.*

Vbi cum hydrope acutior febris coniũcta est, quanam curãdi ratio tenenda.

III.

Si cum hydrope vehementior febris coniuncta fuerit, mixta curatio erit adhibenda, vel nobis ad eum qui magis vrget affectum obuiantibus, non tamen alterius cura omnino posthabita, vel vtrique pari studio auxiliantibus. *Altomarius ex Galeno & cæterũ Græcis.*

Vbi cathartica potiones catapotiis præferenda.

IIII.

In hydrope à causa calida, potio purgatoria pilulis est conuenientior, quia citius descendit, distribuiturque. Pilulæ autem cum tardius agant, longa mora nimis calfaciunt. *Rondeletius.*

Qua ratione hydrops per consensum curandus.

V.

Si hydrops hepate per sympathiam laborante contigerit, parti primo affectæ consulendum est. *Ex Sylu. Riolan. & aliis.*

Vt ad hydropis curationem summouẽda imprimis illius causa.

VI.

Hydrops curari non potest, nisi curato morbo qui illius causa est. Quare considerandum quæ qualisque causa præcesserit, intemperies, obstructio, an tumor aliquis præter naturam. Si intemperies calida, vel à febre acuta vel iamdiu in hepate contracta, & praua victus ratione aucta, illa non potuit tamdiu perseuerare, quin magnum bilis prouen-

prouentum fecerit. Itaq; hæc imprimis vna cum sero euacuanda, & apertis viis per aluum educenda. *Ex Rondel.*

VII.

Leucophlegmatiæ peculiariter conuenit phlebotomia, si à suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus ducat originem, nihilque repugnet, vt aquosi sanguinis copia venis contenta, qua premitur natura vacuetur, libertasq; spirandi restituatur. Detrahendus autem sanguis morbi initio, non semel quidem, neq; copiose, sed modice atque interuallis, ex interna cubiti vena, vel si placet, è malleolis. *Ex Galen. Altom. Holler. Dureto.*

Vbi in leucophlegmatia phlebotomiæ locus.

Quando & quomodo sanguis mittendus, & qua ex vena.

VIII.

Anasarcæ hidrotica auxilia perculiariter conferunt: Tympaniæ vero carminantia sumpta, admota, admota, iniecta. *Ex Riolano & aliis.*

Quæ remedia anasarcæ propria.

Quæ tympaniæ.

IX.

In ascite vbi aliis remedium nihil profectum est, extremum est Paracentesis. Tempestiua autem est, priusquam in cachexiam morbus abierit, firmis viribus, corpore iuuenili, si atra bilis hydropem non contraxit, si nullus in iecore, vel alio viscere scirrhus est, si validus stomachus, si æger non febrit, aut si febrit remissionis tempore. Hæc omnia prouidenda sunt priusquam de molienda Paracentesi decernas. Alioqui temeraria est via. Quæ etiamsi absunt, præmonendi tamen amici ægri quanto cum periculo remedium tentetur *Hollerius ex Galen. Paul. Altom. Rondel.*

Extremũ ascitæ remedium.

Quando molienda paracentesis.

CONSVLTATIO I.

De Leucophlegmatia.

TVmor œdematosus in facie, manibus ac toto corporis habitu conspicuus, in quo præmentis digiti manet impressum vestigium, non modo cachexiæ, sed veri hydropis eiusque sarcitis, qui & anasarca & leucophlegmatias dicitur, speciem exhibet, cum præsertim corporea moles tota præter naturam aucta sit, corpusque non (vt antea) promptum & alacre, sed graue ac iners, non robustum viribusque pollens, sed dissolutum & quasi eneruatum, non firmum & compactũ,

e. 3. d. 1. t. 6. l. 3.

ſed molle & laxum, non viuido colore floreſcens, ſed ſubalbido & palido ſqualidum videatur, pedeſque veſperi & ab exercitatione maxime intumeſcant, mane vero & per quietem fere turgida inflatio euaneſcat, febriſque lenta aſſiduo fatiget cum pulſu paruo, crebro & inæquali, ac vrinæ albæ, tenues & omnino crudæ conſpiciantur. Huius aũt mali cauſa eſt immodica hepatis refrigeratio, tum ex immoderato æquæ frigidæ potu, & intempeſtiuo crudorum olerum fructuumque eſu, à chronico antecedente morbo, tum ex diuturna menſiũ ſuppreſſione, & ad iecur palindrome, calorem natiuũ ſtrangulante & obruente contracta. Vnde Ἀφ' ὑδροποτυχίαν τὸ τῆς αἱματώσεως ἔργον, pro laudabili ſanguine aquoſus & pituitoſus humor gignitur, qui per venas in omne corpus effuſus, cum agglutinari & aſſimilari perfecte nequeat, œdematoſum ſub cute tumorem parit. Quod ad *prognoſim* ſpectat, etſi hydrops omnis ſolutu contumax atque periculoſus, nequaquam tamen deplorata videtur ſalus, modo laborans accurate pareat obſequaturque medicorum conſiliis, cum nec a cauſa calida, nec ab acuto morbo, nec ab immodica euacuatione anaſarca nata ſit, nec vllus in hepate cæteriſque viſceribus percipiatur ſcirrhus. Adde quod leucophlegmatias aſcite & tympanite hydrope ſecurior & curatu facilior exiſtat. Ad curationem conſequendam aquoſi humoris generatio imprimis prohibenda, deinde eius in vniuerſo corpore congeries exhaurienda, diſcutienda, exiccanda, tum frigida hepatis intemperies corrigenda, relictaq; ab intemperie imbecillitas corroboranda, ne nouum denuo ſerum procreet quod in vacuati locum ſuccedat. Quocirca victus ratio calida & ſicca ſtudioſe obſeruanda, quæ aquam frigidam humidam, continentem mali cauſam augeri prohibeat, frigidamque iecoris intemperiem illius genetricem pariter emendet. Ac pauco raroque cibo vtendum, non modo ob coctricis & ſanguificæ facultatis imbecillitatem, verumetiam propter excrementitiam carnis humiditatem modis omnibus abſumendam, exſiccandamque, iuxta illud Hippocratis, Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν. λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα, corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit. Fames enim corpora ſiccat. Veſcendum autem pane bis cocto, carnibus boni ſucci concoctu facilibus, aſſis, nõ elixis, vitellis ouorum recentium. A ſorbitionibus abſtinendum & ab humidis omnibus. Vtendum vino tenui, ſed pauco. Quam parciſſime enim

c.4.d.1.t.6.l.3.

c.10.d.2.t.6.l.3.

c.1 d.3.t.6.l.3.

c.21.d.3.t.1.l.1.

me enim bibendum, vt in potus penuria siccatæ partes ipsique renes redundantem aquarum illuuiem sensim exhaurian̄t, ac ipsa viscerum substantia alienorum occursu minime impedita sese expurget, emendet & corroboret. Fugiendus aër frigidus & humidus qualis pluuius & nebulosus, necnon & longior somnus. Exercitatio subeunda fricticque adhibenda vt sudor euocetur. Hæc viuendi lex sancienda, ne c.33.d.3.t. 1.l.1.& c. 7.d.3.t.6. l. 3. c.39.d.3.t. 1.l.1. c.43.d.3.t. 1.l.1. c.8.d.3.t. 6.l.3. feroſius humor symptomatis auctor etiamnum succrescat. Vt autem aquosi sanguinis in corpore fluctuantis plenitudo vacuetur, naturaque eo quo velut sarcina premitur exonerata alacrior euadat, secanda quã primum vena cubiti interna, cum præsertim ætas viresq; permittant, vitiumque maxime ex suppressis mensibus ducat originem. Purgatio deinde ex interuallis decernenda, modo potionibus, modo catapotiis *ex hiera*, *ex rhabarbaro*, *ex agarico*, nonnunquam ex *succo vel decocto radicum ebuli & sambuci*, aliisve hydragogis mitioribus, ac postea etiam valentioribus, vt serosi excrementi per vniuersum corpus redundantis copia sensim paulatimque educatur, ipso tamen prius humore præparato, viisque reseratis per ea medicamenta quæ extenuandi, incidendi ac meatus aperiendi vim habent, cuiusmodi sunt *syrupi de absynthio, de 5. radicibus, bizantinus, adiantinus, oxymel simplex & scylliticum, cum decocto absynthij, eupatorij, marubij, radicum apij, petrosel. fœnicul. ruſci, asparagi, graminis & similium.* Quæ à purgatione etiam ex vsu erunt ad humoris reliquias è iecore per vrinam expurgandas. Potus insuper hidroticus ex *decocto ligni sancti, vel radicum Chynæ & sarsæ parillæ* per aliquot dies mane & vesperi sumptus erit apprime vtilis ad superuacaneam carnis humiditatem ex toto corporis habitu per sudores proliciendam, & exsiccandam. Diebus interiectis, quibus nulla vacuatione ægrotans sollicitabitur, exhibenda quæ iecori roburaddunt, simulq; intemperiem frigidam imbecillitatis effectricem oppugnant, cuius generis sunt *electuaria trionsantalon, diarrhodon abbatis, aromaticum rosatum, dialacca, diacurcuma, trochisci de eupatorio, de rhabarbaro, theriaca*, &c. Extrinsecus vero adhibenda quæ humorum reliquias resoluendi & exiccandi vim possidẽt, vt sacculi calidi ex *furfure, milio, sale & sulphure*: vel ex arena vel cineribus calfactis. Thermæ siccæ. Balnea (cum naturalia hic desint) arte comparata ex *aqua, sale, sulphure*: quibus etiam incoqui possunt *anetum, chamæmelum, pulegiũ, calamintha, maiorana, ruta, satureia, hyssopus, fœniculus, stœchas, folia &*

bacca lauri iuniperi, radices cucumeris asinini, bryoniæ, ireos, & alia id genus. Ac demum litus ex vnguento Agrippę oleoq; anethino. Hæc pręcipua huius instituendæ curationis capita esse duco.

Hæc Frambesarius, cum alio medico consulebat, pro matrona Ambianensi, anno 1592 mense Ianuar.

CONSVLTATIO II.

De Hydrope Ascyte.

c.3.d 1.t. 6 l.3. HYdrops abdomen tantopere distendens, Ascites citra controuersiam est, ex subito humore aquoso contractus. Nam simulac venter impellitur, aut corpus in alterutrum latus prouoluitur, sonus obauditur fluctuantis aquæ sub peritonæo velut ἀσκῷ conclusæ, qua venter supra modum intumescit, corpus reliquum macrescit ac liquescit, alimentarij sanguinis penuria, lentaq; confectum febre ex seroso humore sub peritonæo putrente profecta: vrgetq; sitis inexhausta, quia serum putredine salsedinem acquirit. Tumor presso diaphragmate ex aquæ in abdomine stagnantis distensione, spiritum difficilem reddit. Ac vrina admodum pauca redditur, eaque rubicunda, ob imbecillitatem facultatis hepatis coquendo secernentis. Facieſque magis à naturali habitu, quam in tympanite recedit, decolorque apparet. Prægressa autem febris ardens ab exuperanti bilis illuuie accensa, huic malo dedit originem. Inde enim natiuus calor plurimum obtritus est, propriaq; hepatis substantia labefactata, non tantum à calore febrili, sed & à superuacaneo humore hepati altius infarcto tandem crassescente, siccessente & obdurescente. Accessit immoderatus frigidiorque potus ac intempestiuus fructuum esus, qui cruditatem multam peperit. Vnde non modo frigida intemperies in iecore contracta est, verumetiam obstructio ac renitens durities iam scirrho proxima.

c.4.d.1.t.6. l.3. A quibus tandem vitiis ita frustratur hæmatosis, vt hepar sanguinis laudabilis vice, aquam nunc generare videatur, quæ sensim per angustos cæcosque poros, ac fortassis etiam per fissam præ siccitate iecoris substantiam in abdominis capacitatem illabens, ascitem parit hydropem. Qui profecto (quod ad *Prognosim* attinet) adeo periculosus est, vt si non prorsus deplorata videatur salus, ipsa tamen non possit, nisi dubia promitti, nec vlla vnquam speranda sit perfecta

perfecta curatio, cum præsertim ex acuto morbo, & à causa calida ob- *c* 1.8 & 11.
ortus sit, vixque possit emendari insita iecoris temperies tantopere *d* 2.1.6.1.3.
immutata, vt id iam exaruerit & obdurauerit, ac fortassis etiam siccitate dehiscat, sua continuitate solutum: nec innati calidi, humidique primigenij exhausti iactura resarciri: nec substantiæ hepaticæ corruptela, quatotum corpus atrophia laborat summoque marcore liquescit, instaurari. Metuendum insuper ne aqua putris diutius in ventre stabulans, omnes vicinas partes in consensum trahat, ac prorsus contaminet, faciatque metastasim ad thoracem, vnde exitiosa tussis tandem superueniat. Vt autem qualiscumque sperari potest curatio tentetur, *e*.7.*d*.2.*t*.6 *l*.3.
instituenda imprimis victus ratio, quæ cum cætera iecoris vitia, tum *e*.1.*d*.3.*t*.6.
aquam intercutem augeri prohibeat, deinde præmissa præparatione *l*.3.
biliosus humor hepati impactus, ac serosus quo venter distenditur euacuandus, discutiendusque est: tum hepar ab intemperie cæterisque præter naturam affectibus redditum imbecillius corroborandum confirmandumque. Et quoniam non à frigida duntaxat, verumetiam à calida causa hæmatosis, est abolita, minus calidis tum alimentis tum medicamentis pugnandum est. Victus igitur moderate calidus & siccus sit, atque tenuis. Cibus esto è carnibus euchymis & concoctu facilibus, assis potius quam elixis. Potus vinum album, non meracum, sed aqua graminis dilutum. Fructus omnes exceptis passulis, sorbitiones ac iuscula interdicantur, ac potus omnis immoderatus circumcidatur, exercitatioque imperetur, prout vires ferent. Ad materiam pec- *e*. 43.*d*.3 *t*.
cantem præparandam obstructasque vias reserandas præscribendum 1.*l*.1.
apozema ex decocto *quinque radicum aperientium* in aceto macerararum, *cichorij totius endiuiæ, capillarium omnium, eupatorij, absynthij, brassicæ marinæ, seminum apij, petroselini, anisi, endiuiæ, citruli, melonum, cucumeris, alkekengi. carthami, florum sambuci & genistæ, passularum, ac syrupo de cichorio, & aceto- e*.39.*d*.3.*t*.
so composito*, pro pluribus dosibus A cuius vsu molienda vacuatio, mo- 1.*l*.1.
do catharticis per interualla exhibitis, vt potionibus ex *diluto rhei & agarici trochiscati*, in aqua *prassij vel fœniculi, addito cichorij syrupo*; interdum ex *succo ebuli, iridis vel brassicæ marinæ* (quam *soldanellam* vulgo vocant) & sero lactis caprini: Catapotiis ex *rheo, ex hiera ex agarico, ex sagapeno*: aliquando pilulis Altomarinis *ex mesereo rite correcto*. Clysteribus ex *decocto betæ, mercurialis, agarici, aut turpeti, succo ebuli, sambuci, ireos, vel cucumeris agrestis, hiera picra & similibus hydragogis*. Modo diureticis, inter purgatoria

ſumptis, *oxymelite diuretico, ſyrupo bizantino, adiantino, de quinque radicibus, cum aqua aut decocto abſynthij, fœnicul. praſij, caſſutæ.* Ad cortoborandum hepar tabillæ *trionſantalon & diarrhodon abbatis*, ac trochiſci *è rhabarbaro* ex vſu erunt. Ex quibus etiam, additis *raſura eboris & cornu cerui, margaritis electis, ſeminibus oxalydis & plantaginis cum ſaccharo in aqua abſynthii* aut *eupatorii* diſſoluto comparari poterit electuarium per *lozeng. pondere ʒij.* vel adiectis *conſeruis roſarum & capilli Veneris* conditum, quo vtatur diebus interiectis, cum nulla vacuatione ſollicitabitur, mane & dimidia hora ante cœnam. Topica inſuper ad reſoluendas aquoſi humoris reliquias roburque hepati conciliandum, extrinſecus admouenda, vt ſacculi *arena, ſale alumine & ſulphure* pleni: litus ex *oleis liliaceo, anethino, rutaceo, vnguento de artanita*: fotus ventris ex *decocto ſambuci, ebuli & radicis ireos*: cataplaſmata ex decocti magmate, additis *ſtercore bubulo, caprino aut columbino ſicco, ſulphure, farina lupinorum cerui*, & prædictis oleis. Cochleæ præterea tritæ & ventri admotæ multum commendantur. Perſeuerante malo phœnigmi ex radice ſcrophulariæ & ranunculorum, vel ex canthatidibus, fermento & aceto fortiſſimo, ventri erunt adhibendi, vt excitatis illic verſiculis, aquâ foras proliciatur, ſenſimque educatur. Si his nihil proficitur remediis, extremum eſt paracenteſis. Sed hæc periculi plena eſt, inueterato præſertim malo, in firmiſque viribus. Itaque non niſi ſumma vrgente neceſſitate erit vſurpanda. Dixi.

c. 9. d. 3. t. 6. l. 3.

Hæc Frambeſarius cum alio medico conſulebat Sannicolai, pro honeſto viro anno 1587. menſe Septemb.

CONSVLTATIO III.

De Tympanite.

c. 3. d. 1. t. 6. l. 3.

QVi proponitur hydrops tympaniæ ſpeciem gerit. Percuſſus enim venter tympani ſonitum edit. Quo fit vt ex concluſo in illius capacitate flatu multo, humore pauco admixto contractus eſſe videatur. Moles ſiquidem quam in aſcite minor & minus grauis, patum fluctuans, ſed rugitu obmurmurans, multaque flatus indicia exiſtunt. Is autem flatus in ventriculo ex imbecilla concoctione & cruditate genitus, per cæcos tenueſque ductus in abdominis ſpatium penetrauit. Aqua vero illi permiſta, vel ex ipſo flatu ſpiſſiore effecto, illic aucto frigore

gore concreuit, vel è venis veluti per diapedesim in eam capacitatem exudauit. Quod ad *prognosim* attinet, etsi tympanites omnium periculosissimus hydrops à Græcis medicis perhibetur, quod vt arbitror, maiori ecinoris siccitas eum pariat, minus tamen periculosus est quam ascites ex Auicennæ sententia, Græcorum authoritati meo iudicio præferenda, tum quod minor in tympanite caloris mutatio videatur, vt qui à minori frigore oriatur, nec ab intemperie hepatis frigida quæ superuenerit calidæ. Facieſque minus à naturali habitu recedat, nec adeo crassa sit materia ex qua gignitur, nec ita solutu difficilis, nec tantopere quas obsidet partes labefactet. Cum igitur non omnino deplorata videatur salus, tentanda quam primum curatio victus ratione calida & sicca, flatus resoluente, & flatulentorum omnium fuga, perferenda siti, exercitatione que subeunda. Deinde medicamentis flatuosam aquosamq; materiam vacuantibus ac dissipantibus, ac præterea ventriculum iecurque corroborantibus. Frequens igitur purgatio offerenda ex hiera & agarico. Clysteres carminantes ex *decocto rutæ, salu. origan. puleg. calaminthes, ebuli, florum chamame. melilot. aneth. seminum anis. fœnicul. dauci, smyrnij, petrosel. cumin. & hiera picra, benedict. laxat. confectione è baccis lauri, oleis rutaceo & anethino* per intervalla infundendi. Glandes etiam ex præditorum puluere mixto cum melle cocto nonnunquam indendæ. Præscribendus puluis flatus discutiens ex *aniso condito, caruo, cumino, cortice citri condito, cinamomo, galanga, & saccharo rosato*, quo vtatur ex cochleari statim à pastu. Vtendum etiam *diagalanga, dianiso, diacumino, confectione è baccis lauri*, vel antidoto ex hisce omnibus comparata, additis *seminibus anisi, fœnicul. apij, dauci, smyrnij, & saccharo* in stillatitiis liquoribus *apij & fœniculi* dissoluto. Venter quotidie fouendus saccu lis ex *milio, panico, sale. furfure, foliis rutæ pulegij, floribus chamæmel. melilot. seminibus anis. fœnic. dauci, cumini* paratis. Venter aspero etiam linteo calente interdum perfricandus, vt apertis poris tenuati flatus exhalent. Emplastrum de baccis lauri, ventri apponendum. Ampla insuper cucurbitula cum multa flamma, sine scarificatu vmbilico sæpius imponenda, ad flatus discutiendos. Illinenda ventriculi regio oleis de absynthio, mastichino, & nardino: ac ceratum stomachicum postea superponendum. Dixi.

Hæc consulebat Frambesarius Longostij, anno 1592. pro ciue Luxemburgensi.

c. 10. *d* 2. *t.* 6. *l.* 3.

c. 1. *d.* 3. *t.* 6. *l.* 3.

c. 8. *d.* 3. *t.* 6. *l.* 3.

TITVLVS

TITVLVS II.

De Ictero.

Distinctio 1. De Icteri dignotione.

CANON I.

Quid icterus. ICterus est bilis per vniuersum corpus effusio. Latinis aurigo, & arquatus, regiusque morbus dicitur. *Ex consmed.*

I I.

Quotuplex icterus. Icterus triplex, proprie dictus ex bile flaua hepatis vel folliculi fellis vitio ortus: niger ex atra bile lienis vitio contractus: & viresçens ex vtroque humore commixto natus, sæpe in puellis quæ χλώρεσι sunt conspicuus. *Ex Holler. Rondel. & aliis.*

I I I.

Nota icteri simplicis. In ictero album oculorum, interdum & cutis tota vel pallido vel flauo vel citrino colore suffunditur, vixque sudat corpus, sed prurigine plerumque tentatur, & quasi suscepto onere ingraueścens torpescit, mens sensusque hebescunt, & variis lacessuntur imaginibus. In

Icteri nigri. ictero nigro præ melancholici humoris in vniuersam cutem effusione coloris flos perit, isque pro viuido obscurus primum, deinde subliuidus & subniger nulla euidenti occasione apparet. Corpusque minus quam in altero ingraueścit, mens tamen imaginibus magis perturbatur, quæ metus & mœstitiæ plenæ sunt. *Ex Fernel. &c.*

I I I I.

Icteri causæ Vt icterus. fiat ab obstructione cystis fellu. ab hepatis intẽperie. ac inflammatione. Icteri causa fere obstructio cystis fellis, nonnunquam intemperies vel inflammatio hepatis. Obstructis enim meatibus ad cystim pertinentibus, flaua bilis minime secreta refluit in iecur & venas, & vna cum sanguine in totum corpus effunditur. Vnde icterus. Cum vero in calidiore iecore bilis copiosior gignitur, quam à cysti expurgari tota possit, redundans ea quoquouersum effunditur, atque cum sanguine vel eius sero euadens summam corporis cutem inficit. Ex iecoris quoque phlegmone icterus nascitur, cuius vi & incendio pars sanguinis maxima vertitur in bilem, & in omne corpus quoquouersum effun-

κρητικῶς. ditur. Fit & aliter icterus per crisim bilioſarum febrium, qua noxiam materiam natura ex alto corpore in summum foraſque propellit. Aurigi-

nis

ginis insuper causæ extiterunt aliquando venena, aut pharmaca epota, nec per aluum reddita, quorum vi sanguis totus pristinam amittit puritatem & in citrinum ac biliosum humorem corrumpitur, qui omnia peruadens cutim inficit atque labefactat. Continens vero arquati nigri causa est melancholicus humor in omne corpus cum sanguine effusus, idque vel quod in sanguine atque in iecore nimium exuperet, neq; totus lienis vi elici expurgariq; possit: vel quod lien huius copia infarctus alium excipere nequeat, vel copia turgens illius portionem refundat in venas: vel quod vena è portis iecoris in lienem directa, & qua sanguinis fæx deducitur ac expurgatur, obstructa obstipataq; sit. *Ex Fernelio, Hollerio, Altomario, & cæteris.*

ab epotis venenis.

Proxima icteri nigri causa qua. Vt icterus niger fiat vitio lienis, vel vena splenica.

V.

Si obstruatur meatus qui à cysti fellis in ecphysim desinit, deiectiones albicant, quod bilis illapsus in intestina cohibeatur. Vrinæ autem crassescunt, & multa bile perfunduntur. Dextro hypochondrio grauitatis sensus inest sine conspicuo tumore, sine febre. Si à calidiori iecoris intemperie aurigo contigerit, febris quidem nulla aut admodum lenta fatiget, vrinæque turbidæ, crassæ & croceæ sunt, sed alui deiectiones non albicant, quod è folliculo atque etiam è iecore bilis multa proruat in aluum. Sin autem ab inflammatione proficiscatur, vehemens ardensque febris existit, dextro hypochondrio grauitas dolorque subest, deiectiones & vrinæ biliosæ profluunt, inflammati iecoris signa comitantur. At si criticus arquatus fuerit, repente nascitur, febrem finit, nec tamen cum febre desinit, sed diutius aliquando protrahitur: vrinæ & alui excrementa secundum naturam habent. Si ab animalis virulenti vt viperæ morsu, aut potione deleteria morbus regius ortus sit, præter causas euidentes prægressas, repente aut breui color mutatus est, febrisque nulla fatigat. Si lienis vitio fiat icterus, vrinæ & alui excrementa fere subnigra reduntur, & cum arida hæc sint, tardius descendunt, sinistro hypochondrio grauitas inest, aliquando & subdurus tumor, mens tristis, corpus obscuro plumbeoque colore tingitur.

Ex Fernel. &c. auth.

Quibus notis dignoscatur an icterus oriatur ab obstructione cysti fellis. à calida iecoris intemperie. ab inflammatione. per crisim. à potione deleteria. Lienis vitio.

DISTINCTIO II.

De Icteri prænotione.

CANON I.

Vt icterus hydropis prænuntius.

CVm bilis icteri procreatrix cumulatur in iecore, eius substantiam amplificat & in tumorem attollit tactu conspicuum, ac dein tempore crassescens atq; obdurescens non modo obstructionem, verum etiam iecoris scirrhum renitentem ac prædurum ingenerat, cui fere succedit hydrops. *Fernelius.* Vnde icterus si fuerit diuturnus, hydropis periculum minatur.

II.

Vt in ictero hepar indurescere, malum.

Ἐν τοῖσιν ἰκτερώδεσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι, πονηρόν. Hepar durum effici ictero correptis, malũ. *Hipp. aph. 42. l. 6.* Durities n. oſtẽdit in hepate scirrhum esse vel inflammationem, quorum vtrumq; malum est. *Ex Gal.*

III.

Vt icterum ante septimum diem febrib. superuenire, malum.

Οἱ τοιοῦτοι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι φλεγμονὴν ἢ σκίρρον πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν. Quibus in febribus icterus ante septimum diem accidit, malum *Hipp. aph. 62. l. 4.* Quia eiusmodi icterus hepar inflãmationem aut obstructione laborare portendit. Quod icterus qui iecore nequaquam male affecto κελιδνῶς accidit, ante septimum diem fieri non possit. *Ex Galeno.*

IV.

Vt icterum die critico febribus superuenire bonũ, nulla in dextro hypochondrio duritie existente.

Οἱ τοιοῦτοι ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθὸν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ. Quibus in febribus icterus septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo successerit, bonum: nisi dextrum hypochondriũ durum fuerit. *Hipp aph. 64. l. 4.* Quia natura bilem flauam vnde procreata est febris ad cutem κελιδνῶς expellit, vt per cutis spiracula discutiatur. Vnde sanitas breui restituitur, nisi scirrhus, vel obstructio, vel inflammatio in hepate fuerit. *Ex Galeno.*

V.

Vt melius sit icterum febri, quam febrẽ ictero succedere.

Si morbus regius post febrem oriatur, ex toto proderit, si post hunc febris, occidet. *Celsus Dioclis authoritate.*

VI.

Vt diutur: nior icterus lienis quam iecoris vitio ortus.

Icterus splenis vitio ortus, fere diuturnior, quam qui ab hepate habet originem. *Ex Bruelio.*

DISTIN-

DISTINCTIO III.

De Icteri curatione.

CANON I.

Qua ratione icterus ab obstructione folliculi fellis curandus.

VT sunt icteri causæ variæ, ita varia curatio est. Si propter obstructionem vesicæ fellis fiat icterus, obstruens humor rite inprimis præparandus est, deinde vacuandus, auertendus, discutiendus, ac fœdus demum cutis color obliterandus. *Frambesarius.*

II.

Quibus remediis obstruens humor vacuandus.

Ad obstruentis humoris vacuationem duo maxima remedia, venæ sectio & purgatio conferunt. In quibus igitur multitudo sanguinis vna cum bile in vniuerso corpore abundat, & quos circa iecur aut lienem grauitas aut distentio infestat, secanda vena interna, in dextro quidem gibbero, iecore male habente, in sinistro vero liene laborante. Sanguisque per vices detrahendus, ne per coaceruatam vacuationem vires ægri prosternantur. *Ex Aetio, Altomar. Fuchs. Holler. & cæteris.*

Vbi mittendus sanguis, quæ ex vena, & quomodo.

III.

Quando purgationibus vtendum.

Meminisse oportet nunquam vtendum purgationibus, obstructo hepate insigniter, nisi prius feceris viam aperientibus & detergentibus. Oportetque initio primum vti lenioribus, deinde fortioribus, idque per interualla. Assiduus enim aperientium vsus vehementer lædit. *Hollerius.*

& quibus aperientib. via ad purgationem præparanda.

IV.

Si prima corporis regio fœdis scateat excrementis, leuiore aliquo pharmaco repurganda est antequam præparantia exhibeantur medicamenta, ne aperientium vi sordida excrementorum colluuies in iecoris venas rapta, obstructionem augeat. *Ex Sylu. Bruel. &c.*

Vbi eccoprotica aperientib. præmittenda.

V.

Qua ratione icterus à iecoris intemperie, inflãmatione, alioue affectu curandus.

Si iecoris intemperies, vel inflammatio, vel scirrhus, vel alius iecoris affectus autiginis author extiterit, ille primum curandus est, tum fœdus color delendus erit. Nunquam enim veniendum ad fœditatem coloris, nisi sublata causa, & curato viscere. *Ex Holler. Altom. &c.*

VI.

Vt criticus icterus curandus.

Criticus icterus non niſi balneis & frictionibus ex oleis diſcutientibus, probaq; victus ratione curandus eſt. *Ex Holler. Altomar.* &c.

VII.

Quib. præſidiis icterus à venenata cauſa curandus.

Si venenata ſit morbi regij cauſa, alexiteriis oppugnabitur. Si niger icterus, remediis melancholiæ & lienis dicalis curabitur.

Quib. icterus niger.

CONSVLTATIO

De Ictero.

c.3.4.5.d.1. t.7.l.3. AVreus color, quo album oculorum, cutiſq; tota ſuffunditur, icterus eſt, à bile flaua in vniuerſum corporis habitum effuſa, præ folliculi fellis obſtructione contractus. Licet enim turbidæ, craſſæ & croceæ ſint vrinæ, fæces tamen albicant, tardeque deſcendunt, quod obturato meatu χοληδόχῳ flaua bilis qua velut clyſtere naturali excretrix ad officium irritatur, aluum non ſubeat, ſed in iecur & venas remeet. Vnde illius portio per renes expulſa, vrinas aureas, ſpiſſas, impuraſque reddit. Dextro inſuper hypochondrio grauitatis ſenſus ineſt, ſine conſpicuo tumore, ſine feruore, ſine febre. Quod ad *prognoſim* attinet, hic affectus nequaquam contemnendus eſt. Nam præterquam quod ſumma cutis inficitur ac deturpatur, corpuſq; prurigine tentatur & quaſi ſuſcepto onere ingraueſcens torpeſcit, atq; mens ſenſuſq; hebeſcunt, & variis laceſſuntur *imaginibus*, periculum eſt ne ſuppreſſa bilis præ copia tenues iecoris venas impleat & infarciat, moxq; in omnẽ viſceris ſubſtantiam redundans, illam in tumorem attollat, ac dein craſſeſcens atq; obdureſcens non modo obſtructionẽ, verum etiam iecoris ſcirrhum ingeneret, cui fere ſuccedit hydrops. Metus præterea ſubeſt ne obſtructo cyſtis vtroque ductu, bilis proprio conceptaculo diutius coercita, nec tempeſtiue vacuata, nec nouo influxu renouata, adeo obdureſcat, vt in calculum tandem concreſcat. Ad moliendam curationem humor obſtructionis author ad euacuationem rite præparandus eſt, deinde vacuandus, auertendus, diſcutiendus, ac fœdus demum cutis color obliterandus. Sed ne excrementitia materia aperientium vſurpandorum vi in venas feratur, obſtructionemq, augeat, prima corporis regio caſſia, vel catapotiis elephanginis, vel aliis id

c.1.d.2.t.7. l.3.

c.1.d.3.t.7. l.3.

c.4.d.3.t. 2.l.3.

genus

genus ἐccoproticis pharmacis ante repurganda, vel ſaltem præſcribendus clyſter ex *decocto quatuor remollientium, eupatorij, marrubij abſynth. orig. intyb. florum chamamel. melilot. furfuris macri, hordei integ ſeminum aniſ. fœnic. lin. catholico, hiera, diaphœnico, melle roſato, ſaccharo rubro, oleo violat. & anethino* conſtans, quo per interualla vti oportebit, vbi diutius venter reſtiterit, reuulſionis ergo. Mox detrahendus erit ſanguis è baſilica dextra, cum is præſertim vna cum bile in vniuerſo corpore abundet, vireſque ferant. Poſtea incidentibus, detergentibus & aperientibus medicamentis apparenda obſtruens materia, liberandaque obſtructio, vt *ſyrupis de cichorio, de granatis, de limonibus, de 5. radicibus, bizantino, adiantino cum duplo aquarum cichorij, aſparag. lupul. fœnicul. apij caſſutæ, eupatorij*, vel *decocto cicerum rubrorum, vel 5 radicum aperient.* additis *trochiſcis de rhabarbaro*, vel *de eupatorio, & cornu cerui*, vel *lumbricorum puluere*, vel *apozemate ex decocto radicum gram. apij, fœnic. oxylapath. cichor. totius, polypod. quern. ſcolopend. chamædryos, chamæpytios, agrimon. cuſcut. ſummitatum abſynt. lupul. & aſparag. iiij. ſeminum frigid. maior ſeminis cartham. hordei integ. iij. florum cardiacorum, paſſul. mund. glycyrrhiz. prun. damaſc. cum ſyrupis de cichor. capillorum Veneris, & oxymelite ſimplici*, comparato, quo vtatur bis in die tribus horis ante cibum Extenuatis & præparatis humoribus, reſeratiſque meatibus, exhibenda frequens purgatio ex *dilutorhei & agarici in aqua endiuiæ & vino albo*, cum pauco *cinamomo macerati*, addito *cichorij ſyrupo.* aliquando ex *diaprunо ſolut.* vel *elect. de ſucco roſarum & diaphœnico*, in decocto hepatico aperiente ſolutis, vel in ſero lactis. Purgato vt decet corpore, ad humorem cuti ſubiectum diſcutiendum, fœdumque colorem delendum, præter commemorata iam diuretica, imperandum balneum aquæ dulcis, in qua *radices oxylapathi, oxalyd. althea, liliorum & enulæ campanæ, folia violar. malu. biſmalu. bugloſſ. parietar. fumar. agrimon. flores melilot. aneth. lupina, furfur*, & alia id genus reſoluentia & detergentia fuerint decocta. A balneo perfricandum corpus linteis aſperis, inungendumque relaxante & diſcutiente litu ex *oleo anethino aut chamamelino.* Oculi autem & facies, *aqua hordei, aqua ſtillatitia peponum, ſucco granatorum, citri vel acetoſæ, aceto albo, iiſque tepidis* fouenda, & contingenda. Errhina item ex *ſucco cyclaminis, nigellæ, betæ & anagallidis*, ad bilem per nares deriuandum, ex vſu erunt. Victu interim regio vtatur. Cibis veſcatur euchymis & εὐπέπτοις, extenuantibus & aperi-

c. 2. d. 3. t. 7 l. 3.

c. 3. d. 3. t. 7 l. 3.

c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.

entibus. Bibat vinum album tenue, aqua graminis dilutum. Hæc mihi facienda videntur ad perfectam curationem consequendam.

Hæc consulebat Frambesarius Duaci, pro nobili viro Artesio, anno 1592.

TITVLVS III.

De Choleræ affectione.

Distinctio 1. De Choleræ diagnosi.

CANON. I.

Singularũ partium naturalium affectus frequẽtiores.

EX ventriculi affectibus Cholera immaniter torquet: ex intestinorum symptomatis Lienteria, Cœliaca affectio, Diarrhœa, Dysenteria, Colica & Iliaca affectio sæpe excruciant: ex ani affectibus Hæmorrhoides non raro molestæ: inter hæpatis affectus, Anasarca, Hydrops, Ascites Tympanites, & Icterus frequenter infestant; inter lienis morbos, tumor præsertim scirrhosus fere infestus est: frequentiores grauioresque renum & vesicæ affectus sunt Nephritis, Lithiasis, Ischuria, Dysuria, Stranguria: inter vitia spermaticarum partium Gonorrhœa crebro accidit: vteri symptomata longe frequentissima sunt, immodica mensium purgatio, albus fluor muliebris, mensium suppressio & hysterica suffocatio.

II.

Quid Cholera.

Ἡ χολέρα τῆς γαστρὸς ἐστὶν ἄμετρος ἐκτάραξις, κάτωθέν τε ἢ διὰ μέσων γινομένη, διὰ προσοχῆ τῶν σιτίων ἀπεψίαν. ἀπεπλοῦσι δὲ ποτὲ μὲν διὰ πολλὴν μοχθηρίαν τροφῶν. ποτὲ δὲ διὰ μοχθηρῶν χυμῶν περισσίαν. Cholera est immodica ventriculi perturbatio, suprainfraque ex continua ciborum cruditate proueniens. Quæ quidem cruditas nonnumquam ex magna alimentorum prauitate, interim ex vitiosorum humorum superfluo contrahitur. *Paulus.*

III.

Vnde choleræ nomen ductum sit.

Cholera affectus est ita Græcis nuncupatus ἀπὸ τῆς χολῆς, à bile quæ in eo sursum atque deorsum erumpit, vt placet Galeno & Celso. Vel ἀπὸ τῶν χολάδων, vt sentit Trallianus, quod materia quæ per ventrem defertur, excerni videatur ex intestinis, quæ χολάδες veteribus appella-

appellabantur, vt Homerus teſtatur his verbis, κέχυτο χαμαὶ χοιμάδες, fuſa erant humi inteſtina. *Ex Altomar.*

IIII.

Certa Choleræ affectionis indicia ſunt, ingentes ventris cruciatus, tormina, nauſea, vomitiones, deiectioneſque ſimul ad plures horas perſeuerantes, bilis potiſſimum, vel etiam aliorum vitioſorum humorum. *Ex variis author.* *Cholera indicia.*

V.

Αἱ χολέραι τοῖς νεανίσκοις ἢ δὲν ἦσον, ἢ τοῖς παρακμάζοισι γίνονται, τῷ ὑπάρχειν τῆς χυλέσεως ἐν τῆς ὠχρᾶς χολῆς λαμβάνουσαι. Choleræ nihilominus iuuenibus quam declinantibus accidunt, occaſionem ſui ortus ex flaua bile capientes. *Galenus in aphor. 30. lib. 3.* *Quibus cholera cõtingat.*

DISTINCTIO II.

De Cholera prognoſi.

CANON I.

CHolera morbus eſt acutiſſimus ſine febre fere, quæ vel vno die, vel altero, vel certe paucis diebus hominem rapit, ſubſtantia corporis effuſa partim aſſiduis vomitionibus, partim iiſdem deiectionibus. *Holler.* *Vt cholera morbus ſit longe periculoſiſſimus.*

II.

Terrifica cholera eſt, ſi præter vomitus & deiectiones bilis frequentiſſimas, defectus animi, ſudores exigui, ſitis, pulſus vermiculantes, muſculorumque manuum ac pedum, maxime vero ſurarum contractio & tenſio conſequantur. *Ex variis author.* *Lethalia cholera ſigna.*

III.

Nulli morbo minori momento ſuccurritur, quam choleræ. *Celſus.* *Vt cholera opem celerẽ poſtulet.*

IIII.

In vrinæ ardorem aliquando hoc malum tranſit, materia ad veſicam tranſlata. *Ex Bruel.* *Vt cholera vrinæ ardorem nonnũquã accerſat.*

DISTIN-

DISTINCTIO III.

De Choleræ therapia.

CANON I.

Quot remediorum generibus cholera curatio tentanda.

CVratio cholerę tribus remediorum generibus tentanda eſt, materiam noxiam dementibus, ventriculum roborantibus, & imminentia ſymptomata arcentibus. *Frambeſ.*

II.

Vt vomitoriis vtendum, & quibus.

In cholera initio vomitoriis vtendum leuioribus, non mordacibus ne fluxionem augeant, non oleaginoſis, ne ventriculum relaxẽt. *Ex Gal. & aliis.*

III.

Vt clyſteribus frequẽter vtendum, & quibus.

Clyſteres ſæpe & ſæpe in cholera iterandi, vt motus omnis deorſum fiat, initio qui morſum & acrimoniam humoris retundant, deinde fortiores paulo & vehementiores. *Duretus.*

IIII.

Quando adſtringentium vſus ſit tempeſtiuus.

In cholera ſtypticis non vtendum antequam vitioſi humores aut vomitu aut ſeceſſu magna ex parte ſint expulſi, niſi ſyncopes aut conuulſionis periculum impendere videatur. Dandaque opera vt prius ſiſtatur vomitus, diutius vero fluere ſinatur aluus, ſed moderate, vt citra virium noxam maligni humores ſenſim per inferiora penitus euacuentur. *Ex Græcorum & Arabum decretis.*

CONSVLTATIO

De Cholerica affectione.

Dignotio. c. 4. d. 1. t. 1. l. 3.

CVm pungens atque erodens dolor, tormina & nauſea repente Dominum Baſſompetræ inuaſerint, hiſque proxime ſucceſſerint vomitus & deiectio ſimul, iam per plures horas perſeuerantes, illum Cholera morbo affici luce meridiana clarius eſt. Χολέρα quippe eſt immoderata perturbatio ventriculi magno impetu quod ſibi moleſtum eſt, ſuperne & inferne excernentis. Hanc excitarunt partim alimenta praua, facile putreſcentia, concoctu difficilia, ac tarde permeantia acribus permiſta, acetaria videlicet, lucanicæ ex carnibus porcinis ſale & gingibere conditis confectæ, inteſtina ſuilla ſanguine, cæpis, pipere

c. 2. d. 1. t. 1. l. 3.

pipere & pinguedine infarcta, capo senior minutatim concisus, sinapi, sale & pipere conditus, caseus Parmezantinus, quibus hesterno die à longa equitatione esuriens vberrime vsus est: Partim humores vitiosi tum biliosi in corpore redundantes ratione calidioris & siccioris temperamenti, floridæque ætatis, vinique generosi antea liberalius ingesti, tum pituitosi exuperantes propter hyemem præcedentem ac pomacium pyraciumque quibus non ita pridem in exercitu Normaniæ prope Rothomagum immodice & intempestiue nobis inuitis, ad hepar calidius refrigerandum, (vt contendebat) vsus est. Ab his enim eduliis crudis in ventriculo remanentibus, ac propter humiditatem acrimoniæ iunctam putrescentibus, cum neruosæ partes vellicarentur, fluxiones acrium humorum ex toto corpore in ventriculum & intestina irruentium proritatæ sunt, stomachum, pylorum & orificia vasorum quæ ad ventrem pertinent mordicantes, vnde vomitus & deiectio & tormina. Quod ad *Prognosim* attinet, cholera profecto morbus est acutissimus, quilicet sine febre sit, sæpe tamen vel vno die vel altero, vel certe paucis diebus hominem rapit, substantia corporis effusa partim assiduis vomitionibus, partim deiectionibus. Adde quod præter vomitus & deiectiones bilis frequentissimas, vnde contrarij duo motus sequuntur naturæ admodum infensi, deliquia animi, pulsus vermiculantes, sudores exiguos, ructus nidorosos, sitim, vigilias, in musculis manuum ac pedum maxime vero surarum contractiones, quas vulgo *gouttes crampes* nominant, & alia id genus symptomata periculosa, si paulo diutius duret, inducat. Quamobrem accurata opera danda est, vt confestim & sine mora Domino grauiter laboranti succurratur. Neque enim vlli morbo (vt ait Celsus) minori momento succurritur. Curatio tribus remediorum generibus tentanda est, materiam noxiã dementibus, ventriculum roborantibus, & imminentia symptomata arcentibus, Materia vero noxia demenda primum vacuatione, deinde reuulsione. Quæ enim supra infraque erumpunt superuacanea, naturæ admodum infensa cum sint, non cohibenda sed euacuanda sunt. Alioqui malum quod procreant summouerihaud potest. Quocirca vomitus non est quamprimum sistendus; imo potius quia grauissimum naturæ negotium facessit, statim in principio iuuandus, digito aut penna ori indita, vel vomitorio ex *decocti hordei* ℔ ß. *& syrupi acetosi simpl.* ℥ ij. tepide dato, quod nec materiam

c.16.d.1.t.1.l.1.

c.18.d.1.t.1.l.1.

Prædictio.

c.1.d.2.t.1.l.3.

Curatio.

c.3.d.1.t.1.l.3.

c.1.d.3.t.1.l.3.

c.2.d.3.t.1.l.3.

nouam attrahet, nec repertam fouebit, sed temperabit & vacuabit. Nec enim hic aqua mulsa conuenit, quod mordacitatem operetur, ac proinde torsiones augeat, fluxionesque prouocet, nec oleum vllum, quod ventriculum & intestina relaxet. Mox opitulandum naturæ deorsum reptantem materiam per aluum non sine molestia deturbanti, tum enematis ex iis quæ humorum acrimoniam retundunt, vt ex *lacte, oleo violato, saccharo & vitellis ouorum* comparatis, sæpe iteratis, vt materia noxia quæ ad stomachum vsque etiam fertur, vt aluum tota reuocetur & auertatur, vt motus denique omnis deorsum ducatur, quia longe conuenientior locus est expurgandæ materiæ noxiæ: tum Catharticis blande materiam peccantem deiectione subducentibus, vt potione aluum nequaquam lubricante, ex dosi decoctionis *corticum myrobala. citr. & granorum berberis an. ʒ ij. seminum acetos. portulac. ana ʒ j.* in qua infundatur *rhei el. ʒ j. cũ paulo cinamomo*, in express. dissoluatur eiusdem *rhei puluerati ʒ ß. syrupi rosat. ʒ j. vel pilulis ex rheo, aloe, mastiche, myrobalanis*: vel *bolo ex cassia ʒ vj. & rhei ʒ j.* ad acrimoniam humorum vna demulcendam. Vbi materia maiori ex parte fuerit euacuata, tum auertenda erit ligaturis dolorificis coxarum & cubitorum, frictionibus validis earundem partium, cucurbitulis magnis dorso scapulis, regionique mediæ inter vmbilicum & stomachum affixis, nonnunquam etiam splenis iecorisque regioni applicatis. Balneo etiam dulcis aquæ calentis ad cutim trahente, cum discussa crudit as fuerit. Postea roborando ventriculo ac supprimendæ choleræ omnino intendendum, adstringentibus tũ sumptis, tum admotis, tum iniectis. Sumptis, vt *syrupis rosarum siccarum, cydoniorum, myrtillorum de granatis, de limonibus, de mentha, de absynthio*, per se ex cochleari exhibitis, nec in aqua dissolutis, metu relaxationis ventriculi à nimia humiditate, quem tum adstringere oportebit: *lulepo rosato succi granatorum* portioni dimidiæ permisto, breuibus interuallis ex cochleari dato. Vino generoso, odorifero non mero, sed diluto aquis *aurata, argentea, vel chalybeata*. Nam Trallianus sola vini potione multos præter spem euasisse scribit. Item opiata quam hic in promptu habemus, ex *conseruis rosarum, mentha, absynthij, bugloßi, oxyacantha condita, corticibus citri conditi, myua cydoniorum, saccharo rosato*, electuario *trionsantalon, cinamomo, caryophill. nuce moschat. corall. rub. corn. ceru. margarit. præpar. fragmentis lapid. pretios.* cum *syrupis mentha, cydoniorum, & limonum*, ex præscriptione mea,

a. 41. d. 3. t. 1 l. 3.

c. 3. d. 3. t. 1. l. 3.

mea, pro Domino meo Vaudemontano parata, ad quantitatem craſſioris fabæ data. Nec non & trochiſcis *Rhaſis, ex maſtiches, boli Armen. thuris, ana* ʒ ij. ß. *carabe, cardamomi an.* ϑ ij. *caphuræ gallicæ moſchat. caryophill. an. Gr.* v. cum *ſucco granatorum* factis, quorum vnus *pond.* ϑ iij. datur, ſuperbibendo ʒ j. *ſucci granatorum*, vel *ſyrupi cydoniorum*, vel ſimilis. Exterius admotis, vt epithematis *ex ſantalorum, roſarum rub. ana* ʒ ij. *cinamomi* ʒ j. *gallicæ moſchatæ* ʒ ß. *caphur.* gr. vj. cum *aquæ ſtillat. roſarum* ʒ iiij. *ſucci menth. & abſynth. an.* ℥ j. *vini auſteri odoriferi & aceti ana* ℥ ß. in quibus panniculi merſi & expreſſi toti ventriculo applicentur. Oleis *roſarum, cydoniorum, myrtillorum, & nucis moſchatæ* circa regionem ventriculi illitis. Scu o *ex maſtiche, carne cydoniorum & cerato Gal. ſtomachico, oleo myrtino* exceptis, regioni ventriculi admoto. Dropace ex quatuor partibus *picis & olei cydoniorum* vna ſimul liquatis, & extenſis in aluta ventri impoſito. Nam conſenſus eſt veterum medicorum (inquit Holerius) dropaciſmum ventri impoſitum, ſingulare eſſe remedium aſſidue vomentibus. Iniectis, vt clyſteribus ex *decocto capitum papaueris, ſeminum lactuc. intyb.* addito *amylo*, qui præterquam quod humorum motum ſiſtunt, ſomnum quoque accerſunt. Prouidendum denique ſymptomatibus ſæuiſſimis ingruentibus atque imprimis ſyncope ex inanitione impendenti occurrendum aſperſione faciei cum *aqua frigida, aqua roſarum*, adiecto *vini odoriferi modico & moſchi* momento: odoratu *mali granati, & aceti roſacei*: ſuctu *medullæ panis vino* imbutæ. Atq; omnino conſulendum viribus collabentibus, partim odoribus, partim alimentis, partim medicamentis, vt *pane aſſato, vino immerſo, & caryophyllorum puluere aſperſo*, primum odorato, deinde manducato, carne *perdicularum, pullorum gallinaceorum, & columbinorum, montanarum auicularum, baculis myrti, rubi, cinamomi, aut caryophillis confixa, aſſa, atque ſucco arantij, vel omphacio, aqua roſarum, vino auſtero odorifero* conſperſa, primum quidem calida & fumo plena ægri naribus admota, dein ſucco inde tortiuo prælo expreſſo ad ſorbendum dato. Gelatina cum *ſucco granatorum* deſtillata. Hordeato cum *aqua roſarum & ſaccharo ouis ſorbilibus: malis cotoneis, meſpylis, ſorbis vino auſtero aqua chalybeata diluto.* Condito *foliis auri obducto*, ex *carnis cydon.* ℥ ij. *conſeru. roſar.* ʒ j. *myrobal. condit. n. ij. corall. rub.* ʒ ij. *margarit. præpar.* ʒ ß. *fragmentorum lapid. pretioſ. an.* ϑ j. *boli Armen.* ʒ j. *ſacchari roſat. tabul. q. ſ.* quo breuibus interuallis vtatur ex cochleari.

Si ex inanitione ſpaſmus accidit, *oleo anethino, aut irino*, cui adiectum ſit aliquid *caſtorei, ſpina, muſculi conuulſi* & articuli illinendi, atque iiſdem oleis imbuta linamenta partibus contractis circumponenda. Si vigiliæ torquent, ſomnus conciliandus *decocto ſeminum lactuc. intybi cucumeris, cucurbitæ, cum ſyrupo cydoniorum vel roſato*, & illitionibus ſoporiferis circa frontem adhibitis. Si vrget ſitis, ſemina *cucumeris in aqua*, Hollerij conſilio, maceranda erunt, donec intumeant, tum exteriori cortice detracto decoquenda aqua vbi refrixerit propinanda. Hæc igitur præſidia ſunt, quorum adminiſtratione perfectam morbi curationem futuram ſpero.

Hæc conſulebat Frambeſarius pro Clariſſ. D. Baſſompetræ apud Hanſurofam in agro Namurcenſi, menſe April. anno 1592. laborante.

TITVLVS IV.

De Alui profluuiis.

Diſtinctio 1. qua continentur diagnoſtici canones.

CANON I.

Vt multiplex alui fluor.

LEienteria, cœliaca affectio, diarrhœa, dyſenteria immoderatas alui fluxiones ſignificant, ſed vt hominibus, ita natura & cauſis diſtinctas. *Hollerius.*

II.

Quid lienteria, quibuſq; indiciis ab aliis alui profluuiis diſtinguatur.

Λειεντερία ἐστὶ ταχεῖα διέξοδος τ ἐσθιομένων τε καὶ πινομένων, τοιούτων ὑποχωρούντων ὁποῖα κατεπόθη. Lienteria eſt velox exitus eorum quæ comeduntur ac bibuntur, quæ talia deiiciuntur, qualia deuorata fuere: vel ſi magis breuius definire, στέρησις πέψεως ἐστὶ, ὅτε κατὰ χροιὰν, ὅτε κατὰ σύστασιν, ἢ ὀσμὴν, ἢ ὅλως ἠλλοίωται ποιότης γινομένης ἐν τῇ γαστρὶ μεταβολῆς τῶν σιτίων, priuatio coctionis eſt, cum neq; ſecundum conſiſtentiam, neq; ſecundum colorem vel odorem, vel vllam omnino qualitatem in ventriculo facta fuerit mutatio ciborum. *Gal. in aph. 1. l. 6.* Huic igitur duo propria ſunt, quibus facile diſcernitur ab aliis, nempe alimenta celeriter poſtquam ſumpta ſunt, per aluum reddi, & mutationem fere nullam coctione adepta eſſe *Hollerius.*

III.

Quotuplex lienteria.

1. Lienteriæ ſpecies.

Duplex lienteriæ ſpecies, vna ob imbecillitatem retentricis orta à ventriculi laxitate, quam immodicus rerum pinguium vſus induxit, aut ab intemperie vel ſimplici, eſculentorum & potulentorum refrige-

refrigerantium immoderato vsu contracta, vel cum materia frigida, crassa & lenta rugosas ventris partes ita replente, vt inducta lævitate cibus celeriter effluat. Vnde λειεντερία quasi λειότης τῶν ἐντέρων lævitas intestinorum nuncupata est. Altera ob irritationem excretricis à materiæ multitudine, vel acrimonia, aut exulceratione nata. In illa autem lienteria quæ accidit propter retentricis imbecillitatem, absque vllo doloris sensu fiunt deiectiones: in hac vero quæ ob irritatam excretricem, erosionis sensus ac mordicans dolor percipitur, cum deiectiones fiunt, ac cruentæ præterea cernuntur si ab exulceratione malum proficiscatur. Si vna species ab alia discernitur. *Follerius & Altomar. ex Gal. & alijs Gracis author.* *Quibus notis internoscantur.*

IIII.

Quum excrementa nec statim post cibi assumptionem, nec cruda omnino egeruntur, sed semicocta, læuia & æqualia quasi chyli aut cremoris specie profluunt, cœliaca affectio est. Huius causa non cruditas est, non imbecilla ventriculi concoctio, sed chyli imperfecta malaque distributio, quam mesenterij, lienis aut iecoris obstructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum, maximeque fructuum fugacium & potus immoderata copia peperit. Hæc enim distribui tota nequit, sed maxima ex parte in abdomine subsistit. *Ex Fernelio.* *Quid cœliaca affectio.* *Eius causa.*

V.

In medicina facienda, tria imprimis cognito morbo spectanda sunt, an sit obstructio in venis mesaraicis, an humor acer aut pituitosus, & an à capite fluat. Obstructionem indicabunt præter cætera grauitas in hypochondriis, excrementa chylosa, vrinæ tenues. In acrimonia & exulceratione, cuiusdam morsum inerit sensus. In imbecillitate deiectio nullum dolorem efficit: humorem autem è capite defluere Hippocrates colligit ex spumosis excrementis: Quibus (inquiens aph. 30. lib. 7.) in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit. Sed alia signa adiicienda sunt ex his quæ circa caput apparent, vt grauitas, multitudo sputi, quod mane & noctu vehementius fluat, æger sit somnolentus, pituita defluente ad ventriculum molestiam quandam sentiat, & similia. Acidi ructus in principio demonstrant pituitam in ventriculo, aut frigidam intemperiem. *Hollerius.* *Quæ hic ad perfectam diagnosim consyderãda. Quibus notis dignoscatur an sit obstructio in venis mesaraicis.* *An humor acer, aut pituitosus, & an à capite fluat.*

VI.

Quid diarrhœa. Diarrhœa quamquam dici poteſt omne alui profluuium, id tamen proprie deſignat, quo humores defluunt ſynceriores: vel permixti, ſine vehementi ſenſu doloris. Alias enim ſeorſum pituita, alias bilis flaua, alias atra purior apparet, alias permiſti humores in aluum erumpunt. *Ex Fernel. & Portuo.*

VII.

Quid dyſenteria proprie dicta. Quid improprie dicta, & quotuplex. Quid hæmatera. Quid hepatera. Cur praeter has duas impropria dyſenteria differentias tertia non conſtituenda. Dyſenteria proprie eſt cruenta alui deiectio ab inteſtinorum exulceratione profecta cum dolore & ventris torſione. Vnde & hanc Latini tormina nuncuparunt. Dyſenteria vero improprie dicta vbi cruor non à læſis inteſtinis, ſed per illæſa inteſtina citra dolorem delicitur, duplex eſt, αἱματηρὰ cum ſanguis per circuitus quoſdam emanat, iis quibus artuum aliquis eſt abſciſſus, vel qui exercitationem dimiſerunt ſuperueniens: & ἡπατηρὰ, vbi ob hepatis imbecillitatem ſanguis aquoſus loturæ carnium haud abſimilis per aluum elabitur. Tertia quippe deiectionis cruentæ ſpecies, qua ſanguis melancholicus & ſplendens excernitur, à Galeno 3. de ſympt. cauſis diſtincta, ſi per venas meſentericas fiat, ad hæmateram refertur: ſin per hæmorrhoidas ano inſertas, dyſenteria nullo modo dici debet, cum nec ab inteſtinis, nec per inteſtina procedat. In dyſenteria improprie nuncupata multus ſanguis cõfertim excernitur: in proprie dicta paulatim & per breuia interualla cruoris excretio fieri ſolet. *Frambeſarius.*

VIII.

Vt dyſenteria propria ab improprianoſcatur. Vt tres veræ dyſenteriæ gradus diſtinguãtur. Tres dyſenteriæ diſtinguuntur gradus, qui vlceris magnitudinem deſignant, primus cum billioſa vel atra, vel mucoſa vel varia omnino mordacia corpora, eaq; vel adipoſa vel nullo adipe conſperſa vel ſubcruenta, vel nondum cruore perfuſa cum torminibus excernuntur: Secundus cum inteſtinorum ramenta quædam, abraſa eorum ſuperficie interiore membranoſa, cum ſanguine vel ſanie deiiciuntur: Tertius cum alius penetrante ac depaſcente vlcere ipſamet carnoſa inteſtinorum ſubſtantia putris vel exeſa procidit. *Ex Gal. Aetio, & aliis author.*

1.
2.
3.

IX.

Quibus notis interno Si cruor & ramenta fœcibus alui exquiſite permiſceantur, nec vllo adipe conſperſa cernantur, nec ſtatim à dolore reiiciantur, in ſuperioribus tenuioribuſque inteſtinis eſt exulceratio: Sin autem illa reliquis excre-

excrementis pura ſupernatent, nec vniuerſa miſceantur vniuerſis, multaque pinguedine conſperſa videantur, ac eadem ſtatim à dolore excernantur, atque infra vmbilicum dolor ſentiatur, aſſiduaque deſidendi cupiditas infeſtet, inferiora craſſioraque inteſtina vlcere depaſcuntur. *Ex Gal. & aliis auth.*

ſcatur vtrũ in tenuioribus, an in craſſioribus inteſtinis dyſenteria conſiſtat.

X.

Dyſenteria ab omni humore acri & mordaci ſiue à toto corpore, ſiue ab aliqua eius parte ad inteſtina confluente, ſiue in ipſis genito excitari poteſt, vt à flaua vel atra bile, vel pituita ſalſa. A quo autem horum contracta ſit, diſtingues tum ex ægrotantis temperamento, ætate, anni tempore, vita anteacta & ſimilibus, tum ex qualitate eorum quæ excernuntur. *Ex Altomar.*

Quibus ſignis dignoſcatur à quo humore dyſenteria excitetur.

XI.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς. Balbi longo alui profluuio maxime corripiuntur. *Hipp. aph. 32. l. 6.* Contingit enim iis qui ſunt balbi natura, vt vel cerebrum humidum habeant, vel linguam vel vtrumque. Et à cerebro quidem talem temperaturam ſortito defluere multas par eſt humidas ſuperfluitates, eaſq, inde fluentes in ventrẽ ſuſcipi, longiſque ideo profluuiis hominem capi: lingua vero admodum humida ex natura exiſtente, & ventriculum talem eſſe par eſt, vt qui alteram ſui tunicam communem habeat cum lingua. Imbecillis autem ex humiditate ventriculi paſſio eſt diuturnum profluuium. *Galenus.*

Vt balbi diarrhœa ſint obnoxij.

XII.

Τοῖς παρακμάζουσι διάῤῥοιαι χρόνιαι, λειεντερίαι. Ætate declinantibus longa alui profluuia, & lienteriæ accidunt. *Ex Hipp. aph. 30. l. 3* Diuturniora autem in declinantibus ventris profluuia contingunt, propter defectum anadoſeos, id eſt diſtributionis alimenti. Nam omnium fere ætatum ἡ παρακμαστικὴ ea quę iam declinat paucis indiget ad corporis habitum aſſumendis. Siquidem & id quod ex ipſis reſoluitur, pauciſſimum eſt. Neque enim corpus ſimiliter calidum eſt vt prius, neque amplius in augmentum quicquam abſumitur. Non enim quod vis retentrix valde imbecilla ſit vt in ſenibus, plus aliquid ex corpore defluit. Sed quia ventris profluuia coctione vel diſtributione alimenti fruſtratis accidunt, aut propter acrimoniam bilis inteſtina abradentis: hæcque omnia in declinantibus ſunt, non ſine ratione in eis alui

Vt ætate inclinantibus diarrhœa & lienteria maxime contingant.

profluuia diu perſeuerant. Lienteriæ vero declinantibus accidunt, quia vel à frigida pituita, vel à ſola intemperie quæ ventris retentricem vim imbecillorem reddit, vel ab vlceroſa diatheſi contrahuntur, quæ omnia ætate inclinantibus exuperant. *Gal.*

XIII.

Vt iuuenibus & declinantibus dyſenteria.

Dyſenteriæ nihilominus iuuenibus quàm declinantibus accidunt, occaſionem ſui ortus ex flaua bile capientes. *Gal. in aph. 30, l. 3.*

XIV.

Cur diarrhœa pueris dentire incipientibus accidat.

Αἱ διάῤῥοιαι συμβαίνουσι τοῖς παιδίοις ὀδοντοφυοῦσιν ἤδη, διὰ τὸ μὴ πέττεσθαι καλῶς τὴν τροφὴν, μήδε ἀναδίδοσθαι. Alui profluuia accidunt pueris iam dentire incipientibus, quoniam alimentum non bene concoquitur, neque diſtribuitur, propter febres, inflammationes, conuulſiones, vigilias, atque dolores ex perforatis gingiuis à dentibus prodeuntibus ſuperuenientes. *Ex Hipp. & Gal. aph. 25 l. 3.*

XV.

Quomodo & quibus dyſenteria accidant æſtate.

Ην ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τὸ θέρος δυσεντερίας γίνεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγρὰς ἔχουσι τὰς φύσιας. Si hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver vero pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate dyſenterias fieri, præſertim mulieribus, & viris natura humidioribus. *Hipp. aph. 11. l. 3.* Si humores in corpore redundantes ac propter caliditatem & humiditatem putreſcentes per ventrem euacuentur. *Galenus.*

XVI.

Vere,

Ην νότιος ὁ χειμὼν, καὶ ἔπομβρος καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον δυσεντερίαι γίνονται. Si auſtralis hyems & pluuioſa & tepens fuerit, ver vero ſiccum & aquilonium, dyſenteriæ fiunt. *Hipp. aph. 12. l. 3.* τοῖς φλεγματώδεσι καὶ ταῖς γυναιξὶ, φλέγματος ἀπὸ τῆς κεφαλῆς εἰς τὴν γαστέρα καταῤῥέοντος, pituitoſis & mulieribus, pituita nimirum à capite in ventrem defluente. *Galenus.*

XVII.

Vt diarrhœa pluuioſo cœlo fiant.

Ἐν τῇσιν ἐπομβρίῃσι κοιλίης ῥύσιες γίνονται. In pluuiarum multitudine alui profluuia fiunt. *Hipp. aph. 16. l. 3.* In temporibus quippe pluuioſis alui profluuia euenire rationi conſentaneum eſt, ex humorum περισσίᾳ, id eſt ſuperabundantia per aluum expurgata. *Galenus.*

XVIII. Τῷ

XVIII

Τῷ θέρεος ἀλλοῖαι. Æstate alui profluuia, τῆς χολῆς κάτω χωρέσης, bile ad inferiora defluente. *Ex Hipp. & Gal. aph. 21. l. 3.* *Æstiuoque tempore.*

XIX.

Τῷ φθινοπώρῳ λειεντερίαι καὶ δυσεντερίαι. Autumno lienteriæ & dyſenteriæ, *Hipp. aph. 22. l. 3.* Lienteriæ enim ſunt ſine aliqua tranſmutatione ciborum excretiones, aut propter exulcerationem in ſuperficie ventriculi aut inteſtinorum, quæ eodem modo fit, quo in pueris aphthæ, vel propter retentricis imbecillitatem. Quorum primum ex mordacibus & ſubſtantiam tenuem habentibus humoribus fit: ſecundum vero ex magna ventriculi atq; inteſtinorum prouenit intemperie: hæc autem ambo maxime autumno fieri contingit. *Galenus.* Sic & dyſenteriæ ab acribus humoribus autumno exuperantibus excitantur. *Vt autumnali lienteria & dyſenteria.*

XX.

Alui profluuia vel ſymptomatica ſunt vel critica. Si autem delectio aquoſa crebro & paulatim fiat, aut vniuerſim & ſæpe, ac cum ſtridore, grauiſſimoq; dolore, ſymptomatis ratione obtinebit, ac ſymptomatica erit, natura non per ſe expurgante, ſed ex aliquo irritamento ſtimulata. Neq; inde vtilitas vlla prouenit, imo talis euacuatio prauæ diſpoſitionis erit ſignum, vt liquet com. in aph. 2. l. 4. Idque potiſſimum vbi in principio apparuerit, nulla concoctione præcedente, & in febribus. At ſi multo interpoſito tempore ac vniuerſim citra ſtridorem cum exiguo aut nullo dolore humor excernatur, præceſſerintque coctionis ſigna, ac analogo corporis diſpoſitioni fuerit alui deiectio, ægerque facile toleret, & iuuetur, ex tali euacuatione leuius ſe habens, virtuſque robuſtior euadat, tunc bonæ ſecretionis indicium erit. Quia natura expellit per ſe atque expurgat noxios humores redundantes qui corpus infeſtabant. *Altomarius.* *Quibus neutu interneſcatur vtrũ alui profluuia ſint ſymptomatica vel critica.*

DISTINCTIO II.

Qua continentur prognoſtici canones.

CANON I.

Ἐν τῇσι παραχῇσι τῆς κοιλίης καὶ τοῖς ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωντα, ξυμφέρει τε καὶ διὰ φόρου φέρεσθαι. *Alui profluuia cum vtilia, & cum noxia ſint.*

φασιν. ἢν ᾖ μὴ, τ' ἐναντίον. In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leniter ferunt: ſin minus, contra. *Hipp. aph. 2. l. 1.*

II.

Vt in alui profluuiis excrementorum mutatio iuuet.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τ' ἀφχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ. In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat, *Hipp. aph. 14 l. 2.* Quia mutationes excrementorum quæ multas humorum formas educunt, exquiſitius corpus expurgant. *Galenus.*

III.

Vt lienteria oxyregmiã ſuperuenire bonum.

Ἐν τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγιγνομένη μὴ πρότερον γινομένη σημεῖον ἀγαθόν. In longis læuitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui prius non erat, ſignum bonum. *Hipp. aph. 1. l. 6.* Acidus quippe ructus; quia ob quamdam ex frigida intemperie vel pituitæ in ventriculo abundantia imperfectam coctionem excitatur, nondum proſtratas eſſe vires, ſed aliquo tempore cibos retineri, & velut initium quoddam coctionis fieri demonſtrat, ac boni proinde aliquid portendit. *Ex Galen.*

IV.

Vt lienteria ab humorũ acrimonia, diutius perſeuerans in dyſenteriã tranſmutetur. Ac nõnunquam in tabem.

Lienteria quæ fit abraſa ab humorum acrimonia ventriculi atque inteſtinorum ſuperficie, ceſſante humorum malignitate, ſtatim ſanatur cibis ac potibus qui vim adſtringendi habent. Quod ſi longiori tempore perſeueret, in dyſenteriam tranſmutatur. *Galen. in aphor. 1. l. 6.*

V.

Lienteria cum ſpirandi difficultate & lateris punctura in tabem deſinit. *Altom. ex Hipp.*

VI.

Vt cœliacã affectionem diutius perſeuerantem atrophia cõ ſequatur.

Cœliaca affectio ſi diutius prorogabitur, neceſſario atrophia conſequetur, propter diminutam in corpus alimentorum digeſtionem. *Altomarius ex Gracorum ſent.*

VII.

Quid deiectionis quãtitas deſignet.

Quoties maior fuerit excretio, minor erit concoctio. Si magna fiat concoctio in ventriculo, deiectio erit minor: quia maxima pars hepati diſtribuitur, ac plus deſcendit in veſicam, quàm in ventrem. *Montuus.*

VIII. Vno

VIII.

Alui profluuium quando ſalutare, quando periculoſum.

Vno die fluere aluum, ſæpe pro valetudine eſt. Atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur. Verū ſpatium periculoſum eſt. Interdū enim tormina ac febriculas excitat, vireſque conſumit. *Celſus.*

IX.

Quando curatu difficile.

Alui profluuij curatio in febribus difficilior eſt. *Trallianus.*

X.

Vt grauida abortū portendat.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτιτρώσκει. Mulieri vterum gerenti ſi aluus multum profluat, periculum eſt ne abortiat. *Hippocr. aph. 34. l. 5.*

XI.

Vt longo alui profluuio vomitum ſuperuenire bonum.

Τὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγιγόμενος λύει τὴν διαῤῥοίην. Longo alui profluuio laboranti ſpontaneus vomitus ſuperueniens, morbum ſoluit. *Hipp. aph. 16. l. 6.* ἡ δ' ὠφέλεια τῷ τῆς ἀντιστάσεως λόγῳ, vtilitas vero prouenit retractionis ratione. *Gal.*

XII.

Vt dyſenteria adhuc incipiens ſit curatu facilis.

Dyſenteria quæ adhuc fit mordaci humore abradente ac abſtergente inteſtina, ita vt quædam corpora pinguia duntaxat excernantur, facile curari poterit, ablata cauſa ipſam faciente. *Altom. ex Gal. 1. de loc. aff.*

XIII.

Vt quæ ad extremum magnitudinis gradū perducta eſt, lethalis ſit. Vt quæ ſecundum magnitudinis gradū adepta eſt, nec curatu facilis, nec incurabilis.

Ην ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὀκοῖαι ἂν σαρκὲς ὑπονοχωρήσωσι, θανάσιμον. Si dyſenteria laboranti veluti caruncullæ deiiciantur, lethale. *Hipp. aph. 26. l. 4.*

Nam neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci in tali poteſt exulceratione. *Galenus.*

XIV.

Dyſenteria in qua velutiramenta quædam inteſtinorum excernuntur, eorum ſuperficie interiori abraſa quæ membranoſa exiſtit, nec adeo prompte curari poteſt, ſi ac ſi corpora duntaxat pinguia ſecedant, nec prorſus incurabilis, ac ſi caruncullæ deiiciantur. *Altomar. ex Gal.*

XV.

Vt dysenteria in crassioribus intestinis cõsistens curatu facilior, quam qua in tenuioribus.

Dysenteria in intestino recto vel colo consistens, curatu facilis. In tenuibus vero intestinis maximeque in ieiuno difficulter curatur. Ex *Aetio.*

XVI.

Ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι κακὸν ϗ ξὺν πυρετῷ κάκιον. In longis dysenteriis cibi fastidium malum, & cum febre peius. *Hipp. aphor. 3. l. 6.* quia vel aliqua circa vlcera putredo, vel magna inflammatio adest. *Galenus.*

Vt in longis dysenteriis fastidiũ cibi, malũ.

XVII.

Δυσεντερίη, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον. Dysenteria si ab atra bile incipiat, lethalis. *Hipp. aph. 24. l. 4.* Dysenteria quippe ab atra bile facta incurabilis plane est, quod nihil ab atra exulcerato cancro differat. Si enim corporis superficie consistens eiusmodi cancer vix curatur, aut omnino curationem non recipiat, licet impositum sibi remedium semper habere queat, eum profecto qui occupauit intestina non solum quia medicamentum continenter adhærescens habere non potest, sed quod alimenti præterea excrementorum contactu perpetuo irritetur, insanabilem prorsus remansurum rationi est consentaneum. *Galenus.*

Vt dysenteria ab atra bile incipiens, lethalis.

XVIII.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν. A syncera deiectione, dysenteria malum. *Hipp. aph. 23. l. 7.* Synceras deiectiones appellat impermistas aquosæ humiditati. *Galenus.*

Vt à syncera deiectione, mala.

XIX.

Vt quæ à pituita oriuntur, periculosa.

Vbi à pituita salsa longiori tempore intestina mordente atq; abradente, orta dysenteria fuerit, crudelissima existit. *Ex Gal. aph. 12. l. 3.* ac propterea periculosior, q̃ si fiat ex bilioso humore. Nã bilios⁹ humor transeundo affligit. Pituita autem cum sit lenta moram trahit, & sua cunctatione amplius exulcerat. Non tamen ita exitialis est, vt ea quæ ex atra bile oritur. *Altomarius ex Galeno.*

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

Alui profluuia vt methodo curanda.

AD profluuia alui curanda, profluens materia prius euacuanda est, quàm de aluo stypticis remediis cohibenda cogitetur. Nam adstringentia initio vsurpata vitiosam materiam prohibent ne effluat, eaque

eaque prohibita regurgitat in partes superiores: hinc grauior febris incenditur, inflammationes, conuulsiones, & epilepsiæ fiunt. Adde quod abstringentia intestinorum vlcera exasperant. Sed adstringentium tempestiuus vsus est iam vacuata in totũ vel magna ex parte vitiosa materia, quoque tempore iam excernitur cum vitioso frugi succus, & inde virium casus metuitur. In adstringentibus autem quæ leuius id præstant meliora sunt, deinde ad fortiora progredi licet. *Hollerius.*

Vt adstringentia initio vitanda.

quando.

& quæ ex vsu sint.

II.

Vbi profluuium alui diutius perseuerauerit vires consumens ac habitum colliquans, tunc sane ei resistere oportet adstringentibus remediis tum sumendis, tum iniiciendis, tum admouendis. *Alt. ex Aëtio & Trall.* Nam cum euacuatio modum excedit, cohibenda aluus est. *Paulus.*

Vt in alui profluuio diutius perseuerante adstringẽtia modis omnibus vsurpãda.

III.

Si criticum fuerit alui profluuium, minime sistendum, ne materia in aliam partem conuersa, prauos alios affectus generet, veluti phrenitim, aut lethargum, aut paralysim: imo & naturæ motus erit adiuuandus, præsertim si segnis in euacuando fuerit, nec integre videatur iudicare *Alt. ex Græcorum sententia.*

Vt criticũ alui profluuium nequaquam sistendum.

IIII.

Vbi alui profluuium ortum fuerit natura non per se corpus expurgante, sed propter aliquod irritamentum, aut quod præ multitudine redundantes succi à vasis non contineantur, ita vt quicquid excernitur symptomatis ratione fit, neque inde vlla proueniat corpori vtilitas, imo talis euacuatio prauæ dispositionis sit signum, potissimum si cum febre copuletur, siue simul cum ea inuadens, siue eam præcedat, siue sequatur (circa initia tamen) tunc nec totum naturæ permittendum erit negotium, nec ipsam iuuare oportebit. Quinimo ipsum alui profluuium cohibere necessarium erit, iuxta Hipp. decretum aphoris. a. l. 4. Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα ἢ αὐτόματα ἰόντα, χρήσιμα τὰ δ' ἐναντίως ἰόντα, πτύειν. In medicationibus talia educere è corpore, qualia sponte prodeunt, vtilia: quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Neque enim in hoc imitari naturam debemus, cum eius euacuatione nulla proueniat corpori vtilitas. Qua

Vt symptomaticum alui profluuium cohibendum.

Vt ad humorem fu-

peruacaneum ad ventrem confluentẽ reuellendũ aluique profluuiũ cohibendũ detrahendus sanguis. Et quæ ex vena. & quomodo.

de re, vbi vires aut ætas non prohibent, in hoc alui profluuio audacter vena secanda erit, vt & ipsum alui profluuium cohibeatur, ac qui confluunt ad ventrem redundantes succi reuellantur, cum quo non oportet vergant. Ex eiusdem Hipp. sententia 6. epid. cum dixit: Ἀντιστᾶν ἢν μὴ ᾖ δεῖ ῥέπῃ. Reuellere si quo non oportet vergant. Et si ex toto confluant succi, media vena secanda erit: si ex iocinore, interna dextri cubiti: si ex liene sinistra: si ex capite externa cubiti vena incidenda. Verum non tanta sanguis copia exhaurienda erit, quantam exigit dispositio, sed minor, & potius si oportuerit, iterari debet, quam simul multam sanguinis copiam educere. Et si quispiam obiiceret id aduersari sententiæ Galeni 4. de victus ratione in morbis acutis libro præcipientis: Μὴ ῥεούσης τῆς κοιλίης ἀφελεῖν τὸ αἷμα τος. ἐὰν γὰρ ὑπομένῃ μετὰ τὴν ἀφαίρεσιν ἀπορρέουσα, καταλύει τὴν δύναμιν. Fluente aluo sanguinem non detrahes. Nam si post detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternit. Respondebimus nos Galeni verba veritatem habere, aluo critice fluente, & non symptomatice. Nam si symptomatice fluxerit, venæ sectionem eum non prohibere asserimus. Quanquam etiam & de immodica sanguinis missione, immodicoque alui fluore, coctione vel distributione cessante etiam orto ibi loquatur. Id quod ostendunt eius verba, Nam si post detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternit. Quo casu neque nos talem consuleremus sanguinis missionem. Similiter eiusdē Galeni verba intelligenda sunt primo de arte cur. ad Glauc. conscripta: Quicumque enim iis (loquens de alui profluuio cum febre) plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt. Neque enim aluo fluente sanguinem mittere oportet, si id quod excernitur, fuerit naturæ ratione, ac exinde iuuetur animal. Velut etiam neque secanda vena erit, si alui profluuium adeo modum excesserit, vt vires prosternat. Vires etenim tunc eam prohibebunt, & eo magis, si eadem copiosa fieret. Verum vbi circa initia alui profluuij, præsertim cum febre coniuncti, exacte noueris naturam ex irritamento aliquo, aut ex multitudine grauatam per aluum excernere, neque exinde vtilitas proueniat animali, venam secabis, iam dictis Hippocratis authoritatibus fretus, ac etiam Galeni comment. in aph. 22. lib. 4. cum dixit: ὅταν ἄρχηται νόσημα τῶν ἐκκρινομένων ὑδὲν ἐκκρίνεται τῶν καῦτα τῷ λόγῳ τῆς Φύσεως, ἀλλ' ἔστιν ἅπαντα συμπτώματα τῶν ἐν τῷ σώματι παρὰ φύσιν διαθέσεων. ἐν ᾧ γὰρ χρόνῳ βαρυνό-

Quando venain alui profluuio non secanda.

Quando secanda.

Vt Galeni verba sint intelligenda.

licet Galenus phlebotomiam in alui profluuio prohibere videatur.

βαρυύεται μὲν ὑπὸ τῶν νοσωδῶν αἰτιώνη φύσις, ἀπεψία δ' ἐστὶ τῶν χυμῶν, ἐν τούτῳ κενεῦσθαι τὴ χρησῶς ἀδυνατον. εἴγε προηγεῖσθαι μὲν χρὴ πέψιν, ἀκολουθῆσαι δὲ διάκρισιν, εἶθ' ἑξῆς κένωσιν, ἵν' ἀγαθὴ γένηται κρίσις. Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia symptomata earum quæ præter naturam sunt dispositionum. Quo enim in tempore à causis morbificis natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari est impossibile. Siquidem oportet coctionem præire, subsequi vero discretionem & postea euacuationem, vt bona sit crisis. Nec illud ratio & authoritas duntaxat affirmant, verumetiam experientia ipsa comprobat. Nam cum fere annis viginti quinque in curandis ægris vacauerim, sæpiusq; mihi talia occurrerint præ manibus alui profluuia, cum venam secari iussissem semper ægris bene successisse cõspeximus, nec vnquam quidpiam mali superuenit. *Altom. capite de diarrhœa.*

Vt phlebotomia in alui profluuijs vtilitas experientia fuerit comperta.

V.

Vbi vitiosus succus à toto aut ab aliqua corporis parte ad huc ad intestina confluit ipsa exulcerans, priusquam vlceri succurratur, fluxio auertenda est, etsi auersio hæc non sit vlceris quatenus vlcus est curatio. ex Gal. decreto 4. meth. med. Qua de re qualiscumque fuerit vitiosus succus ad intestina exulcerata confluens, modo critica non fiat expulsio, viribus ac aliis consentientibus, venæ sectio in brachio adhibẽda erit, præsertim circa primos morbi dies. Et si febris adsit & totius corporis plenitudo, tutius sanguis mittendus erit, ex Tralliani sententia c. 6. & 7. l. 8. Sed venæ sectio paulatim administrari debet, vt ipse inquit, ita vt neque vniuersim neque copiose educatur sanguis, ne ægris vires imbecilliores hinc reddantur. Aëtius quoque c. 45. l. 9. vbi sanguinis impetus vehementer in dysenteria vrget, aut etiam si maxima subsit inflammatio, præsertim in iis qui multo sanguine abundant, & quibus consueta sanguinis excretio cohibetur, venam incidendam esse præcipit, si vires non resistant. Cæterum fissura omnino tenuis esse debet. Non enim ob multitudinem sanguinis vacuandam secatur vena, sed vt materia quasi per riuos transferatur. Paucus autem sanguis etiam multo tempore missus inflammationem mitigat, & sanguinis ad intestina confluxum reuellit, innatumque calorem sensim refrigerans, somnum magis quam animi deliquium inducit. Est quippe optimum remedium dysentericis somnus. Præterea vbi vehementissimus in-

Vt ad dysenteriam methodo curandam exulceratis humoris fluxio prius auertenda, quam vlceri succurratur. Vt ad auertendam fluxionem secanda vena, ac quando, & quomodo administranda phlebotomia.

mus infestauerit dolor, propter rodentium humorum acrimoniam ad intestina à toto vel aliqua corporis partium confluentium, & proinde verenda sit phlegmones generatio, aut virium defectus, cui absonum videbitur venam secari debere? cum Galenus in maximis doloribus nullum maius inuenerit remedium, quam vsque ad animi defectum venam secare, aut purgare, vt patet com. in aph. 23. l. 1. *Altomarius capite de dysenteria.* Huic subscribit Hollerius. Corpore bene carnoso (inquit) graui febre atque inflammatione, suppressa aliqua solenni vacuatione, vt hæmorrhoidum aut menstruorum, sanguine multo cum excrementis abeunte, consentiente ætate & viribus, vena secari potest. Reclamant autem Rondeletius, Montuus & qui barbaram sectantur medicinam, 1. quod phlebotomia vires prosternat ex Gal. authoritate. Sed Galeno præcedenti canone iam responsum est. 2. quod cacochymia dysenteriæ procreatrix non sanguinis missione, sed purgatione accommodata curetur. Sed demonstratum est reuulsionis non vacuationis gratia phlebotomiam administrari. 3. quod succorum mordacium dysenteriam procreantium malitia per sanguinis detractionem augeatur, vt Galenus & Aëtius monent. Sed id intelligendum de magna sanguinis detractione affatim ad euacuandum facta, non de parua sanguinis quantitate ex pluribus interuallis per epaphęresim ad reuellendum ducta. 4. quod phlebotomia bilem ex folliculo fellis fluentem non retrahat. Quasi vero bilis intestina exulcerans perpetuo ἐκ χύσ fellis, non ex aliis etiam corporis partibus defluat. *Frambesarius.*

Vt quiphlebotomiam improbant, vanis rationibus nitantur.

VI.

Fieri nequit, vt intestinorum vlcera curentur, manente adhuc ea quæ ipsa efficit aut auget causa. Itaque vitiosi humores dysenteriam adhuc efficientes aut augentes non vniuersim sed per epicrasim purgandi sunt, non vehementioribus pharmacis, sed mitioribus leuem quandam adstrictionem etiam habentibus, quæ insuper vlceri nocumentum non inferant. *Altomarius ex Græcorum sententia.* Nam solutum ventrem irritare non oportet iis quæ vehementius soluunt, ne postea materiæ impetum cohibere possis, vt monet Oribasius.

Vt necessario ad dysenteriæ curationẽ præscribẽda purgatio, quibusque pharmacis, & quomodo molienda.

VII.

Si in crassis intestinis vlcera fiant, iis quæ per sedem iniiciuntur remediis magis egent, quæ vero in tenuibus habentur ab epotis medicamentis

Vt dysenteria pro va-

camentis præsidium magis suscipiunt, vt patet apud Gal. 5. meth. med. & 6. de loc. aff. *Altomarius.*

ria sede affecta, diuersis egeat remediis.

VIII.

Medicamenta quæ ex opio, alterco, papauere nigro aut mandragora componuntur, vitari omnino debent, nisi forte maxime vrgeat necessitas, ex Tralliani sententia. Nam licet somno dolorem leuare videantur, & propterea aluus aliquandiu cohiberi conspiciatur, humores tamen in vnum collecti postea sine intermissione deiiciuntur, capiteque grauato ac viribus labefactatis ventrem reddunt deteriorem, & maius cibi fastidium inducunt. *Altomarius.*

Vt Narcotica hic nō nisi magna cum cautione vtendum.

CONSVLTATIO I.

De Cœliaca affectione.

HIc alui fluor non humoralis, non cruentus, non alimentarius, sed chylosus omnino conspicitur. Quare nec diarrhœa, nec dysenteria, nec lienteria, sed cœliaca affectio censeri debet. Excrementa quippe neque sanguine neque humore vllo perfusa, neque cruda statim post cibi assumptionem egeruntur, sed læuia & æqualia suique similia quasi chyli aut cremoris specie profluunt. Huius causa non imbecilla ventriculi concoctio, sed chyli imperfecta malaque distributio quam partim mesenterij ac iecoris obstructio, ex magna in hypochondriis grauitate ac tenuibus vrinis conspicua partim trahentis facultatis imbecillitas, ex deiectione nullum dolorem efficiente manifesta partim alimentorum maximeque fructuum fugacium & potus immoderata copia peperit. Hæc enim distribui tota nequit, sed maxima ex parte in abdomine subsistit. Quod ad *prognosim* attinet, quia frequentes animi defectiones obrepunt, deiecturo præsertim ægrotanti, adestque cibi fastidium, pulsus frequens ac celer tanquam febris affligeret, vitiatusque color, periculo prorsus non vacat. quoque tardius eo difficilius curabitur affectus. Itaque quamprimum illi succurrendum remediis partim obstructionem soluentibus, partim imbecillum iecur roborantibus, partim tenuiori ratione viuendi. Vtendum ergo medicamentis aperientibus ad soluendam obstructionem, admixtis tamen ad hepatis robur adstringentibus. Cum enim duæ indicationes ex aduerso pugnant, committendum non est, vt dum alteri nimium sis intentus,

c. 4. d. 1. t. 2. l. 3.

c. 19. d. 2. t. 1. l. 1

c. 9. & 16. d. 2. t. 2. l. 3.

c. 13. d. 3 t. 2. l. 1.

c. 9. d 3 t. 1. l 1.

alterius omnino obliuiſcaris, ſed vtriuſque memor, vtramq; miſceas, vt præcipit Galenus. Quocirca ad ℥ j. *ſyrupi de cichorio compoſiti* cum *rheo* addendi ℈ ij. *rhei* in ſubſtantia ad ſiſtendum fluorem & obſtructiones ſimul tollendas eademque opera iecur roborandum. *Cornu cerui vſtum*, ac *pudendum cerui*, *interiorque tunica ventriculi gallinæ* in furno ſiccata, puluerata & cum vino data creduntur cœliacis conferre proprietates. Victus etiam tenuior eſſe debet, cuchymus nec corruptu facilis. Contrarius quippe non modo affectum genuit, ſed etiam genitum augeret. Hæc breuiter de dignotione, prænotione & curatione propoſiti affectus dicta ſint.

Hæc conſulebat Frambeſarius cum medico Comitis Mansfeldij apud Montem Hannoniæ, pro generoſo viro, an. 1592.

CONSVLTATIO II.

De Lienteria, ab imbecillitate retentricis orta.

c. 2. d. 1. t. 2. l. 3. QVæ laborantem infeſtat alui fluxio, Lienteria eſt: quia alimenta celeriter poſtquam ſumpta ſunt per aluum redduntur, nec vllam fere mutationem coctione adepta ſunt. Λειεντερία quippe ex Galeno, ἐστὶ ταχεῖα διέξοδος τῶν ἐσθιομένων τε καὶ πινομένων, οἷα τῶν ἐσχωρέντων ἁπλῶς κατεπόθη, *eſt velox exitus eorum quæ comeduntur ac bibuntur, quæ talia deiiciuntur qualia deuorata fuere.* c. 3. d. 1. t. 2. l. 3. Huius autem cauſa non exulceratio inteſtinorum cibum permeando vellicantem à ſe propellentium, quia nulla dyſenteriæ argumenta extant: non bilis è iecore profuſa, vel alius humor acer ventriculum proritans, ac crudos cibos necdum plane coctos in aluum præcipitans, quia nullus ſubeſt eroſionis ſenſus, nullus mordicans dolor: ſed primæ concoctionis retentionisque imbecillitas, ob quam cibus crudus nihilque mutatus ſtatim delabitur, partim quod ventriculus ab immoderato frigidæ potu cum corpus exæſtuat, & ab intempeſtiuo cucumerum, melonum & fructuum eſu refrigeratus, & ab immodico olei, butyri & ſimilium rerum pinguium vſu emollitus, & inde imbecillior, laxiorque redditus, nec cibum proprio robore diſſoluto conficiat, nec arcte contineat dum integre coquatur: partim propter frigidam, craſſam & lentam pituitam, quæ non modo refrigerat & emollit, ſed etiam

replet

replet rugosas & sinuosas partes, vnde districta asperitate, inductaque læuitate cibus celeriter effluit. Hinc enim λειεντερία quasi λειότης τῶν ἐντέρων, lævitas intestinorum nuncupata est. Hæc diagnosis. Quod ad *prognosim* attinet, omnis quidem lienteria periculosa, quia virtutem prosternit, ac atrophiam inducit, nonnunquam in tabem desinit, Sed hæc desperata non videtur, quia nec cum spirandi difficultate & lateris punctura est complicata, nec longis intestinorum torminibus successit, habetque comitem oxyregmiam. Acidus quippe ructus quia ob quandam ex frigida intemperie vel pituitæ in ventriculo abundantia imperfectam coctionem excitatur, nondum prostratas penitus esse vires, sed aliquo tempore cibos retineri & velut initium quoddam coctionis fieri demonstrat, ac boni proinde aliquid portendit, lege Hippocratis, ἐν τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐοῦσα γινομένη μὴ πρότερον γινομένη σημεῖον ἀγαθόν. In longis leuitatibus intestinorum si ructus acidus fiat qui prius non erat, signum bonum. Supereſt curatio, quæ tribus capitibus continetur, *primo* vt pituita acida ventriculo & intestinis adhærescens, qua resoluitur facultas retentrix præparetur: *secundo* vt apparata vacuetur: *tertio* vt ventriculus roboretur. Itaque materia pituitosa oxymelite potissimum & victus ratione incidente, tenuante, tergente, vt salsis, amaris, acribus & aliis similibus imprimis præparanda. Deinde purgatio, vel potione ex *myrobalanorum cepularum* ʒ ij. *& agaric. trochiscati* ℈ ij. *in decocto agrimoniæ, betonicæ, melissophylli, & absynthij infusis, diaphœnici* ʒ iij. *& syrupi rosati* ʒ j. *dissolutis*: vel *pilulis ex hiera*, vel *mastichinis, elephanginis, stomachicis* moliendæ. Tum ventriculus necnon & intestina roboranda stypticis, tum sumendis, vt *syrupo de absynthio, de mentha, corticibus citri conditis, gingibere condito, myrobalanis cepulis conditis, nuce moschata condita, diacydonio cum saccharo & aromatibus, aromatico rosato. Masticbes Gran.* ij. *vel* iij. in puluerem redactis, & ouo sorbili exceptis, per interualla deuoratis. Puluere subtili ex *coriandri præparati* ℈ iiij. *coralli rubri, rosarum rubrarum, rasuræ eboris, cornu ceruini, ossis è corde cerui ana* ℈ j. *cinamomi* ʒ ij. *saccbari rosati* ʒ ij *parato*, in panem tostum insperso. Vino, & aqua ferrata in qua *cinomomum & mastiche* coxerint: tum admouendis, vt *oleis menthæ, absynthij, nucis moschatæ, mastichino, nardino illitis*: *cerato Galeni stomachico*: vnguentis tum ex his, tum ex pulueratis *absynthio, mentha, mastiche, schœnanth. cypero, galanga, balaustiis, malicorio,*

c. 5. d. 2. t. 2. l. 3.

c. 3 d. 2 t. 2. l. 3.

c. 43. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 13. d. 3. t. 1. l. 1.

cinamomo, caryophyllis, calamo aromatico: ac denique fotu cum ſpongia ex vino nigro, auſtero, cui prædicta fuerint incocta. Hæc de morbi diagnoſi, prognoſi atque iaſi dicenda eſſe mihi viſa ſunt.

Hæc conſulebat Frambeſarius cum medico Principis Aſculani pro Belga apud Rhemos laborante, anno 1591.

CONSVLTATIO III.

De lienteria ob irritationem expultricis ab acri humore nata.

c.2.d.1.t.2. l.3. QVæ celeriter excernuntur alimenta neque conſiſtentia, neque colore, neque odore, neque alia qualitate immutata, ſed ſubalbida, maxime aquoſa & liquida, nulla commixta bile aut ſanguine, lienteriam manifeſte arguunt. Et cum duplex ſit lienteriæ ſpecies, vna quæ *c.3.d.1.t.2. l.3.* ob imbecillitatem retentricis ab intemperie naſcitur: altera quæ fit ob irritationem excretricis, à materiæ multitudine vel acrimonia: hanc non à retentricis infirmitate gigni, ſed ab acri & mordaci humore, vtpote pituita ſalſa vim expultricem irritante, vt abiiciat cibum priuſquam confectus ſit, exquiſitus doloris ſenſus ægrotantem excrucians *c.4.d.2.t.2. l.3.* ſatis demonſtrat. Quocirca periculum eſt, ſi longiori tempore perſeueret, ne exulceratis tandem humoris acrimonia inteſtinis in dyſenteriam *incurabilem* tranſmutetur. Ad hanc igitur impendentem arcendam materia acris *infarcta* tunicis ventriculi & inteſtinorum quam- *c.1.d.3.t.2. l.3.* primum vacuanda eſt: deinde roborandus ventriculus. Itaque purgatione vtendum ex ℥ ij. *rhei infuſi in decocto abſynthij, & ℥ vj. ſyrupi de abſynthio*, vel *de mentha*: vel *ex ℥ ij. hiera in ſero caprino*, vel *decocto cicerum rubrarum*, vel *abſynthij & ℥ j. oxyſaccharæ ſimpliciis*, *aut ℥ vj. ſyrupi de abſynthio*. Vacuata cacochymia, adſtringentibus ad ventriculi & inteſtinorum robur vtendum, ſed modice. His enim venæ obſtruuntur & humores tenacius adhæreſcunt. Quocirca ℔. *oxyſaccharæ ſimplic. ℥ ſ ſyrupi de mentha ℥ ß.* vtatur ex cochleari per interualla: vel ℔. *oxyſaccharæ ſimplicis, ſyrupi cydoniorum ana ℥ vj. cum iulepi roſati ℥ j.* fiat doſis. Ex *cerati ſantalin. ℥ ij.* malaxatis cum *oleo cydoniorum* vel *roſarum*, vel *maſtichino*, deinde extenſis in aluta fiat cataplaſma exterius ad mouendum circa regionem ventriculi. Præterea ingenti cucurbitula ventri affixa, vt contineatur cibus,

cibus, procurandum est. Hæc mihi facienda videntur ad propositi affectus curationem.

Hæc Spernaci consulebat Frambesarius cum alio medico, pro ciue Spernacensi anno 1588.

CONSVLTATIO IV.

De Diarrhœa biliosa.

NEminem vestrum latet (medici percelebres) honestum hunc iuuenem qui ad pristinam sanitatem sibi restituendam hic nos conuocauit, alui profluuio laborare. Cum autem quadruplex sit alui fluor, vt causa, ita & curatione inter se discrepans, lienteria, cœliaca affectio, diarrhœa & dysenteria, quo fluxus genere vexetur internoscere imprimis expedit. Porro molestus illi fluxus nec lientericus est, quod talia nunquam celeriter excerni per aluum visa sint, qualia prius assumpta sunt alimenta: Nec cœliacus, quod excrementa chyli formam nequaquam referant: Nec dysentericus, quia deiectio nec dolorifica, nec vllo modo cruenta apparet. Relinquitur igitur vt diarrhœa laboret, quæ id alui profluuium proprie designat, quo synceriores humores defluunt sine vehementi sensu doloris. Est autem diarrhœa *triplex*, biliosa, melancholica & pituitosa. Sed hæc procul dubio biliosa est, quia bilis flaua ratione temperamenti calidi & sicci, ætatis *floridæ*, æstiui temporis, frequentis vini generosi vsus, in corpore redundans, naturæ tamdem molesta, in intestina profundi tur, sine magna ventris torsione, quod libere per laxas patentesque vias defluat. Hæc autem diarrhœa, ciri ica nequaquam est, quia nulli morbo successit, sed symptomatica, vt quæ sit causæ morbificæ vi excitata. Quod ad prognosim attinet, id alui profluuium, nisi diutius perseueret, pro valetudine est. Purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, vtiliter effunditur. Prouidendum tamen vt intra septimum diem conquiescat, ne tormina tandem febrem ve excitet, vireſque prosternat. Quo citius igitur tutiusque sistatur, adiuuandus imprimis naturæ motus, ad ea quæ in corpore superuacanea sunt expellenda. Euacuatis vero noxiis humoribus, quæ adstringunt & roborant, tum sumenda, tum iniicienda, tum extrinsecus admouenda erunt remedia, ad alui fluorem non amplius superuacanea expellentem, sed habitum corporis veluti

c. 1. *d.* 1. *t.* 2. *l.* 3.
c. 2. *d.* 1. *t.* 2. *l.* 3.
c. 4. *d.* 1. *t.* 1. *l.* 3.
c. 7. *d.* 1. *t.* 2 *l.* 3.
c. 6. *d.* 1. *t.* 2. *l.* 3.
c. 16. *d.* 1. *t.* 1 *l.* 1.
c. 20. *d.* 1. *t.* 2. *l.* 3.
c. 8 *d* 2. *t.* 2 *l.* 3.
c. 14. *d.* 3. *t* 1 *l.* 1.
c. 4. *d.* 3. *t.* 1. *l.* 1. *& c.* 2. *d.* 3. *t.* 2. *l.* 3.

c.39.d.3.t. 1.l.1. colliquantem, viteſque conſumentem penitus compeſcendum. Curatio igitur à benigno cholagogo ineunda, vt *rheo & myrobalanis citrinis in aqua plantag. & cichorij* dilutis, admixto *roſarum ſiccarum ſyrupo*: aut *caſſia fiſtulari* in bolum concinnata. Clyſteres etiam ex *decocto hordeo, diacaſſia, ſaccharo rubro, oleo roſaceo, ouorum luteis* & ſimilibus paratos ſæpius iniicere expedit, ad bilem in inteſtinis coaceruatam blande educendam. Erit & lac bubulum aut caprinum tepidum, recens mulctum exhibendũ, aut ſane ad ignem decoctum, aſſidueque agitatum donec ad tertias ſit reductum: Vel id in quo ferri aut chalybis laminæ igni candefactæ fuerint extinctæ. Exhibenda etiam oriza cum lacte cocta. potus ſit aqua chalybeata. Poſtea intrinſecus etiam exhibenda erunt *ſerapia roſarum ſiccarum granatorum, myrtillorum, myua cydoniorum, rob de Ribes, ſaccarum roſatum, electuarium diatrionſantalon, conſerua roſarum*, vt & *corallum, cornu ceru. paſtilli è ſpodio, & è berberis* & ſimilia pultibus permiſta. Enemata item iniicienda ex ſuccis aut decocto *arnogloſſi, plantaginis, centinodiæ, portulacæ, melle roſato, & oleo myrthino.* Parandi etiam fotus è *roſis rubris, balauſtiis, corticibus mali granati, ſeminibus myrthi* in aceto & aqua decoctis, quibus venter & anus foueantur. Et litus ex *oleo myrthino, melino*, aliiſque adſtringentibus pro regione ventris inferioris. Hæc breuiuiter de propoſiti affectus dignotione, prænotione, & curatione dicta ſint.

Hæc conſulebat Frambeſarius cum DD. Dambraneo, Bleucorteo, & Viſcotio, pro ciue Rhemenſi, anno 1590.

CONSVLTATIO V.

De Diarrhœa melancholica.

c.17.d.1.t. 1.l.1. HAnc diarrhœam melancholicam eſſe non modo deiectiones nigræ, ſed etiam temperamentum ægrotantis frigidum & ſiccum, ætas inclinans, autumnale tempus, craſſiorque victus ratio antegreſſa manifeſte demonſtrant. Etſi autem nigra alui excrementa ſine febre vltro procedunt, natura vberiorem melancholiam qua opprimitur è

c.17.d.2.t. 2.l.3. liene in aluum excutiente & exturbante: peſſima tamen initio habentur, quia magnam viſceris læſionem oſtendunt, qua amplius ſuperflua in ſe continere nequit, teſte Hippocrate, aphor. 21. l. 4. ὑποχωρήματα μέλανα,

μέλανα, οἷον αἷμα μέλαν, ἀφ' ἑαυτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. *deiectiones nigræ sanguini atro similes, sponte procedentes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ, præsertim in principio.* Nam quicquid tum excernitur, cum nulla adhuc apparent coctionis signa, certum est id morbi vi fieri & humoris malitia, à quo natura vehementer irritata cessit. Quo enim tempore à causis morbificis natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari est impossibile. Siquidem oportet coctionem præire, subsequi vero discretionem, & postea euacuationem, quo bona sit crisis, vt recte Galenus docet. Hæc de affectus diagnosi & prognosi. Ad curationem vero arte ineundam succus melancholicus imprimis præparandus *syrupis de fumaria, de lupulis, de epithymo, de corticibus citri, cum aquis melissophylli, lupulorum, bugloßi, & oxalydis.* Deinde expurgandus ex *decocto sennæ, epithymi, myrobalanorum Indarum, polypodij, cum syrupo rosarum pallidarum, catholico, confectione hamech.* Item *pilulis de fumaria, enematis ex hordei decocto, oleo anethino, melle rosaceo*, &c. A purgatione si alui profluuium perseuerauerit vires consumens ac habitum colliquans, tunc sane resistere ei oportebit tum per ea quæ per os sumuntur, tum quæ per anum infunduntur, tum quę extrinsecus imponuntur. Intrinsecus ergo exhibenda erunt *serapia rosarum siccarum, cydoniorum, myrthinum, è ribes, è berberis, ex agresta, diacydonium* ante cibum instar castaneæ sumptum. Trochisci *è berberis, è bolo, è spodio cum semine acetosæ.* Opiata ex commemoratis parata. Item *hordeum, oriza, milium, panicum, medulla lentis, mora rubi, pyra cotonea, mala punica, poma austera, acerba, mespyla, sorba, corna, pruna syluestria, palmulæ & vuæ passæ austeræ.* Carnes *perdicis, turturis, alaudæ, turdi assæ*, atque *succo arantiorum* intinctæ. Vinum rubrum & austerum aqua chalybeata dilutum. Iniicienda etiam enemata astringentia. Extrinsecusque applicanda fomenta, vnguenta, emplastra ex stypticis comparata. Hæc sunt quæ huic symptomati depellendo videntur mihi conuenire. c. 21. d. 2. t. 1. l. 1.

c. 43. d. 3. t. 1. l. 1.

c. 39. d. 3. t. 1...1.

c. 2. d. 3. t. 2. l. 3.

Hæc Frambesarius consulebat, pro homine quadragenario apud Montem cornutum laborante, anno 1591. mens. Nouemb.

CONSVL-

CONSVLTATIO VI.

De Diarrhœa pituitosa.

Diarrhœa quæ hanc mulierem exercet à pituita tenui & spumosa è cerebro in ventriculum indeque propter retentricis imbecillitatem in aluum defluente excitatur. Nam frigida & humida temperies, ætas, sexus & anni tempus, pituitam cum in toto corpore tum potissimum in cerebro natura imbecillo redundare indicant, præter grauantem capitis dolorem antegressum. Hæc vero pituitosa excrementa repente in ventriculum decubuisse ostendunt antecedentes nauseæ, vomitionesque pituitosæ. Indeque in aluum prorupisse egestiones spumosæ iamdiu conspicuæ testantur. Quod ad *Prognosim* attinet, cum natura expurgandum humorem excrementitium morbos exitiosos alioqui excitaturum per loca conferentia citra molestiam expurget, hæc diarrhœa ægrotanti multum profutura est, tum ad præcautionem imminentium malorum quibus antehac erat obnoxia, tum ad curationem symptomatum de quibus non ita pridem conquerebatur. Nã vt præclare scriptum reliquit Hipp. *ἐν τῇσι παραχῇσι τῆς κοιλίης ἢ τοῖς ἐμέτοισι τοῖσιν ἀυτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρωντα, ξυμφέρει τι ἢ διφόρως φέρεσι. In perturbationibus ventris & vomitibus spontaneis, si talia purgentur, qualia purgari oportet confert & leniter ferunt.* Enixe tamen danda est opera, ne diutius perseueret fluor. Vires enim iam imbecillas omnino prosterneret: dysenteriamque vel alium affectum periculosum induceret. Quocirca quamprimum aggredienda eius curatio est, partim victu, partim medicamentis. Instituatur igitur victus ratio excalfaciens & exiccans, morbifico humori contraria, & initio leuiter adstringens ad partium imbecillarum robur. Vtatur ergo carnibus *pullorum, columbarum, perdicum, caponum assis, & cinamomo, caryophyllis & mentha cõditis: pane bis cocto: oryza torrefacta: vino rubro, crasso, austero, chalybeato.* Abstineat à iusculis, pinguibus, acribus. Præscribantur medicamenta primum phlegmagoga ad pituitam è cerebro scaturientem repurgandã, vt catapotia *coccia, aurea, de agarico cum masticbe:* vel potus ex *agarico & diaphœnico:* Enemata ex *betæ & mercurialis decocto, diaphœnico, bened. laxat. melle rosat oleo chamamel. & aneth.* Deinde styptica, ad alui fluorem compescendum, cerebrumque ac ventriculum roborandum, tum sumenda, vt *syrupus de absynthio, de mentha, de corticibus citri, aromaticum rosatum,*

conserua

c. 18. d. 1 t. 1 l. 1.

c. 8. d. 2. t. 2. l. 3.

c. 1. d. 2. t. 2. l. 3.

c. 22. d. 3. t. 1. l. 1. l. 1.

c. 39. d. 3. t. 1 l. 1.

conſerua anthos, betonic. roſarum, cydoniatum cum ſpeciebus calidis, *theriaca, mithridatium, puluis cortic. cancrorum* ſingulis diebus bis ſumptus, trochiſci è ſuccino cum vino auſtero ſumpti: tum extrinſecus admouenda, vt *facculus ex florum ſtœch. anth. ana P. iij. furfuris P. j.* frixis in ſartagine, irrorato vino generoſo, capiti applicatus; fotus ex *oleo abſynthij, menthæ, maſtichino, nardino*, circa ventriculi & ventris inferioris regionem: Sacculus ex *abſynthio, mentha, cinamomo, malicorio, acacia & hypocyſtide*, vino odorato irroratus, calidus ventri admotus: Emplaſtrum è *baccis lauri* circa ventrem applicatum.

Hæc conſulebat Frambeſarius pro muliere apud Guiſiam laborante anno 1591. menſ. Decemb.

CONSVLTATIO VII.

De Dyſenteria bilioſa.

AD bene medendum, imprimis quiſnam ſit affectus internoſcere ex edit, deinde qualis futurus ſit præſagire, tum aggredi illum curare, vt præclare Galenus præcipit. Vt igitur methodo progrediar, de affectus quo laborans torquetur diagnoſi, primo loco, de prognoſi: ſecundo, de therapia: tertio, quid ipſe ſentiam paucis aperiam. Conſtat imprimis affectum qui ægrotantem exercet, dyſenteriam eſſe, ſi modo cruenta deiectio omnis ab inteſtinis procedens dyſenteria ſit nuncupanda, vt placet Hippocrati. Eſt autem dyſenteria *duplex*, propria & impropriè dicta, quæ rurſus duplex, hepatera & hæmatera. Sed dyſenteria quæ ægrotantem excruciat hepatera non eſt. Hac enim propter imbecillam male affecti iecoris vim retentricem aquoſus ſanguis lotiuræ carnium recens mactatarum ſimilis per aluum elabitur, qualis nunquã ab ægrotante eſt excretus: nec hæmatera, hac n. bonus ſanguis in toto corpore auctus, & tandem, præ copia naturæ moleſtus ſtatis periodis per venas meſaraicas reſeratas in inteſtina magna vbertate effunditur, & inde per aluum excernitur, acciditque potiſſimum iis quibus aliquod membrum exciſum eſt, aut intermiſſa exercitatio: quod ægrotanti nec natura hæmatico, nec vllis partibus truncato, nec vllo tempore otioſo contingere nequaquam poteſt. Adhæc in vtraq; impropriè dicta dyſenteria deiectio fit ſanguinis per illęſa inteſtina manantis: in hac autem cruor à læſis inteſtinis deiicitur. Rel quum eſt

c. 1. d. 1. & c. 1. l. 1.

c. 7. d. 1. t. 2. l. 3.

igitur vt vera & proprie nuncupata dyſenteria, quæ ἕλκωσις ἐστὶ τῶν ἐντέρων, *inteſtinorum exulceratio* eſt, auctore Galeno, ægrotantem infeſtet. Tres autem huius diſtinguuntur gradus, qui vlceris magnitudinẽ deſignant, primus cum bilioſa vel atra vel mucoſa vel varia omnino mordacia corpora, eaque vel adipoſa vel nullo adipe conſperſa, vel ſubcruenta vel nondum cruore perfuſa, cum torminibus excernuntur. Secundus cum inteſtinorum ramenta quædam, abraſa eorum ſuperficie interiore membranoſa cum ſanguine vel ſanie deiiciuntur. Tertius cum altius penetrante ac depaſcente vlcere, ipſamet carnoſa inteſtinorum ſubſtantia putris vel exeſa procidit. At hæc dyſenteria iam ſecundum magnitudinis gradum attigit, cum bilioſa primum non ſine ventris torſione per dies aliquot ſeceſſerint, & adeps intus inteſtinis adhærescens exiguo cruore perfuſus, deinde pelliculæ & fibræ cruentis deiectionibus permiſtæ apparuerint. In craſſioribus autem inteſtinis illam conſiſtere vel exeo conſtat, quod & cruor & ramenta reliquis excrementis pura ſupernatent: nec vniuerſa miſceantur vniuerſis, multaque pinguedine conſperſa videantur, eademque ſtatim à dolore excernantur, quodq; infra vmbilicum dolor ſentiatur, aſſiduaque deſidendi cupiditas infeſtet. Cum autem dyſenteria ab omni humore acri & mordace ſiue à toto corpore, ſiue ab aliqua eius parte ad inteſtina confluente, ſiue in ipſis genito excitari poſſit: hæc à bile flaua, quam calida & ſicca ægrotantis temperies, ætaſque, florida, æſtas feruentiſſima, & ſiccißima cœli conſtitutio, victus calidior, præſertimq; immodicus meri generoſi vſus, improbus labor, curæ & vigiliæ vberrimam in corpore pepererunt, proculdubio procreata eſt, vt ipſamet bilioſa per aluum excretio tandiu laborantem excrucians, manifeſte demonſtrat. Adde quod ab initio deiecta fuerit ægrotantis appetentia, male affecto per συμπάθειαν, ſtomacho, propter defluentes ab hepate tenues, bilioſoſque humores à quibus inteſtina abraduntur, quorum portio ſupernatans ad os vſque ventriculi effertur. Hæc diagnoſis. Quod ad *prognoſim* ſpectat, dyſenteria hæc etſi curatu difficilis, quod non pinguia duntaxat corpora, ſed & ramenta quædam inteſtinorum, membranoſa eorum ſuperficie interiore abraſa excernantur, nondum tamen prorſus videtur deſperata, cum carnoſam inteſtinorum ſubſtantiam nondum depaſcat ac labefactet: quodque in craſſioribus inteſtinis conſiſtat, in quibus longe facilius curatur dyſenteria, quàm

c.8.d.1.t.2.l.1.

c.9.d.1.t.2.l.3.

c.10.d.1.t.2.l.3.

c.16.d.1.t.1.l.1.

c.14.d.2.t.2.l.3.

quam quæ in tenuioribus inteſtinis ſita eſt. Et quod à flaua bile orta ſit, quæ mitior eſſe conſueuit, quam quæ ab atra bile aut ſalſa pituita eſt procreata, quoniam bilioſus humor tranſeundo tantum affligit, ac cæteris longe celerius tranſit. Præterea quod non multum ſit inueterata, ægrotanſque iuuenis ſit, qui facilius quam ſi ſenex aut puer eſſet, curari poteſt. Hactenus de diagnoſi & prognoſi, ſupereſt curatio. Hæc vt exacta methodo perficiatur, ad trés ſcopos curantis animus omnino dirigi debet. Primus eſt vt immodicus acris humoris inteſtina exulcerantis fluxus cohibeatur. Secundus vt inteſtinorum vlcera ad cicatricem perducantur. Poſtremus vero eſt vt cruenta excretio ſiſtatur, excrucians dolor demulceatur, febris extinguatur, & alia id genus ſymptomata dyſenteriam conſequentia emendentur. Ad fluxionem vero dyſenteriæ procreatricem arcendam, acer humor imprimis præparandus, eiuſque feruor contemperandus, & impetus infringendus, retuſa acrimonia, deinde purgandus, & reuellendus, omninoque vacuandus, omnibuſque modis imminuendus, tum partes per quas defluit ab eius decubitu laxiores, indeque ad retinendum imbecilliores redditæ, adſtringendæ omninoque roborandæ ſunt. Ad vlceris vero cicatricem inducendam, pus & ſanies & quicquid omnino interioribus inteſtinorum tunicis ſordidum adhæreſcit eſt detergendum, deinde vlcus glutinandum & carne implendum, tum cicatrice obducendum, omninoq; deſiccandum. Quibus peractis, niſi vna cum morbo diſparuerint omnino ſymptomata, ſingulis ordine propria curatione ſuccurrendum. Scopi autem qui ſupra comprehenſi ſunt omnes ſimul vna eademque opera tribus hiſce remediorum generibus, victus ratione, chirurgia & pharmacis conuenientibus perficientur. Victus igitur ægrotanti inſtituendus refrigerans & adſtringens, qui bilioſi humoris feruorẽ contemperet, ferociã compeſcat, generationẽ accretionemve prohibeat, parteſq; affectas laxiores vna adſtringat & roboret, vlceriſq; curationẽ adiuuet, & manantẽ ab eo cruorẽ arceat, cruciatuſq; ingentes leniat & demulceat. Iſq; paucus, vt partes largiori alimento deſtitutæ, contumacius quẽ habent humorẽ retineant, neq; ita prompte inteſtinis dolore vlceroſo trahentib. permittãt, & euchymus & coctu facilis ob imbecillã ventriculi coctricẽ & retentricẽ facultatẽ. Vtatur igitur pultib. ex pane ſiligineo, ouorũ luteis & lacte paratis, addito ſemine plantaginis, aut lentibus excorticatis. Vtatur *iuſculis pullorũ*,

c.15.d.2.t.2.l.3.
c.17.& 19.d.2.t.2.l.3.
c.4 d.2.t.1.l.1.
c.3.4.& 5.d.3 t.1. l.1.
& c.5.d.3.t.2.l.3.
c.21.d.3 t.1 l.1.

gallinarum caponum, perdicum & aliarum carnium generis eiusdem, *lactuca, portulaca, oxalyde, omphacio, arnoglosso, polygono, sumacho* alteratis. Vtatur oriza super regulam ignitam assata cum lacte. Vtatur acetariis ex *arantiis, citriis, limonibus, cum saccharo & aqua rosacea* paratis. In pastu vinum bibat styptícum aqua chalybata dilutum. Extra pastum aquam pluuiam, in qua chalybs ignitus extinctus sit, admixtusque syrupus *rosarum siccarum, acetosus, granatorum, myrtillorum, vel cydoniorum*, vel decoctum *seminis coriandri*, vel *baccarum rhois*, vel *oxyacanthæ*, per se, vel addito *saccharo rosato*, vel *syruporosato* per se. Lac quoque acidum lapidibus aut ferramentis ignitis ter quaterve vstulatum, epotum plurimũ confert. Vtatur ouis sorbilibus quibus *puluis boli Armen. terræ sigillat. lapidis hæmatitis, picis naualis, coralli rub. margarit. elect. corn. ceru. vsti* & loti *in aqua plantag.* sit admixtus: vel si mauis *mastiches* grana aliquot, loco picis naualis. Quod ad chirurgiam attinet, phlebotomia è basilica dextra administranda est, tum ad feruidum sanguinem dysenteriæ authorem contemperandum, tum ad humorem ad intestina fluentem reuellendum, ac proinde ad dysenteriam non per se quidem, sed sublata eius causa curandam, & ad deiectionem cruentam, ingentes dolores, febrem & reliqua omnino symptomata summouenda, ac inducendum somnum, singulare dysentericis remedium. At quod ad medicamenta spectat, præscribenda primum quæ bilis acrimoniam retundunt, & ferociam compescunt, cuiusmodi sunt *syrupi de limonibus, de granatis, de ribes, acetosus.* Iulepi *ex aqua plantag. & rosarum* cum syrupis commemoratis parati Clysteres lenientes ex *decocti rosarum rub. hord. mund. & seminis plantag.* ℔ *j. olei rosar.* ℥ *ij. & vitellis ouorum ij.* vel *ex decocto foliorum lactu. acetos. portulac. hyoscyami, florum rosar. violar. & nenuph. & cassiæ fistularis* ℥ *j. olei rosati & nenuph. an.* ℥ *j. ß.* Deinde cholagoga ad bilem in corpore luxuriantem repurgandam, cuius generis erit hic potus: ℞ *tamarindorum* ℥ *j. cortic. myrobalanorum citri.* ℥ *ij.* fiat decoctio *in aquæ plantaginis & cichor. q. s.* pro dosi, in qua infunde *rhei el.* ℈ *iiij. cinamomi* ℈ *j. dissol. syrupi rosarum siccarum* ℥ *j.* fiat potus. Tum ryptica, sarcotica & styptica, ad vlcus detergendum, carne implendũ, consolidandum, & affectas partes roborandas. Enemata itaq; detergentia, iniicienda erunt, ex decocto *foliorũ plantag apij an. M. j. florum chamæmel. rosarum rub. hordei integr. ana P. j. cum mellis rosat.*

c. 34. d. 3. t. 1. l. 1. & c. 5. d. 3. t. 2. l. 3.

c. 39. d. 3. t. 1. l. 1.

rosat.& syrupi de absynth.an. ℥j ß. & vitellis ouorũ ij. Mox consolidantia ex *succo plantag.centinod.& portulac.an.℥ij.boli Armenæ, sanguinis dracon.amyli ana ℥j. seui hircini dissoluti ℥ iij.* Postremo adstringentia ex *decocto caudæ equinæ planta.polygon.in lacte vstulato ad quart.iij cum boli Armenæ, terræ sigillat.sanguin.dracon. ana ℥ij. & albuminibus ouorum ii.* vel ex *succorum arnogloss.tapsi barbat.centino portulac. depuratorum ℔j.cum boli Armen.terræ sigill. sanguin.drac.ana.℥j.olei myrthini & rosat. ana ℥j.ß.* Hic autem enematum vsus frequens esse debet, quia crassiorum intestinorum vlcus per sedē iniectis, vt tenuiorum sumptis per os remediis commodius curatur. Per os tamen sumantur & trochisci de *spodio, & de berberis, syrupi rosarum siccarum, cydoniorum, myrtillorum, cum aquis plantag. rosarum, centinodiæ.* Opiatæ adstringentes, ex *conseruis rosarum, & symphyti maior. myua cydoniorum syrupis & trochiscis* commemoratis, *corn.cerui.& vnicornis, corall rub. & margaritis pulueratis.* Admoueantur etiam ventri fotus adstringentes ex *plantag.centinod.tapso barbat bursa pastoris rosis siccis, balaustis malicorio, in lacte decoctis parati.* Litus ex *oleo rosarum, cydon.myrtill.* Emplastrum ex *carne cydoniorum, & mastiche.* Hæc habui, doctores sapientissimi, de affectu proposito quæ dicerem.

Hæc consulebat Frambesarius cum pluribus medicis aulicis, pro generoso iuuene, in exercitu Regio apud Laudunum, anno 1594 mense Aug. laborante.

CONSVLTATIO VIII.

De Dysenteria atrabilaria.

METhodus medendi tribus constat partibus, diagnostice, prognostice & therapeutice. Vt à diagnosi incipiam, affectus qui ægrotantem excruciat dysentericus est, vt ex cruentis deiectionibus constat. Dysenteria vero triplex, hepatera, hæmatera, & quæ proprie dysenteria dicitur, ab intestinorum exulceratione profecta. Quæ autem laborantem immaniter torquet, nec hepatera, nec hæmatera est. In vtraque enim sanguis repente & affatim & sine magno dolore per illæsa intestina copiose deicitur: in hac vero minutim, & breuibus interuallis & cum torminibus parum cruoris ab intestinis læsis excernitur. Ergo vera proprieque dicta dysenteria est: nec ea quidem leuis, sed iam ad extremum magnitudinis gradum perducta videtur, cum non cru-

c.1 d 1.t.1. l.1.

c.7 d.1.t.2. l.3.

c.8.d 1.t.2 l.3.

enta modo sed & ramentosa deiectio sit, imo & ipsamet carnosa intestinorum substantia exesa per aluum seceda-
c.9.d.1.t.2.l.3. tur. In tenuioribus autem intestinis consistere vel ex eo dignoscere est, quod & cruor & ramenta fæcibus alui exquisite permisceantur, nec vllo adipe conspersa cernantur, nec statim à dolore reliciantur, & quod ingens supra vmbilicum dolor ad animi deliquium vsque laborantem excruciet. Hanc porro
c.10.d.1.t.2.l.3.&c.17.d.18.t.1.l.1. ab atra bile excitatam esse, præter deiectiones nigras vel à morbi initio apparentes, ægri etiam temperamentum siccum, & à principio quidem calidum, ex permutatione vero frigidum, ætas inclinans, vigens autumnus, & antecedens victus ratio frigidior & crassior indicant. Hæc diagnosis. Quod ad *Prognosim* attinet, dysenteria hæc prorsus deplorata est, cum præsertim carnosa intestinorum substantia exesa iam
c.13.d.2.t.2.l.3. ac labefactata per aluum excernatur. Ex Hippocrate autem λῷ ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖα ἂν σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον, si dysenteria laboranti veluti carunculæ deiiciantur, lethale. Quando enim per dysenteriam intestinorum partes adeo magnæ excernuntur, vt ipsæ carnis appellationem mereantur, tum pernicioſum inquit morbum esse, cum neque caro regigni, neque cicatrix obduci in tanta exulceratione possit, authore Galeno. Adhæc quod diuturniorem moram iam contraxerit, habeatque deiectam appetentiam ac febrem sibi adiunctam.
c.16.d.2.t.2.l.3. Ex Hippocrate autem, ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι κακὸν, in longis dysenteriis cibi fastidium malum, quia tum ventriculus per consensum afficitur, ἢ ξυὼ πυρετῷ κάκιον, & cum febre peius, quia vel aliqua circa vlcera putredo, vel magna inflammatio adest. Tum quod in intestinis tenuioribus maximeque in ieiuno consistat, quæ longe difficilius curatur quam quæ in crassioribus & magis carnosis. Postremo quod ab atra bile orta sit. Lege vero Hippocratis, δυσεντερίη, λῷ ἀπὸ
c.15.d.2.t.2.l.3. χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον, dysenteria si ab atra bile incipiat, lethalis. Nam (vt inquit Galenus) dysenteria ab atra bile facta incurabilis plane
c.17.d.2.t.2.l.3. est, quod nihil ab exulcerato cancro differat. Si enim in corporis superficie consistens eiusmodi cancer vix curatur, aut etiam omnino curationem non recipit, licet impositum sibi remedium semper habere queat, eum profecto qui occupauit intestina non solum quia medicamentum continenter adhærescens habere non potest, sed quod alimenti præterea excrementorum contractu perpetuo irritetur, insanabilem prorsus remansurum rationi est consentaneum. Si quæ

perfecto

perfecto curationis ſpes reliqua eſſe videretur, tentanda eſſet primo victu & medicamentis atram bilem inteſtina erodentem præparantibus, deinde melanogogis illam apparatam purgantibus, cum ſtypticis fluorem humoris acris ſiſtentibus, & partes à fluore laxiores, & inde imbecilliores adſtringentibus, roborantibusque, poſtremo glutinantibus, ſarcoticis & epuloticis vlcus ad cicatricem perducentibus. Sed quia morbus ita deploratus eſt, vt nulla ope ſanari poſſe videatur, longe ſatius eſt manum curationi non admouere, quia in quo deſperata omnino ſalus eſt, imprudentis conſilii fuerit apud vulgum infamare præſidia quæ multis fuere ſaluti, vt recte monet Galenus. Hæc habui de propoſito affectu dicere. c. 43. & 39 d. 3. t. 1. l. 1. c. 1. d. 1. t. 1. l. 1.

Id opinabatur Frambeſarius de milite in exercitu Ducis Guiſiani apud Pon-San-vincentium laborante, an. 1587. *menſe Sept.*

CONSVLTATIO IX.

De Dyſenteria pituitoſa.

CRuenta deiectio, teneſmus & ingens circa ventrem dolor, quibus iamdiu honeſta hæc mulier torquetur, dyſenteriam adeſſe demonſtrant. Hæc autem nec à flaua bile, nec ab atra, ſed à pituita ſalſa eſt excitata: vt dignoſcere eſt è phlegmatis procreatrice ægrotantis temperie frigida & humida, ætate ſenecta, hyeme præcedente, humida cœli conſtitutione antegreſſa, conſuera victus ratione frigidore & humidiore, maximeque è phlegmaticis excrementis diu per aluum antecruorem deiectis. Adde quod quæcumque nunc in vulgus graſſantur dyſenteriæ ab eadem cauſa procreentur, propter inuerſam præcedentis hyemis humidæ & calidæ, & vigentis Veris frigidi & ſicci cataſtaſim. Nam vt Hippocrates diligenter adnotauit, *λῶν νότιος ἀχειμών, καὶ ἔαρ μέρος καὶ ὄμβριος καὶ ἄδιος χίνηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, δυσεντερίαι γίνονται. Si auſtralis hyems & pluuioſa & tepens fuerit, Ver vero ſiccum & aquilonium, dyſenteriæ fiunt τοῖς φλεγματώδεσι καὶ ταῖς γυναιξὶ, φλέγματος ἀπὸ τῆς κεφαλῆς εἰς τὴν γαστέρα καταῤῥέοντος, pituitoſis & mulieribus, pituita nimirum à capite in ventrem defluente* inquit Galenus. Hunc ſiquidem humorem dicto cœli ſtatu cumulari par eſt, repleto ſcilicet per hyemem, & circa veris initium repente refrigerato capite, quando quidem c. 7. d. 1. t. 2. l. 3. c. 18. d. 1. t. 1. l. 1. c. 16. d. 1. t. 2. l. 3.

quidem cerebrum facile pituitosa generat excrementa, quum refrigeratum subigendo non est & perdomando alimento. Sed & hoc pituitæ generationi accedit, vt quæ à vehementi frigiditate fit, acida euadat, & quæ à calore caput replente, salsa: sicut & quæ propter exiguam sit frigiditatem, nullam ad gustum manifestam qualitatem, aut certe paucam dulcedinem præ se ferat. Quæ itaque ob præsentem aëris statum pituita fit, propter hyemis calorem salsa euadet: qua occasione maxime dysenterias generabit, quum mordens diutius & radens, intestina lædere & male afficere. Nam quum propter lentorem in transitu per intestina hæreat & cesset, semperque sua qualitate aliquid abradat deteratque, dysenteriam merito efficit. Hæc ex Galeno, ad morbi diagnosim afferenda esse visa sunt. Quod ad *prognosim* attinet, hæc dysenteria quæ ex pituita salsa gignitur, longe periculosior putanda est, quam si ex bilioso humore fiat, quia hic transeundo duntaxat affligit, pituita autem cum sit lenta moram trahit, & sua cunctatione amplius exulcerat. Eadem de causa longe etiam diuturnior futura est. Ad therapiam autem arte perficiendam sunt mouenda imprimis causa morbifica. Causa autem triplex est, præincipiens nempe improbavictus ratio cacochymiæ pituitosæ procreatrix: antecedens, pituita videlicet salsa è toto corpore in intestina irruens eaque exulcerans, ac vias per quas fluit relaxans: & coniuncta, sordes scilicet intestinis adhærescens vlcusque fouens. Mutata igitur imprimis victus ratione, pituita morbifica ad purgationem præparanda erit syrupis *de absynthio, de mentha, de bizantiis & rosis siccis*, cum *decocto absynthij, vel aqua plantag.* aut *oxalydis*: apozematisque in eum finem comparatis. Deinde ex *agarico & myrobalanis chebulis* purganda. Tum medicamenta adstringentia ad laxiores vias per quas fluit humor coarctandas & roborandas, sumenda, vt *saccharum rosatum corallo rubro mistum, cydoniatum, syrupus cydoniorum, trochisci è spodio cum semine oxalydis*. Et admouenda ventri, vt *oleum cydoniorum myrthinum, mastichinum, insperso puluere coralli, rosarum, mastiches, boli Armenæ, sanguinis draconis*. Interim vt sordes intestinis adhærescens detergeatur, enematis vtendum detergentibus, quæ comparabuntur ex *aqua hordei sero lactis cum melle, aut saccharo rosato, hydromelite, decocto cicerum rubrorum, parietar. furfuris, absynth. centaurij, lupinorum, ficuum pinguium*. His peractis ad vlceris curationem transeundum, glutinantibus, sarcoticis & epuloticis. Itaque clysteribus admiscebuntur ʒij *pul-*

e. 19. d. 2. t. 2. l. 3.

e. 1. d. 3. t. 1. l. 1.

ueris

ueris gentian. enula, thuris, tetrapharmaci ℥ *j.* vel *mellis, terebinthina, & butyr. an.* ℥ *vj.* vel *terræ sigill. boli Armen. sanguinis draconis aut similium* ℥ *ij.* decocto adstringentium. Hac ratione morbus, & vna cum morbo symptomata remouebuntur. c. 4. d. 3. t. 1. l. 1.

Pro muliere Rhemensi, prouectæ ætatis, ineunte Vere grauiter laborante, anno 1589.

CONSVLTATIO X.

De Dysenteria à variis humoribus orta.

CRuenta diachoremata & tormina, quibus à quatuor dieb. D. Bordeus correptus est, indubitata sunt Dysenteriæ signa, quæ definitur à Græcis ἕλκωσις τῶν ἐντέρων. Oritur à variis humoribus acribus & mordacibus è variis corporis partibus ad intestina confluentibus, ipsaque exulcerantibus, vt à pituita salsa è cerebro, & à flaua atraque bile è iecore & liene ad aluum amandatis. Hyems cerebrum pituitosis & serosis peritomatis repleuit, quæ molestam excitarunt carebariam, & in subditas partes destillationem, à qua tussis. Feruidius hepar flauę bilis prouentum fecit. Sed atræ φθίσεως lienis vitio contracta est. Quod ad *Prognosim* spectat, morbus salutaris mihi videtur futurum, quod nec ὑποστάσεις, nec acuta febre, nec vllis grauioribus symptomatis sit comitatus: quodq; vires in hac florida ætate sint robustæ. Ad moliendam curationem profluens materia prius euacuãda, quam de aluo stypticis remediis cohibenda cogitur. Quocirca enema leniens ex lacte cum hordeo integro, rosis humoris demulcendam meo consilio confestim iniectum est. Mox blandum catharticum ex *rhabarbari diluto*, & *syrupo rosarum pallidarum* præscriptum est. Sentio administrandam nunc phlebotomiam, non ad demendam sanguinis plenitudinem modo, verum etiam ad humorum morbificorum reuulsionem. Tum ad sistendam fluxionem opiata parabitur ex *conserua rosar. carne cydoniorum, myrobalanis saccharo conditis, corallo & margaritis præparatis, cum syrupo cydoniorum*, Crocus Martis *ad* ℈ *j. cum conserua rosar.* ℥*j.* tandem ex vsu erit. Idonea interim victus ratio instituenda. *Diagnosis.* *Prognosis.* *Therapia.*

Consultabat Frambesarius cum D. Seguyno, pro D. Bordeo, Computorum Auditore, Parisiis, anno 1621. Cal. Februar.

TITVLVS V.

De Colico dolore.

Distinctio I. De Colici doloris diagnosi.

CANON I.

Qui colicus dolor excitetur.

INgens in colo inteſtino dolor frequenter excitatur, acnoxiæ cuiuſdam materiæ exuperantia propter obſtructionem à duris reſiccatiſque fæcibus, aliiſve de cauſis illic cohibita, qui ab affecta ſede colicus nuncupatur.

II.

Quotuplex colicus dolor.

Colicus dolor alius eſt flatulentus, alius ex humore contractus. Iſq; ſæpius ex craſſo, lento ac pituitoſo, nonnunquam ex acri & mordaci vereq; bilioſo humore gignitur, qui interdum etiam inflammationem accendit. *Ex Paul. Fernel. &c.*

III.

Quibus notis dignoſcatur an colicus dolor fiat à flatu. à craſſo, pituitoſoque humore.

Flatulentus dolor colicus, vagus eſt & inſtabilis, in variaſq; ventris ſedes ſe contorquet, huius parens flatus ventrem diſtendit, in eoq; ſæpius rugire vel murmurare obauditur, & arcte concluſus nec ab ore nec ab aluo erumpit. Hunc dolorem cauſæ flatus effectrices præeſſerunt. At colicus dolor à craſſa, lenta & præſertim à vitrea pituita genitus (quia hæc non tantum colo inteſtino adhæreſcit, ſed & ipſum corrodit, dilacerat, atque in id plerumque perforantis terebelli more ſe infigit) ſæpe fixus eſt & alte excruciat, nauſeam & pituitæ vomitionem ciet, neque ructibus, neque flatibus emiſſis demulcetur: habuitque originem à crapula, otio, aliiſve cauſis quæ cruditatem craſſumq; humorem progignunt. Ab acri vero erodenteq; humore, aut etiam ab inflammatione quiſquis ortus fuerit dolor colicus, fixus etiam eſt, ſed cum febricula, ardore, ſiti & vigiliis. Irritatur eſculentis potulentiſque calidioribus, à quibus etiam ſumpſit originem. *Ex Paul. Fernel. Altom. Fuchſ. &c.*

ab acri & erodente humore, vel inflãmatione.

IV.

à flatu & humore ſimul.

Quos non ſpiritus modo flatuoſus, ſed etiam humor quiſpiam, vnde is oritur, male habet: iis illico ad tempus colicus dolor ſedatur, redit tamen vel inſequente nocte, vel poſtridie, vel etiam tertia die ſimilis dolor, ac potiſſimum vbi in victu aliquid deliquerint, aut importunius particulas excalfecerint. *Ex Galen. & Altom.*

DISTIN-

DISTINCTIO II.

De Colici doloris prognosi.

CANON. I.

COlicus dolor vehementissimus, & à grauissima causa subortus non vacat periculo. *Frambes.* *Colicus dolor qui periculosus.*

II.

Colicus dolor minus est periculosus, si neque in vna coli parte fixus sentiatur, neque aluus omnino suppressa sit, sed clysteribus iectis aliquod excrementum deiiciatur, aut flatuosum quidpiam erumpat, vnde leuetur æger. Periculosior vero si contraria contingat. *Ex Altom. Bruel. & aliis.* *qui minus periculosus.*

III.

Inter omnes colicas affectiones ea quæ ex inflammatione ortum ducit, est grauissima, vt quæ in ileum transitionem minetur. *Ex Paul. Altom. Fuchs. Bruel.* *qui omnium periculosissimus.*

IV.

Quandoque colicus dolor in paralysim, epylepsiam, melancholiam, vel arthritidem, nonnunquam in hydropem, sæpius in iliacam affectionem transit, *Ex Arabum decretis.* *Qui colico dolori affectus succedant.*

DISTINCTIO III.

De Colici doloris curatione.

CANON I.

COlicus dolor quam primum curandus, ne ob vehementiam vires prosternat. Curatur autem remediis causam auferentibus. Ab ilata quippe causa, dolor simul cessat. Desinit præterea imminuto vel adempto sensu per anodyna tam vera quam narcotica. *Ex Montuo, Syl. & aliis.* *Quibus remediis colicus dolor curetur.*

II.

Vt colici doloris causa summoueatur, adstrictior aluus soluenda, obstructioque liberanda: flatus discutiendi, crassa, lenta, crudaq; materia incidenda, detergenda, concoquenda: acris vero & erodens caliq; lenienda, eluenda, contemperanda: vtraque autem rite præparata expur- *Quæ ad methodicã colici doloris curationem molienda.*

ta expurganda, euellenda & digerenda: relicta tandem intemperies emendanda, affectæq; partes roborandæ. Quod si dolor vehementius vrgeat, prætermissa tantisper mali causa, anodynis sedandus erit. Vt simul & causa tollatur & dolor mitigetur catharticis narcotica sunt permiscenda. *Frambes. & veterum & recent. med. consensu.*

III.

Quæ medicamenta hic vitanda.

Vitanda hic omnino quæ valentius excalfaciunt medicamenta. Ab iis quippe liquantur ac inflatus mutantur omnes frigidi & crassi humores, qui intestina distendendo dolores efficiunt vehementiores. Expedit igitur eos incidere & concoquere citra vehementem calorem, & per vsum eorum quæ minime inflant. Narcotica item cum frigida materia est, nonnisi vrgente necessitate, & cum magna cautione vsurpanda sunt. Nam licet ad tempus inducto torpore malum nõ sentiatur, postea tamen grauius affligit: humor quippe multo crassior, ad motum ineptior & expelli contumacior redditur, obstructioq, augetur. Sed in calida materia valde conducunt, non solum quia sensum stupefaciunt, verumetiam quia mordacium humorum acrimoniam obtundunt, caloremq; immodicum extinguunt. Tutius tamen erit ea prius cum iis quæ per sedem infunduntur permiscere, & vbi non suffecerint eadem deuoranda exhibere. Senibus autem, pueris, mulieribus, grauidis, imbecillo calore & viribus narcotica non exhibenda. *Ex Galen. Altomar. Fuchs. Holler. &c.*

Quando & quomodo vsurpanda narcotica.

Quibus nõ exhibenda.

IIII.

Quibus maxime remediis hic opus sit.

Affectus qui crassioribus intestinis insident, his quæ per sedem iniiciuntur remediis magis egent. *Ex Montuo.*

V.

Singulare colici doloris à flatu præsidium.

Ampla cucurbitula leuis cum copiosa flamma toti abdomini affixa, singulare præsidium est ijs qui flatulento dolore colico cruciantur protinus liberandis: videtur enim id incantamenti cuiusquam simile quid efficere. *Gal. 12 meth.*

VI.

Vbi in colico dolore sit phlebotomiæ locus.

Qua vena secanda.

Phlebotomiæ hic etiam locus est, si febris adsit, vel phlegmone, vel alterutra impendeat, vt si dolor acrius vrat, vique doloris humores æstu incanduerint, adeoque causæ coniunctæ vis excitet antecedentẽ, vbi præsertim vires, ætas, & cætera consentiunt. Vena autem in cubito interna aperienda est angusto foramine. Quod si vrina ita supprimatur,

matur, vt eius ad nobiles partes metuenda sit palyndrome, vel alioqui periculum immineat, è malleolo vena secanda erit, tum ad materiæ quæ in vitio est vacuationem, tum ad vrinæ καταῤῥοπὴν. *Ex Gal. Holler. Duret. Altomar. &c.*

VII.

Fortioribus purgationibus non vtendum, nisi vbi contumacius malum est. In phlegmone metuenda cathartica quæ humores trahunt ad partem affectam. Rhabarbarum, myrobalani, ob adstrictionem: senna, cassia, pruna, manna, dulcia, ob flatus minus conueniunt. Laudantur purgationes, quæ præterquam quod purgant, etiam dolorem stupefaciunt. *Ex Hollerio.*

Quæ cathartica hic suspecta.

VIII.

Intestinum lupi siccatum, stercus gallinæ, & alia id genus amuleta, Græcis & Arabibus probata, erunt etiam ex vsu. *Ex Holler. Altom. &c.*

Amuleta nequaquã hic negligenda.

CONSVLTATIO I.

De *Colico dolore flatulento.*

QVi laborantem immaniter excruciat dolor, colicus est, isque flatulentus. Nam præterquam quod effectrices flatus causæ præcesserunt, nempe olerum fructuumque crudorum esus, ac frigidæ potus liberalior, flatus inde progenitus, præ ventriculi præsertim natura frigidioris cruditate, in colo intestino sæpius rugire & murmurare obauditur, tam arcte in eo concluſus, vt nec ab ore, nec ab aluo ructu crepituque erumpere queat, propter obstructionem à duris reficcatisque fæcibus. Vnde ventrem tanta vi distendit atque diuellit, vt abdomen inflari videatur, sicque ventriculum premit, vt nauseam vomitumque proritet. Adhæc dolor repente subortus est, nec vlla parte fixus, sed vagus & instabilis existit, in variasque ventris sedes se contorquet, modo in dextrum, modo in sinistrum hypochondrium insiliens, solutaque enematis aluo, demulcetur, atque mitescit, ac quidquid excrementi per aluum deiicitur, flatus plenum est. Hæc igitur manifesta sunt doloris ex flatibus in colo intestino coarctatis oborti argumenta. Ex quibus constat hunc dolorem à crasso, lento ac pituitoso humore intestinis impacto minime contractum, multoque minus nephriticum esse,

c. 3. d. 1. t. 3. l. 3.

cum vterque fixus sit, nec ita clysteribus mitescat, emissisque flatibus demulceatur, ac nephriticus præterea sensim ingraueſcat, sub eoque liberior sit aluus, meiendi difficultas, vrinaque tenuis & aquosa primum cernatur, deinde sp ssa cum sedimento fere rubro & arenulis. Hic autem vrinæ tum consistentia, tum colore, contentisque laudabiles sine arenulis, sine pituita luculenter commonstrant, neque ad renes neque ad vreteres doloris causam pertinere. Quod ad *prognosim* attinet, vt hoc malum licet atrociſſimum ex leui occasione subito excitatum est, ita nec diuturno tempore duraturum, sed breui finem habiturum esse iudico. Non enim adeo contumax & solutu difficile, ac si ex grauiori causa, vtpote pituita vitrea crassa & lenta iamdudum in intestinis congesta, illisque tenacius adhærescente contractum sit. Nec ita profecto periculosus hic tensiuus dolor existit, quoniam vndique in omnes coli partes euagatur, vagusq; transcurrit, ac si in vnica parte fixus maneret. Ne tamen ob vehementiam vires prosternat, quam primum curandus venit, remediis causam auferentibus. Ablata quippe causa, simul disparebit. Præmissis igitur auxiliis ad obduratas in intestinis fæces emolliendas idoneis, vt doloris causa summoueatur, malumque radicitus extirpetur, flatus modis omnibus discutiendi sunt, frigidiorque ventriculi & intestinorum intemperies emendanda, ac pars vtraque imbecillior corroboranda, sumptis, admotis ac maxime iniectis remediis, quia quicumque affectus crassiora obsident intestina infusis per sedem præsidiis magis iuuantur. Clysteres igitur carminantes frequenter indendi, qui constent ex *decocto abroton. origan. puleg. calaminthæ, rutæ menthæ, mentastri, florum chamamel. melilot. aneth. seminum anis. fœnic. carui, cumini, smyrnij, dauci, baccarum lauri, ex hiera picra, benedicta laxat. confectione è baccis lauri, melle anthosat. oleis anethino, rutaceo, laurino vel nucum.* Postea iniectiones ex vsu erunt ex ℔ j. *vini* cuiusdam generosi rubri, meracioris & tepentis, *olei nucum* ʒ ij. *aquæ vitæ* ʒ j. additis interdum *olei iuniperi* vel *rutacei* arte chymica extracti ʒ ij. nonnunquam *castorei* ʒ ij. Extrinsecus etiam abdomen iis quę flatus dissipant fouendum & irrigandum. Ex commemorato igitur discutientium decocto fotus & insessus parentur: vesica bubula eodem semiplena ventri admoueatur: Ex iisdem oleis, aqua vitæ addita, venter illinatur: Ex clysteris magmate, adiectis oleis, cataplasmata formentur, hypogastrio superponenda. Sacculi ex milio, sale & seminibus anis. & fœniculi torrefactis similiter adhibeantur.

c.2.d.2.t.3. l.3.

c.1.d.3.t.3. l.3.

c.2.d.3.t.3. l.3.

c.4.d.3.t.3. l.3.

antur. Ampla insuper cucurbitula cum copiosa flamma toti abdomini affigatur. Flatus enim incantamenti modo discutit, authore Galeno. c. 5. d. 3. t. 3. l. 3. Castorei vel confectionis è *baccis lauri* ʒ ß *cum vino aut hydromelite* interdum propinetur. Vinum mulsum (quod claretum vulgus vocat) sæpius sumatur. Si perseueret malum quæ proprietate occulta huic creduntur opitulari, vsurpentur, vt intestinum lupi siccatum, stercus gallinæ & alia id genus apud Galenum & alios probatos authores commendata. Detur ergo podus ʒj. *cum vino mulso, aut hydromelite.* Ægrotans interim à frigidæ potu, lactis, fructuum crudorum & aliorum refrigerantium, ac flatuosos spiritus gignentium alimentorum vsu sibi caueat. Vinique meracioris potu, ac reliqua victus ratione calfaciente ac incidente vtatur. c. 8. d. 3. t. 3. l. 3.

Hæc consulebat Frambesarius, pro nobili matrona D. Carrella, Mozoni laborante anno 1587. mense April.

CONSVLTATIO II.

De Colico dolore à crassa lentaque pituita orto.

DOlor per totum abdomen alte excrucians, diraïn ventre tormina, ructus, nausea, pituitæ vomitio, alui adstrictio, nullumque à ructibus & flatibus emissis leuamen, nullo in vrinis apparente vitio, indubitata sunt colicæ affectionis signa, quam non simplex flatus excitauit, verumetiam crassa, lenta vitreaque pituita, à frequenti frigidorum ciborum vsu, improboque victu satietate, crapula, otio & aliis id genus eruditarem procreantibus causis, in colo intestino sensim copiosior congesta, quæ ipsum corradit, dilacerat, atque in id perforantis terebelli more se infigit. Quod ad *prognosim* spectat, hic dolor profecto nõ prorsus vacat periculo, cum longe sit grauissimus & à grauissima causa subortus, ac in parte fixus sentiatur, aluusque ita suppressa sit, vt nihil fere transmittatur ac si quando flatus aut ructus erumpant, nihil inde leuetur æger. Nec idem sane soluu facilis est, nec breui tempore potest extirpari, quod à crasso viscidoque humore intestinis tenacius adhærescente contractus sit. Quamuis enim tensiuus quandoque dolor oboriri etiam videatur ex flatu in intestinis concluso atque coarctato, ipse tamen flatus illic peculiarem atque fouentem causam habet, crassam lentamque pituitam firmius impactam. c. 3. d. 1. t. 3. l. 3. c. 1. & 2. d. 2. t. 3. l. 3. c. 9. d. 2. t. 1. l. 1.

Ad

c.1.d.3.t.3 l.3. Ad curationem via & ratione moliendam, crassa, lenta, crudaque inteſtinorum pituita colici doloris materia, incidenda, detergenda, concoquenda, protinusque, quia malum vrget, expurganda, euellenda, & diſcutienda, ac relicta tandem intemperies corrigenda, eademque opera doloris vehementia lenienda, affectaque pars corroboranda ſumptis, admotis ac maxime iniectis remediis, quæ citra vehementem calorem hæc præſtent, quod à vehementer calfacientibus diffundantur & in flatus vertantur omnes frigidi & craſſi humores, qui inteſtina diſtendendo dolores vehementiores efficiunt. Clyſteres igitur frequenter iniiciendi, ad attenuandam vnaque extirpandam materiam, ex *decocto malu.alth.mercur.florum chamam.melilot.aneth.puleg.origan.calaminthæ, ruta, abſynthij, centaurij minor.ſeminum cartham.aniſ.fœnic.ſmyrnij, cumin. baccarum lauri, hiera ſimplici* & interdum *diacolocynthidos*, vel *benedicta laxat.melle roſato & anthoſato, oleis chamamelino, anethino, rutaceo.* Ac ſi quando præ vehementia doloris, enemata non retinuerit, indendæ glandes erunt, digitos ſex longæ, ex *melle, ſale, colocynthide*, & *hiera picra* confectæ. Et cum iam ſatis expurgata putabuntur inteſtina, vt quæ multo tempore contracta eſt in eis vitioſa qualitas tollatur, roburque accedat, clyſmi ſæpius infundendi ex ſeſquilibra vini cuiuſdam generoſi, leuiter adſtringentis eiuſque meracioris & tepentis, in quo interdum *caſtorei ℥ij.* diſſolutæ ſint. Extrinſecus vero ad materiæ concoctionem ac diſcuſſionem, doloriſque mitigationem, adhibendi fotus & inſeſſus ex *decocto malu.alth.violar.puleg.fœnicul.origan.ruta, ſeminum lin.fœnigræc.florum chamam.melilot.anethi*, ſimiliumque rerum calfaciendi, incidendi, attenuandi, digerendi ac relaxandi facultate præditarum. Deinde litus circa ventris regionem ex oleis eadem virtute pollentibus vt *chamam.anethino, liliaceo, irino, keirino, rutaceo, & butyro recenti*, additis *ſeminibus apij & petroſel.galanga & aqua vita.* Ex decocti magmate, additis iiſdem oleis formata cataplaſmata, ſtatim à fotu & litu toti abdomini admouenda. Vel ſacculi ex diſcutientibus parati eodem modo applicandi. *c.43.d.3.t.1.l.1.* Hæc iniicienda admouendaque remedia ſunt. Sumenda item ad præparandam concoquendamque materiam ſerapia ſunt *d.5. radicibus, de ſtœchade, de artemiſia*, aliaque generis eiuſdem ſine aceto parata, incidendique, attenuandi ac detergendi facultate prædita, cum *decocto chamameli, origan.thym.hyſſop.praſſi, abſinth.menthæ, galangæ, cinamomi, &c.* in vino tenui odorifero. Dein ad eandem purgandam pilulis vtendum

de

de *hiera*, *elephanginis*, ac similibus phlegmagogis quæ nec myrobalanos, nec adstringentia vlla recipiant pharmaca. Proderit etiam per initia vomitum facilitate, & naturæ impetum iuuare, hausto *raphani & asari* decocto. Tum ad discutiendas noxij humoris reliquias, frigidamque ventriculi & intestinorũ intemperiem emendandam, aluumque roborandam, vinum absynthites, aromaticum rosatum, diagalanga, diacyminum, diamoschum, & alia id genus ex vsu erunt, nec non & quæ occulta proprietate affectioni colicæ creduntur opitulari, vt intestinum lupi, cornu cerui, &c. Quod si dolor non conquieuerit, *castoreum* etiam ad ʒj. *ex aqua mulsa* per vices erit propinandum. Ac si cruciatus vehementior vrgeat, ad narcotica tandem confugiendum erit, quibus tamen magna cum cautione vtendum est. Interim in tam sæuo dolore expurgando, non minorem vim obtinet vitæ, quam medicamentorum ratio. quandoquidem ea non pauca absumit superuacanea, quæ vix sint medicamentis cessura. Itaque instituendus illi victus eu-chymus, concoctu facilis ac minime flatulentus, isque attenuans ac tenuis: Carnibus vescatur *gallinaceorum*, *columbarum*, *turturum*, *perdicum*, *auicularum*, *lepusculorum*, & similium, elixis potius quam assis, iusculisq; *thymum*, *hyssopus*, *satureia*, *maioran*. *asparagus*. *fœnicul*. nec non & *allia*, *cæpa*, *porra* & *similia olera* quæ calfaciunt, incidunt & extenuant, incoquantur. Condimenta insuper addantur quæ præsertim *nucem moschatam*, *gingiber* & *piperis* momentum recipiant. Vinum bibat generosum, sed modice, frigidorum autem alimentorum vsum, satietatem, & quicquid crudi atem parit, cane peius & angue vitet. Hac victus ratione ad vnguem obseruata, commemoratisq; præsidiis tempestiue vsurpatis, spero atrocis huius doloris causam omnem sublatum iri.

Hæc consulebat Frambesarius Pontimussi, pro mercatore Lotharingo, anno 1592.

CONSVLTATIO III.

De Colica affectione ab acri bilioso que humore orta.

MAximus in imo ventre cruciatus, ardorisque sensus, febricula, sitis, vigilia, nausea & vomitiones bilis quæ malum nihil leuãt, vrinæ & stercoris retentio, & alia id genus sæua symptomata quæ hunc *c. 3. d. 1. t. 3. l. 3.*

iuuenem picrocholum delicate antea molliterque viuentem torquẽt, manifesta sunt argumenta colici doloris non à flatu, nec à frigido, crasso lentoque humore orti, sed à calida, acri vereque bilioſa materia, inflammationem in colo inteſtino, niſi arceatur, breui excitatura, cum præſertim hic dolor acutiſſimus quaſi pallus illic fixus videatur, aſſumptiſque eſculentis & potulentis calidioribus irritetur, ac remediis calfacientibus adhibitis exacerbetur. Inter colicas autem affectiones hæc longe acerbiſſima & periculoſiſſima eſt, vt quæ in Ileum tranſitionem minetur. Itaque illius curationi diligenter incumbendum. Ad imminentem inflammationem prohibendum, vena quampiimum in gibbero aperienda eſt. Ac ſi ex vrinæ ſuppreſſione periculum impendeat, ex malleo'o quoque ſanguis detrahendus erit. Enemata frequenter infundenda quæ humores acres & erodentes leniendi, eluendi atque citra mordacitatem purgandi vim habeant, qualia comparabuntur ex *decocto malu. alth. violar. cichor. lactuc. chamæmel. ſeminum pſyllij cydon. alth. lini fœnigr. hordei integri, diacaſsia, hiera picra, vel catholico, ſaccharo aut melle violato, oleis violar. roſar, amygdalarum dulcium, butyro recenti, adipe anſeris, gallinæ, anatis, & vitellis ouorum*, adiecto interim *capite papaueris*. Nonnunquam ex liquidiore duntaxat hordeata, aut *lacte amygdalarum dulcium*, in quibus *ſacchari* vel *mellis violat.* ℥ j. ac *butyr. recent.* ℥ ij. diſſolutæ ſint. Quod ſi hæc non ſufficiant, vt mordax humor vacuetur, purgans pharmacum etiam per os exhibendum erit, ex *hiera picra vel catholico, vel caſsia*. Ad contemperandum feruorem, ſedandumque dolorem, ex prædicto clyſteris decocto, abdominis regio extrinſecus etiã fouenda & irriganda erit. Mox ex *oleo violato, chamæmel. & butyro recenti* illinenda. Adhæc balneis ex aqua dulci vtendum. Ea enim mitigare & ſomnum conciliare poſſunt. In quem etiam vſum exhibenda ſerapia violaceum & roſaceum, aliaque eiuſmodi quæ contemperare ac vim mordacium humorum obtundere valent. Si autem dolor nihil remiſerit, ſed vehementius ſubinde ſæuierit, ad narcoticorum vſum confugere oportebit. In hoc enim malo, non ſolum quod ſenſum ſtupefaciant, ſed & quia humorum erodentium acrimoniam obtundunt, caloremque immodicum extinguunt, opitulantur. Itaque ex catapotiorum *de cynogloſſo* ℥ j. conficiantur vj. pilulæ, vnaque ante cubitum quotidie deuoretur. Laudantur purgationes quibus narcotica fuerint admixta, quia præterquam

c.3.d.2.t.3. l.3.

c.6.d.3.t. 2.l.3.

c.2.d.3.t.3. l.3.

c.3.d.3.t.3. l.3.

c.7.d.3.t. 3 l.3.

quam quod materiam detrahunt, etiam dolorem ſtupefaciunt, cuiuſmodi ſunt *pilulæ ex pulu. hieræ ℈ iiij. opij & croci an. gr. j. aut ij. cum vino* formatæ. Aliis etiam catharticis Philonij ℈ j. commiſceri poteſt. Victus ratio inſuper refrigerans & humectans inſtituenda. Cibo vtendum ſorbili, vt ptiſanę cremore, piſcibus ſaxatilibus. Ac pro potu, aqua hordei, abſtinendum vino, acribuſq; omnibus. Dixi.

Hæc Frambeſarius cum alio medico conſulebat, pro nobili iuuene, Comitis Vaudemontani à cubiculo, Nancei laborante, an. 1592. menſ. Maio.

TITVLVS VI.

De Iliaca paſſione.

Diſtinctio I. De Iliacæ paſſionis diagnoſi.

CANON. I.

MAlum quod Græcis εἶλεὸς, Latinis voluulus, vulgo Iliaca paſſio nuncupatur, tenuium inteſtinorum obſtructio eſt, qua excrementorum via prorſus occluſa, fæces aluum præterlabi nequeunt, ſed miſerabili morte perituris per os tandem vomitione reiiciuntur. Vocatur & alio nomine χορδαψὸς, quod qui manum loco dolenti admouerit, ἦ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, chordam, attingere videatur, propter partis affectæ tenſionem. *Ex Galen. Paul. Altom. Fernel. Gorr. &c.*

Quid Ileus.

Cur χορδαψὸς nuncupetur.

II.

Ileum peiſæpe committit enterocele, vbi inteſtinum cum reſiccato ſtercore in ſcrotum procidens retrudi nequit. Interdum & tumor præter naturam in inteſtino genitus, vt inflammatio eouſque increſcens vt eius ductum viamque impleat. Nonnunquam eſt ſtercus obduratum reſiccatumque, longa in inteſtinis mora, præ ſtimuli penuria, vt quum flaua bilis quæ obiter inteſtina ad excretionem irritat, cohibetur: vel ex viuendi errore. Aliæ cauſæ rarius. *Ex Fernel. &c.*

Quibus de cauſis oriatur.

III.

Quibus notis dignoscatur.

Sub hoc omnino neque cibus descendit, neque iniectus clyster ascendit. Atque per initia intestinorum, murmur inest, dolor circumuectus, ructus inanis, nausea atque ventriculus nimium humidus: his dein accedit pituitæ bilisque vomitio, quicquid estur bibiturve, tametsi in intestina prouoluitur, hinc tamen postea remeat inquinatum stercoris nidore: ac postremo horrendum visu stercus ipsum morituris vomitione reiicitur, frigescente quidem iam corpore, & oborto sudore frigido. *Fernel. ex omnium. med. consens.*

IIII.

Quando potissimũ contingat.

Τοῦ φθινοπώρου εἰλεοὶ, Autumno ilei superueniunt. *Hipp. aph.* 22. *lib.* 3. Tum propter humorum motum ad partes interiores, tum propter frigiditatem. Ilei enim sunt cibi superfluitatum quæ per aluum inferiorem excernuntur retentiones, quæ magna ex parte fiunt ex alicuius intestinorum partis inflammatione. Maxime vero par est vt in frigido, sicco, inæquali & malos gignente humores tempore, partes ad ventriculum atque intestina attinentes offendantur. Nam qui in æstate tenues & bene mobiles humores sunt generati, autumnus excipiens qui frigidus simul atque inæqualis existit, ad profundum corporis agit. Sunt autem in profundo etiam intestina. *Galenus in com.*

DISTINCTIO II.

De Iliaca passionis prognosi.

CANON I.

Lethalia ilei signa.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν. Ab ileo vomitus, aut singultus, aut conuulsio, aut delirium, malum. *Hipp. aph.* 10. *l.* 7. In ileis nihil descendit ad inferiora, & hoc est proprium inseparabile passionis huius signum. Vomitus autem non semper adest, sed quando exitiales sunt. Et si vehementius distorqueantur, stercus eis superiora petit, atque singultiunt. Quidam vero desipiunt & conuelluntur, compatiente cerebro stomachi passioni. Hæc vero fieri mihi videntur intestinis in quibus passio talis existit, à se expellere stercus appetentibus, quando longitudine temporis cœpit molestare, nec potentibus se exonerare, propter obstructionem in partibus

tibus inferioribus factam, sed coactis contra naturam violenter moueri, & ad loca superiora materiam noxiam extrudere. *Galenus.*

II.

Qui ileo oppressi sunt, miserabili tandem morte pereunt, stercus per os reddentes. *Paulus.* *Qualis ilei exitus.*

III.

Familiare est hoc malum pueris, euadunt tamen naturalis humiditatis beneficio. Senibus non admodum accidere solet. Si tamen eo tententur, fere numquam conualescunt. *Aëtius.* *Vt ileus pueris minus, senibus magis periculosus.*

DISTINCTIO III.

De Ilei curatione.

CANON I.

AD tentandam ilei curationem, danda est enixe operâ vt causa mali auferatur, obduratæ fœces retentæ remolliantur, subducanturq;, flatus discutiantur, intestinum si in scrotum fuerit deuolutum, retrudatur: inflammatio si quæ sit, restinguatur, eiusque materia repellatur, vacuetur, reuellatur, resoluatur, dolor excrucians leniatur, sumendis, iniiciendis, adhibendisque remediis. *Frambesarius.* *Quæ ratione ilei curatio tentanda.*

II.

Medicamenta quę per os voranda præbentur, in ileo magis competunt, quam in colico dolore, sumpta à situ indicatione. *Altomar.* *Quæ hic magis conueniant.*

CONSVLTATIO I.

MOrbi species, causaque neminem latent. Miserabilis quippe ileus ab enterocle præduro in scroto tumore conspicua genitus, ægrotantem sæuiter excruciat. Quo fit vt nihil omnino fæcis aluum prætelabi queat, nec non & quidquid estur, bibiturque tametsi in intestina prouoluitur, hinc tamen postea remeet inquinatum stercoris nidore. Vtinam diagnosi haud difficilior curatio futura certo præsagiri possit; Sed quoniam intestinum vna cum obdurato stercore in scrotum iamdiu delapsum est, eoque quasi vinculo coarctatum, non facile hinc retrudi potest, nec expedite obstructio liberari. Quod tamen nisi propediem contingat, acerbissima morte laborans pereat necesse est, hor- *c.12 & 3.d 1.t.4.l.3.* *c.2.d.2.t.4 l.3.*

rendum viſu ſtercus per os reiiciens. Quanuis autem exigua ſalutis ſpes reliqua eſſe videatur, curationem nihilominus experiri iuuabit, & nihil eorum prætermittere quæ arte & cum ratione opitulari queant.

c.1.d.3.t.4. l.3. Itaque omni conatu enitendum, vt obduratæ fæces imprimis remolliantur, malacticis & humectantibus remediis, partim ſumptis, vt iuſculis pinguibus *pullorum, gallinarum*, ac maxime *veteris galli cum anetho, polypodio & ſalis momento* perfecte cocti. partim iniectis, vt clyſteribus lenientibus, ex *malu. alth. violar. mercurial. cham. fœnogræco* & ſimilibus in prædicto iure decoctis, additis *oleis amygdalarum dulcium, chamæmelino, anethino, butyro recenti, adipe anſeris, melle roſac. & ſale.* partim adhibitis extrinſecus topicis, vt chalaſticis linimentis, cataplaſmatis, irrigationibus, fomentis, balneis ex aqua & oleo, in quibus *malua, althæa* & alia generis eiuſdem decocta ſint. Mox tentandum eſt vt decubitu ſurſum verſus vergente adornato, delapſum inteſtinum ad inguinum partes retrudatur, atque leniter citra compreſſionem ligatura faſciave adhibita contineatur. Summopere interim cauendum ne violentius inteſtinum impellatur, inflammationis metu.

Idopinabatur Frambeſarius cum D. Dambraneo aliiſque medicis Rhemenſibus, anno 1589.

CONSVLTATIO II.

De Ileo ab inflammatione orto.

c.3.d.1.t.4. l.3. VEhementiſſimus circa vmbilicum dolor, tumor in ſublimioribus inteſtinorum partibus apparens, chordæ conuolutæ inſtar, inteſtinorum murmur, ructus inanis, nauſea vomitio frequens, perfectaque ſtercoris & flatuum cohibitio, cũ febre, ardore, ſiti ac vigiliis, argumenta ſunt Ilei à tenuioris inteſtini phlegmone orti, quæ iam eouſque increuit, vt illius ductum viamq; penitus impleat, adeo vt nihil fæcis in aluum delabi ſinat. Quocirca longe periculoſiſſimus hic affectus

c.6.d.3.t.3. l.3. eſt, & à quo pauci admodum liberantur. Ad tentandam tamen curationem, ſecandaimprimis interna cubiti dextri vena. Deinde cucurbitula inflammatis partibus per ambitum ſcarificatis affigenda. Mox blandiores purgationes, ex *caſſia, ſyrupo roſarum pallidarum, catholico* exhibendæ. Ac lenientes clyſteres, ex *decocto malu. violar. fœnigr. ſeminis lini*

cum

cum oleo & butyro frequenter iniiciendi. Extrinsecus quoquè ea quæ inflammationibus conducunt, & dolorem leniunt apponenda. Victus ratio insuper tenuissima & refrigerans instituenda.

Hæc consulebat Fambesarius pro milite D. Ballagniani, anno 1592. Cameraci laborante.

TITVLVS VII.

De Hæmorrhoidibus.

Distinctio 1. de Hæmorrhoidum diagnosi.

CANON I.

HÆmorrhoides sunt tumores venarum sedis à sanguinis fæculenti & melancholici influentis copia orti. Harum aliæ sunt internæ & occultæ, aliæ externæ & conspicuæ, quæ foris prominent. Aliæ cæcæ quæ nihil aut parum admodum sanguinis excernunt, aliæ apertæ quæ certis quibusdam temporibus panduntur, & sanguinem emittunt. Quo fit vt horum symptomatum alterutro comitatæ sint, sanguinis suppressione, vel eiusdem fluore, à quo hæmorrhoidis nomen deductum est: quamquam venæ ipsæ quæ in ano sunt dilatatæ, sanguinemque fundentes, hæmorrhoides etiam appellentur. Solet præterea hæmorrhoidibus oriri inflammatio, maxime vbi dura aluus eum locum læsit: ac sæpissime dolor, *Ex varijs authoribus.*

Quid Hæmorrhoides.

Hæmorrhoidum differentia.

II.

Interiores hæmorrhoides citra manifestum tumorem fiunt ex melancholico serosoque sanguine, quem venæ portæ ramus nullo fere doloris sensu eructat, in egerendi conatu, seorsum quidem, nec fæci permistum. Externæ vero ex atro melancholicoque sanguine, quiè caua in extremum venæ profusus, nondum tamen illinc præ loci duritie exiliens cumulatur, idque replet & in ficus speciem distendit: quæque cæcæ sunt longe grauiori dolore affligunt, in maioremque tumorem attolluntur, quam quæ apertę. Facile igitur hæmorrhoides dignoscuntur, internæ ex põdere circa sedẽ, egerendi difficultate, sanguine aliis excrementis nõ permisto, & cõsueta purgatione: Externæ vero ex tumore, oris venarũ prominentibus, & tanq̃ ex capitulis quibusdã surgen-

Vnde & quo modo hæmorrhoides oriantur interna.

Externa.

Quibus notis dignoscantur hæmorrhoides interna.

externa.

surgentibus, vuæ acinis, vel moris, vel verrucæ similibus, vel ficus præpinguedine hiantes & semen ostentantes, quas Latini Mariscas vocant, referentibus: Cæcæ præterea ex vehementi dolore: apertæ ex sanguinis profusione. Si cum inflammatione sint, ex dolore vrente, ruuore, tensione, renixu, febre. *Ex Fernelio, Hollerio, aliisque quamplurimis.*

Cæcæ. apertæ. cum inflammatione.

III.

Immoderatæ profusionis causa continens, vel in sanguine est, qui multus, tenuis, aut acer, violenter erumpit: vel in venis quæ aut apertæ, aut exesæ, aut ruptæ iam sunt. Suppressio autem contrariis fit ex causis. *Fernelius.*

Quibus ex causis immoderata fiat sanguinis profusio.

IIII.

Suppressio.

Τοῖς ὡδακμάζουσιν αἱμορροΐδες. Ætate inclinantibus hæmorrhoides accidunt. *Hippoc. aph. 30. l. 3.* Hæmorrhoides quippe huic ætati familiares, quia fiunt ex atra bile, quando ad venas quæ in sede sunt, repente tota decumbit. *Galen.*

Quibus hæmorrhoides accidant.

V.

Hæmorrhois, affectus est hæreditarius. *Montuus.* Quibusdam enim familiis consuetæ sunt hæmorrhoides. *Hollerius.*

Hæmorrhois qualis affectus.

DISTINCTIO II.

De Hæmorrhoidum prognosi.

CANON I.

Quid in hæmorrhoidibus metuendum.

Κίνδυνος ἡ λάυρα τῆς αἱμορραγίας γινομένης, ὥσπερ αὖ, ἡ ἔ αἵματος εἰς τὸ παντελὲς διαχεθέντος, ὅθεν ἐργωδὴς ἡ θεραπεία. In hæmorrhoibus periculum est ne largum sanguinis profluuium accidat, quemadmodum ne idem in totum supprimatur: vnde laborioſa est curatio. *Paulus.*

II.

Quando sanguinis per hæmorrhoidas euacuatio salubris.

Αἷμα κάτω δι' αἱμορροΐδων, ἀγαθὸν ὅταν ἐκκενοῖ τὰ μέλανα, τουτέστιν ὅταν ἡ φύσις ἔ ἀνθρώπου πολλὰ τὸν τοιοῦτον ἀθροίζει χυμόν. Sanguis si infra per hæmorrhoidas deiiciatur, bonum, vbi nigra euacuantur, hoc est, quando hominis natura multum sanguinis eiusmodi accumulauerit.

uerit. Aliter non eſt aſſuefaciendum ei quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi, vt quæ periculoſam habeat vtramque ametriam, ſiue ſupra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur. *Galen. ex Hippoc. aphor. 25. l. 4.*

III.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι αἱμορροΐδες ἐπιγιγνόμεναι, ἀγαθόν. Melancholia & nephritide laborantibus hæmorrhoides ſuperuenientes bonum. *Hippoc. aph. 11. l. 6.* Quod enim mulieribus eſt purgatio menſtrua, hoc melancholia morbo laborantibus eſt purgatio per hæmorrhoidas, in quas ſeſe exonerat lien, ſi quando humore melancholico grauetur. Renes etiam cum ab humore craſſo & terreo nephritide vexantur, ex fluxu hæmorrhoidum ſentiunt non mediocre leuamen. *Ex Galen. ſentent.* *Quib. morbus ſuperuenientes hæmorrhoides præſidio ſint.*

IV.

Οἱ αἱμορροΐδας ἔχοντες, ὅτε πλευρίτιδι, ὅτε περιπνευμονίῃ, ὅτε φαγεδαίνῃ ὅτε δοθιῆσιν, ὅτε περμίνθοισιν, ἴσως ἢ οὐδὲ λέπρῃσιν, ἴσως ἢ οὐδὲ ἄλφοισιν, ἁλίσκονται. Qui hæmorrhoidas habent, ii neq; pleuritide, neque peripneumonia, neq; phagedena, neq; furunculis, neq; terminthis, pariter neq; lepra, neq; vitiliginibus corripiuntur. *Hipp. 3. ſect. 6. epid.* Varicibus, lieni indurato, arthritidi hæmorrhoides etiam remedio ſunt. Præterea vteri, veſicæ & pudendi affectibus proſunt. Quartana, angina, & aliis quam plurimis grauioribus morbis hominem vindicant. Salutaris quoq, hæc euacuatio epilepticis. *Holler.* *Quos morbos hæmorrhoides moderate fluentes arceant.* *Quibus inſuper affectibus proſint.*

V.

Αἱμορροΐδας ἐνθένδε χρονίας, ἢν μὴ μία φυλάχθῃ, κίνδυνος ὕδρωπα ἢ φθίσιν, A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi vna non ſeruetur, periculum eſt hydropem vel tabem aduenire. *Hipp. aph. 12. lib. 6.* Hæmorrhoides enim fiunt ob multitudinem & craſſitudinem ſanguinis ora venarum quæ terminantur ad anum aperientis, hepate ad ipſas reponente fæcem, atque ſanguinem melancholicum. Si quis igitur ei hoc includat iter, nec vnam ex hæmorrhoidibus relinquat apertam periculum eſt ab hydrope vel tabe. Regurgitat enim ſanguis ille craſſus & fæculentus qui per hæmorrhoidas ſolebat fluere in totum corpus. Si in hepar & vi præpolleat, calorem natiuum extinguet, ac ita peribit ſanguificatio, vnde hydrops. Si in pulmones ruat, rupto *Quos hæmorrhoides diuturna omnino ſuppreſſæ morbus accerſant.*

vase aliquo, excitabit vulnus, vnde pthisis accidit. Quare non frustra consulit vnam saltem seruare hæmorrhoidem, vt per hanc euacuetur fæculenta ac vitiosa materia hepatis, præsertim iis quibus solita est longo tempore per tales venas excerni. *Ex Galeno.*

V I.

Quos hæmorrhoides immodice profluentes morbos pariant.

Vt hęmorrhoides si moderate quidem fluant, pleroſq; morbos curant, & imminentes arcent, sic nimium sanguinem excernentes, cacheXiam, hydropem, alioſq; graues morbos pariunt. *Gorræus.*

DISTINCTIO III.

De Hæmorrhoidum curatione.

CANON I.

Curationis scopi.

MVlti sunt curationis scopi, tumentes aperiendæ, fluentes compescendæ: dolor mitigandus, inflammatioq; tollenda. *Hollerius.*

II.

Quib. hæmorrhoides prouocãda.

Assuetis & grauioribus morbis laborantibus aut opportunis aperiri possunt hæmorrhoides. Alioqui non est facienda consuetudo. Aperiendæ igitur non sunt, si non tumeant, & si nunquam fluxerint. *Hollerius.*

Vbi non aperienda.

III.

Vbi & quomodo hæmorrhoides sistenda.

Hæmorrhoides si immodice fluant sisti possunt. Sed sistendæ non sunt ἀθρόως, nec nisi κατὰ βραχὺ vacuato corpore. Ἰητροὶ γὰρ ἀκαίρως συχνοὶ, τοῖσι πιεστέοισι ὑ βεβρώθεσιν ἥλωσαν, ἢ ὀλέθρια ἔτω. Curati namq; importune multi, subito his morbis correpti sunt & grauissime. Hipp. 6. epid. 3. sect. Ἀκαίρως δὲ θεραπεύοντες τὰς αἱμορροΐδας οἱ μήτε βλεβοτομέμενοι τὰς φλέβας, μήτε δι' ὑπηλάτων ἢ γυμνασίων κενέμενοι, μήτε καταλιπόντες ἐξ αὐτῶν κἂν μίαν, ἀλλὰ πάσας ἀθρόως ἐξαιρεῦντες. Importune autem ab hæmorrhoidibus curantur, qui neque venæ sectione per interualla administrata, neque medicamentis subducentibus vel exercitationibus vacuantur: qui item ne vnam quidem ex ipsis relinquunt, sed omnes vniuersim tollunt. *Galenus.* Relinquere autem vnam apud Hippocratem nihil aliud est, quam non vrere, non secare, non consuere, siccare, putrefacere. Nam liber est de hæmorrhoidibus, vbi omnes vrit, secat, consuit, putrefacit, siccat. Vrit autem non adhibito venæ ferro, sed tantum admoto, vt assetur & siccetur. *Hollerius.*

IV. Pri-

IV.

Prima curatio est, si dolor valde molestus sit, vt leniatur: secunda, si sistantur hæmorrhoides & mali grauioris metum afferant, vt aperiantur: tertia si immodice fluant, vt cohibeantur. *Valesius.* *Qua methodo hæmorrhoidũ curatio mollienda.*

Sola quippe vacuatio optima censetur, quæ quod graue infensumque est, velut onus inutile deponit, citra corporis infirmitatem & virium iacturam, *Galenus ad finem lib. de diff. sympt.*

V.

Ægrotantes magna ex parte afficiuntur eorum quæ retinentur, aut quæ expelluntur excessu, vehementique dolore. Quocirca idonea curatio est, quod præter naturam retinetur vacuare, quod præter naturam expellitur restringere. Quod si dolor coniunctus præualuerit, huic primo curam conuenit adhibere, quia inde maximum imminet periculum. *Montuus.* *Idonea hæmorrhoidũ curatio, in quo consistat.*

VI.

Ante topicorum vsum plethora vel cacochymia affecti corporis est sananda. *Montuus.* *Cautiones in vsu remediorum hic adhibenda.*

VII.

Partis affectæ habita ratione, ab omnibus acribus & mordentibus abstinendum. Cauendum quippe à cancro aut fistula, quæ vehementioribus medicamentis facile inducuntur. *Hollerius.* *1. ne topica vniuersalibus præmittantur.*

VIII.

Videndum ne nimium adstringamus, aut refrigeremus podicem Hinc enim sequitur ani prolapsus, vel resolutio. *Hollerius.* *2. ne acria & mordacia hic vsurpentur.*

IX.

Vbi medicamentis non est locus, chirurgia opus est, ligatis, vstis tabefactis venis. Sed reuera hæmorrhoidibus diuturnis omnino periculosa sectio, qua vel moriuntur, vel in aliquem grauissimum dolorem priore peiorem incidunt. *Hollerius.* *3. ne podex nimio opere adstringatur, aut refrigeretur.*

Vbi ad chirurgiã confugiendũ.

CONSVLTATIO

De Hæmorrhoidibus.

AFfectus qui Dominum laborantem immaniter excruciat, notus est. Conspicuæ enim sunt in ano hæmorrhoides, non apertæ sed cæcæ, valdæ tumentes, cum inflammatione & atrocissimo dolore, quæ *c. 1. & 2. d. 1. t. 5. l. 3.*

c.17.d.1. t.1.l.1. iam à multis annis illi consueuerunt statis periodis erumpere. Oriuntur à copia sanguinis melancholici, ratione temperamenti initio calidi, iam vero frigidi & sicci, ætatis πραγματικῆς, crassioris victus, mœroris curæ, autumno præsertim in corpore luxuriantis, quem iecur ad venas sedis deponit. Quod ad *prognosim* attinet, affectus hic longe periculosissimus, eiusque difficillima curatio. Periculum enim ne melancholia, epilepsia, angina, peripneumonia, pleuritis, nephritis, arthritis, quartana febris, aliive grauiores morbi quibus æger est opportunus, ob morbificæ materię anadromen breui excitentur, nisi hæmorrhoides iamdiu suppressæ aperiantur. Contra vero metus est, si apertæ nimiũ sanguinẽ profundant, ne refrigerato præter modum hepate cachexiam, hydropem, alioſve lerhales affectus pariant. Verumenimvero si id tantum quod naturæ graue infensumque est, velut onus inutile citra corporis infirmitatem & virium iacturam excernant, ægrotantem non modo ab ingentibus cruciatibus quibus in præsentia torquebatur liberabunt, sed etiam ab imminentibus morbis prius commemoratis vindicabunt, nec quos deinceps recensui præter naturam affectus accersent. Quocirca, vt ad curationem transeam, immanis dolor, ne fluxionem morbificam ingeminet, imprimis leniendus atq; placandus est, triplici anodynon genere, primo materiam dolorificam dementibus, secundo topicis inflãmationem extinguentibus, postremo paregoricis natiuo calori analogis. Si his remediis dolor non mitigetur, nec tumor *discutiatur*, aperiendæ hæmorrhoides, cum præsertim iampridem aperiri consueuerint. Si tandem immodice fluant, tum erunt cohibendæ. Ad materiam morbificam demendam incidenda primum basilica dextra ad reuulsionem causæ antecedentis. deinde molleoli vena ad causæ coniunctæ amotionem. Cacochymia mox repurganda ex *decocto foliculorum senna, diluto rhei, diaphœnico. syrupo de fumaria.* Aluus item cassia sępe mollienda, ac mollibus senibusq; enematis frequenter subducenda, ne arida stercora dum excernuntur, hæmorrhoidas exasperando cruciatus augeant. Mox linimentum *ex mucaginis sem. psyllij ℥.iij. vng. popul. ℥ ij. olei violac.* ℥ j. cũ ouo integro subactis, gossipio exceptũ, parti dolenti admouendum, ad ardorem extinguendum. Violaria etiam in lacte cocta, ad pultis consistentiam, cũ tantillo olei rosacei applicanda. Si dolor vrens vrgeat, mucilago *seminis hyoscyami in aqua plantag. extracta*, vel *folia hyoscyami* in lacte cocta, cataplasmatis

c.1.d.2.t.5. l.3.

c.6.d.2.t.5. l.3.

c.4.d.2.t.5. l.3.

c.11 d 3.t. 1.l1 &c.

4.d.3.t.5. l.3

c.34.d.3. t.1.l.1.

plasmatis instar, vel Philonium, opium & alia id genus narcotica in lacte dissoluta erunt adhibenda, vt refrigerando & obstupefaciendo doloris sensum tollant. Sublata inflammatione παρηγορικὰ calore temperata & natiuo nostro quam simillima erunt vsurpanda, vt demulceant deliniantque partem affectam quodammodo exasperatam, & ulcique sensu quem mouent, eius veluti tristitiam, molestumque sensum aboleant, suaque tenuitate pariter euacuent, digerant, rarefacian', extenuent, emolliant, concoquant, & æquabile reddant quidquid crassi & lenti humoris est particulæ dolenti impactum. Adhibendi ergo fotus ex *foliis althææ, floribus chamæmel. melilot. aneth. seminibus lini, fœnigr. in lacte decoctis.* Deinde litus ex *oleo amygdalarum dulcium, liliorum mucagine, seminum lini, fœnigr. althææ.* Tum mica panis albissimi cum ouorum vitellis in lacte decocta, addito croci momento, emplastri modo admouenda. Vel cataplasma ex *carnis pomorum dulcium sub prunis coctorum ℥ iiij. butyri recent. ℥ ij. adipis anatis & gallinæ, olei violac. & amygdalarum dulcium ana ℥ ß. lactis muliebris ℥ ij. luteis ouorum ij.* addita lini & fabarum farina, parti tumenti apponendum. Si hæc præsidia malo victa fuerint, aperiendæ erunt hæmorrhoides, vel scalpello, vel adhibitis hirundinibus, vel admoto cataplasmate ex cæpa sub cineribus cocta, cum felle bubulo trita, aut aliis id genus anastomoticis, non tamen valentioribus, ne cancri, fistulæ, aliiq; difficiles affectus postea superueniant. Si temporis spatio per se non sistantur, sed immodice ac iusto longius sanguinem fundãt, sic vt æger paulatim contabescat, corporisque robur deiiciatur, confestim supprimendæ erunt, metu cachexiæ atque hydropis ab immodica vacuatione impendentis. Vt autem cohibeantur, auertendus sanguis, secta cubiti dextri vena, si vires ferant: sin minus affixis hypochondrio dextro atque siniſtro cucurbitulis. Necnon & vinculis ac frictionibus asperis manibus ac brachiis iterum atq; iterum adhibitis. Quibus peractis, fortis expressio ℥ ij. *rhei electi, vel myrobalan. in aqua cichorij & plantag. infus. cum ℥ j syrupi rosarum siccarum* propinanda, ad vitiosum succum redundantem purgandum, ac insuper adstringendum. Catapotia quoque de *bdellio ij. vel iij* quotidie vna hora ante cœnam in eundem finem deglutienda. Exhibendi præterea adstringentes *syrupi rosarum siccarum, myrtillorum, cydoniorum, è ribes,* cum *aqua stillatitia plantag. aut oxalydis,* aut *nymphææ,* additis *trochiscis de berberis, de spodio, de terra sigillata.* Extrinsecus quoque ea adhibenda sunt, quæ sanguinem reprimere valent, vt encathisma

c. 7. d. 3. t. 5.

l. 3.

thisma ex *decocto plantag. polygoni, verbasci, rosarum rubrarum, rubri, malicorij, balaust. gallarum glandium, baccarum myrthi sumach*, & similium adstringentium, addito vino styptico. Quod si ægrotans in eo desidere nequeat, anus cum spongia in prædicto decocto madefacta fouendus, dein illinendus vnguento ex *succorum plantag. sanguinariæ & solani an. ʒ ij. aloës, corticis thuris, terræ Lemn. an. ʒ ij. ß. olei myrthini, mastichini & rosacei an. ʒ j. albuminibus ouorum ij. ac ceræ q. s.* confecto. Tum cataplasma ex *aloe, thure, bolo Armena, sanguine draconis, balaustiis, cum albuminibus ouorum* subactis compositum, vasis sanguinem fundentibus imponendū. Quod ad victus rationem spectat, vtendum cibis boni succi ac minime excrementitiis, refrigerantibus, ac initio quidem morbi laxantibus, vt aluus lubrica reddatur, quo minor sit in egerendo conatus, sed initio sistendæ profusionis consilio, modice adstringentibus, vt hordeatis, prunis cum saccharo coctis, brassicæ *decocto iusculis pinguibus, intybo, cichorio, lactuca, acetosa, portulaca alteratis*, carnibus *omphacio & succo arantiorum* intinctis. Pro potu, aqua hordei aut glycyrrhizæ, postea vero oryza cum lacte cocta, carne cydoniorum initio pastus sumpta, vino rubro, austero styptico, aqua chalybeata perfuso. Sed iam de proposito affectu satis dictum habeo.

Hæc Frambesarius consulebat, Lauduni cum medicis Regiis, anno 1594. pro nobili viro Veremanduo.

TITVLVS VIII.

De Lienis tumore.

Distinctio 1. qua continentur diagnostici canones.

CANON I.

Qui proprie Splenici.

SPlenici licet generaliter dici possint omnes qui ex splene laborant, peculiariter tamen sic dicuntur quibus lien præter naturam intumuit, magisque proprie quibus diu obduruit, adeo vt non modo præter naturam tumore, sed & scirrhoso iam obsessus esse videatur. *Ex Gal. Altom. Holler. Gorræo.*

II.

Quibus no-

Splenicis grauitas sinistro hypochondrio sentitur, tumorque durus ac

rus ac renitens, vt si lien sine scirrho distendatur, tumor laxus & tactui cedens animaduertitur, difficultas est anhelitus per oppressionem diaphragmatis cui subiacet lien, decubitus in dextrum latus molestior, ob μετεωρισμὸν & suspensionem, dolor ad iugulum sinistrum tendit, color plumbeus, sitis, noctu sudor grauis erumpit, sanguis sæpe profunditur, pudenda turgent, sed noctem pedes intumescunt, venæ ad lienem nigricant, squalescit cutis, vlcera maligna in tibiis nascuntur, gingiuæ exeduntur, os fœtet. Tumoris materia sæpe solo liene concluditur, tumque splenis situm figuramque retinet. Interdum vniuersum hypochondrium implet. Nonnunquam etiam in omentum effunditur, tūque sub vmbilico tumor est. *Ex Holler. Altomar. Fern. Paul. Aet. Celso. &c.*

Splenicus morbus dignoscatur.

Materia morbifica sedes.

III.

Lienosi fere euadunt præcopia melancholici humoris lieni infarcti. Melancholicus enim terrenusque humor qui sanguinis fæx est abundantior in liene cumulatus, vel quia multus erat in sanguine, vel quia eius naturalis vacuatio quæ à liene in ventriculum aut in aluum fieri solet, suppressa est, principio laxum tumorem ingenerat. Deinde sensim crassescens, atque obdurescens, tenui parte caloris vi dissipata, non modo obstructionem, sed & verum lienis scirrhum contrahit. Idque accidere solet, quoties tumori aut nulla, aut etiam vitiosa adhibetur curatio, per ea quæ ipso protinus initio vehementer digerunt ac resoluunt. Lienis etiam phlegmone nec concocta nec digesta aliquando in scirrhum obdurescit: sed id rarum est, quod purus sanguis in lienem raro penetret, inflammationemque illic excitet. Nonnumquam aquosus pituitosusque humor in lienem confluens, tumorem præter naturam inducit, iis potissimum qui in locis palustribus humidisque degunt, & qui frigidæ potu largiore, humidisque vescuntur oleribus, iis etiam qui è frigidis, humidis, diuturnisque morbis emerserunt. *Ex Fernel. Gorr. Bruel. & reliqui.*

Ex quæ causa, & quomodo & quando splenicus morbus contrahatur.

DISTINCTIO II.

Qua continentur Prognostici canones.

CANON. I.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν. Lienosis dysenteria superueniens, bonum. *Hipp. aph. 48. lib. 6.*

Vt dysenteria splenicis

II. Οκό-

II.

superueniens, saluta ris si breui finiatur. Lethalis, si diutius perseueret, vt qua hydropem aut lienteriam incurabilè accersat.

Ὁκόσοι σπλεωώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγιγνομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται. Quicumque lienosi dysenteria corripiuntur, si diuturnior illa fuerit, hydrops, aut lienteria superuenit, & moriuntur. *Hippoc. aphor. 43. lib. 6.* Qui enim lienosi sunt, hoc est qui durum iamdiu habent lienem, iis superueniens dysenteria, soluit affectionem, quando ratione euacuationis humorum melancholicorũ lieni insertorum euenerit. Sed quoniam sæpius huiusmodi euacuatio, vltra modum extenditur, & noxia est laborantibus, conuenienter Hippocrates quem finem habeat immoderata hæc dysenteria ostendit. Læsis siquidem intestinis transitu vitiosorum humorum, facultas illorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur. Ob hanc igitur causam & lienteria proprio intestinorum vitio contingit, & aqua intercus per hepatis sympathiam. Iecur quippe larga euacuatione debilitatur, & refrigeratur. *Ex Galeno.* Quocirca quę sub splenici morbi finem crisimque erumpente melancholico humore excitatur prompte dysenteria, si diutius perseueret, omnino lethalis est, sin breui finiatur, magna ex parte salutaris est. *Ex Gorræo.*

III.

Quod exquisitus lienis scirrhus, incurabilis.

Lienis scirrhus si fuerit exquisitus, omnino incurabilis est. *Altomar. ex Gal.*

IV.

Vt ex liene vitio varij præter naturam affectus emergant.

Si præ lienis vitio melancholia à sanguine non secernatur, nonnumquam in venas *meseraicas* refluit, vnde excitantur hæmorrhoides, quibus homines *vindicantur* ab infinitis symptomatis: aliquando in hepar, vnde scirrhus, hydrops, *& alia id genus vitia*: interdum in pulmones vnde tabes: vel in latus vnde pleuritis: sæpe in cerebrum, vnde melancholicus morbus: quandoque in venis cunctando putrescit, & flatulento inde spiritu per arteriam aortam transmisso, cordis palpitationem affert. *Ex Dureto.*

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

Qua ratione splenici

AD tentandam curationem crassus lentusque humor tumoris author imprimis incidendus & detergendus est, obstructique meatu

tus aperiendi, deinde materia accurate per epicraſim purganda diſcutiendaque, durities remollienda, affectumque viſcus pariter corroborandum. Sed vt ſplenica medicamenta ad lienem aditum habeant, prima corporis regio ante omnia eſt euacuanda, mox melancholici ſucci in venoſo genere redundantis plenitudo venæ ſectione demenda. *Frambeſarius.* *morbi curatio tentanda.*

II.

Cum melancholicus humor non niſi difficillime euellatur, hic validiſſimis vtendum medicamentis, eaque ſæpius reperenda, ac ſubinde immutanda, ne vni aut alteri natura tandem aſſueſcat, *Ex Galen. Altomar. Fuchſ. Holler. Sylu. Bruel &c.* *Quibus medicamentis hic vtendum.*

III.

Vitanda hic quæ immodice calfaciendi & exſiccandi vim habét, nedum intus aſſumpta, verumetiam extrinſecus admota, eaque duntaxat vſurpanda quæ nec valide calfaciunt nec exſiccant, qualia ſunt μαλακτικὰ, emollientia, quæ quod concretum eſt liquant, & per halitum ſenſim digerunt, quibus aliquid eorum quæ adſtringendi vim habent, ad viſceris robur eſt admiſcendum. *Ex Gal. Altom. Fuchſ. Bruel. &c.* *Quæ medicamenta hic vitanda.*

CONSVLTATIO XXI.

De Scirrhoſo lienis tumore.

MAnifeſta in hypochondrio ſiniſtro grauitas, tenitenſque durities cum obtuſo dolore ac ſpirandi difficultate, moleſtior in latus dextrum decubitus, turbulentus ſomnus, ſubniger ac ſubliuidus corporis color, ſqualida cutis, maligna vlcera quæ in tibiis erumpere conſueuerunt, & alia id genus moleſta ſymptomata, ſplenicum eſſe laborantem aperte demonſtrant, vt cui lien tumore præter naturam, eoque ſcirrhoſo iamdiu obſeſſus eſſe videatur. Hic autem ſcirrhus ex contumaci & inueterata obſtructione traxit originem, quam melancholia in liene copioſior congeſta, nec tempeſtiue expurgata tempore craſſeſcens induxit. Is quippe humor per ſe craſſus & lentus præ copia non venas modo, ſed & omnem viſceris ſubſtantiam raram & laxam implens ac infarciens, vniuerſum lienem in amplam molem diſtendit, ac demum tenui patte caloris vi diſſipata magis magiſque craſſeſcens atque ſicceſcens adeo tandem obduruit, vt inde ſcirrhus lienis emerſerit. Quod ad *Prognoſim* attinet, hic ſcirrhus vt exquiſitus nequaquam *c. 2. d. 1. t. 8. l. 3.* *c. 3. d. 1. t. 8. l. 3.*

est, cum grauis etiamnum sentiatur dolor, ita nec prorsus videtur immedicabilis. quoniam tamen pertinax affectus est, ex contumaci & inueterata causa subortus, in impuro atq; iam male habito corpore non nisi difficillime & longo tempore curationem admissurus est. Periculum insuper ne per hepatis sympathiam hydropem accersat, calore natiuo tandem præ melancholici succi in iecur refluentis copia obruto & suffocato, vel longa superueniente dysenteria refrigerato & extincto.

c.2.&4.d. 2.t.8 l.3. Nec minus metuendum ne facta melancholiæ vberioris in maiores venas anadrome, tota sanguinis massa labefactetur, vnde alij exitiales excitentur morbi, vel corpus atrophia sensim exaresçat & absumatur, vel dysenteria succedente maligni humoris transitu vlcera in intestinis incurabilia relinquantur, viresque adeo prosternantur, vt inde mors breui consequatur. Ad tentandam curationem, crassus lentusque

c.1.d.3.t.3. l.3. humor obstructionis author ante incidendus & detergendus est, obstructique meatus aperiendi, deinde materia acurate purganda discutiendaque, durities remollienda, pariterque affecta pars corroboranda. Sed vt splenica medicamenta ad lienem aditum habeant, prima corporis regio, cassia vel catholico vel saltem clystere imprimis repurganda. Deinde succi melancholici in toto corpore luxuriantis pleonexia sectione venæ internæ cubiti sinistri demenda est. Mox materia morbifica erit præparanda tum iulepis *ex syrupo de fumaria, de epithymo, depomis redolentibus, bizantino, adiantino, acetoso, oxymelite*, cum *duplo aquæ borraginis, lupuli, fumariæ vel scolopendrij* comparatis: tum apozematis ex *decocto corticum rad. capparum, thamaricis, polypodij querni, apij, oxylapathi, cichorij totius, foliorum scolopendrij, ceterach, adiant. polythric. chamædryos, chamæpytios, puleg. marrubij, fumar. bugloss. borrag. lupul. thymi, epithymi, cuscut. glycyr. rasæ, passul. mund. seminum anis. fœnic. agni, rutæ, rubiæ, iij. florum cardiacorum, genistæ & syrupis prædictis*, vel *oxymelite simplici* vel *scyllitico* compositis, quibus per multos dies vtendum erit, quia humor peruicax, apparatuque difficilis. Apparato humore, reseratisque meatibus, frequens exhibenda purgatio, eaque valida, modo potionibus ex *senna, epithymo, agarico trochiscato, catholico, hiera diacolocynthidos*, vel *confectione hamech*, aliquo ex prædictis syrupis & decocto splenico institutis: modo *pilulis de fu-*

c.2.d.3.t.8 l.3. *maria, de agarico, fœtidis, Indis, de lapide lazuli.* Subinde enim aliis atque aliis vtendum est medicamentis, ne vni tandem natura assuescat.

Vt au-

Vt autem reliquus humor discutiatur, ac durus tumor emolliatur, affectumque viscus pariter corroboretur, foris adhibendus fotus ex *radicibus capparum & cyclamini, foliis malu. bismalu. violæ, parietar. scolopend. absynth. centaurij minoris, betonic. vrticæ, rutæ, summitatibus lupul. aneth. seminibus lini, fœnigr. alth. floribus genistæ chamæmel. melilot. rosis rubris, decoctis in aqua, aceti quadrante addito.* Atque illitus ex *oleis de capparibus, rutaceo, amygdalino, liliaceo, lotis aceto scyllitico*, cum *adipe anseris, gallinæ, struthiocameli, medulla cerui, mucagine seminum lini & fœnigraci, & pauca cera.* Admouendum postea emplastrum ex iisdem concinnatum, additis pulueribus *iridis, asari & cyclamini*, cum *bdellio & ammoniaco forti aceto solutis*, vel emplastrum de *meliloto, de mucilaginibus, diachylon ireatum.* Ad visceris robur conciliandum, opiata insuper parari poterit ex *conseruis rosarum, anthos, adianti & bugloßi, mithridatio veteri, aromatico rosat. electuar. Galeni lætificante, confectione alkermes, syrupo adiantino* exceptis, qua vtatur ad crassitiem fabæ, sub horam somni, & in exitu lecti. Quod ad victus rationem spectat, cibis vtendum, qui concoctu sint faciles & bonum succum tenuemque generent, & condimentis quæ aperiendi, extenuandi, detergendi, obstructioneſque eximendi vim habeant, acida vero maxime conueniunt. Frequens capparum esus imprimis commendatur. Fugienda dulcia omnia, vt *lac & mustum*, necnon & dyspepta, glutinosa, crassique succi alimenta, cuiusmodi sunt *carnes bubulæ, suillæ, leporinæ, ceruinæ, legumina*, vt *pisa, fabæ, castaneæ* & similia. Bibendum vinum tenue aqua dilutum, in qua ferrum candens sæpius extinctum sit. Ante pastum moderata exercitatio subeunda. Si quæ sit curationis spes reliqua, hac methodo molienda mihi videtur.

Hæc consulebat Frambesarius cum D. Mombello medico Reginæo pro ciue Rhemensi, anno 1593.

TITVLVS IX.

De Nephritide & Lithiasi.

Distinctio I. De dignoscendo renum & vesicæ calculo.

CANON. I.

NEphritis etsi commune nomen est omnium renũ affectuum, proprie tamen pro renũ calculo vsurpatur, quod is omnes renũ mor- *Quid proprie nephritis.*

Quid Lithiasis. bos doloris magnitudine superet, sitque cruciatus vehementia cæteris anteponendus. Sic & λιθίασις etsi communiter omnem calculosum affectum significat, peculiariter tamen pro vesicæ calculo fere sumitur. Sunt & qui nephritim pro renum inflammatione, & Lithiasim pro renum calculo peculiariter vsurpent. *Ex Altom. Pertuo &c.*

II.

Calculi materia. Calculi materia crassus est & viscosus humor in renes pariter cũ sanguine eiusque sero excurrens, qui alias ex cruditate, alias ex torrido terrenoque sanguine processit. *Causa efficiens.* Efficiens vero causa est immoderatus renum calor, qui humores perurens, siccans & obdurans cogit in lapidem. Nec raro insita renum arenosa calculosaque constitutio à parentibus contracta. Quandoquidem hoc vitium omnium est maxime hæreditarium, vt nõ paucis pariter cum renibus calculus procreetur. Adiuuantium porro causarum præcipua est otium, somnusque diuturnus decubitu supino. *Ex Fernel. &c.*

III.

Vnde & quomodo vesica calculus oriatur. Vesicæ calculus sæpe in renibus primordium rudimentumque accepit. Inde enim per nephriticum dolorem in vesicam excidens, illic præ magnitudine & asperitate frequenter persistit, & allatarum sordium adhæsu coagmentatur, dum verus confirmatusque lapis fiat. Aliquando etiam in vesica primo gignitur ex crasso crudoque succo per venas cum vrina in vesicæ capacitatem delato, qui tanquam fæx subsidens, loci calore exarefactus sensim lapidescit. *Ex variis author.*

IIII.

Propria nephritidis nota. In nephritide renum dolor nullo tumore foris conspicuo sentitur, grauis quidem & obtusus, quandiu calculus in renibus consistit quiescitque: acerbus vero ac excrucians vbi lapis è renibus emotus per angustum vreterem, cuius est eximius sensus, exitum sibi parat, præsertim si crassiusculus, inæqualis ac scaber fuerit. Exasperatur dolor quoties aluo suppressa renes vel flatu vel fæce premuntur, aut cum decubitus est in aduersum latus, aut cum vehementior est exercitatio, aut cum spina dorsi inflectitur. Isque in renis situ fixus alterutro latere stabilis est, nisi quod interdum vel ad coxendicem vel ad testem qui è directo

directo iacet, vreteris tractu protenditur. Non vt colicus dolor in ventrem medium aut in omnem illius regionem murmure quodam euagatur, neque semper citata & expurgata aluo discussisque flatibus mitescit: vomitus fit, qui sæpius dolorem leuat, initio quidem pituitosus, quia talis succus in ventriculo creari solet à multis crassisve cibis: deinde biliosus, assato: æruginosus deniq; per dolores ac vigilias corrupto sanguine. Vrina cum malum incipit pauca, tenuis & aquosa est, interdum vero supprimitur: postea copiosa, crassa, & arenosa exit, eaque ardoris quodam sensu ad crebrius meiendum compellit. Per laborem & duram equitationem vrina profluit cruenta, quitum calculus suo pondere & attritu renem contundit, ac plerumq; fine sensu dilacerat exulceratque, è quo sanguis cum vrina profunditur. Cruris quod è directo est affecti renis stupor quibusdam inest molestus, propter compressionem neruorum. *Ex Hippoc. Galen. Aët. Paulo, Fernel. &c.*

V.

Vbi calculus in vesica subsistit, oberrans circa pubem & perinæum titillatio prurituſque percipitur, si quidem exiguus is & læuis etiamnum est: cum vero grandescit incumbentis grauitatis pondus sentitur, vt idcirco difficilis & doloris plenus per salebrosa loca sit incessus, multoque difficilior saltatio. Mictio crebrescit adeo vt & tandem assiduo meiendum sit, vixque possit vrina cohiberi. Quum meiendum est, vrinæ fluor repente intercipitur, obuiam quidem impulso calculo, sicque minime continuata sed intercisa est emictio. Actum dolor alias vniuersum pudendi ductum, alias glandem solam affligit, isque acerrimus sub emictionis finem, cum calculus vrinæ cursu incitatus quasi proditurus sphincterem violentius comprimit. Meiendi conatum comitatur desidendi cupiditas, quod calculi magnitudo è perinæo rectum intestinum vt vesicæ ceruicem extimulet. Vrina alba, crassa & turbida redditur, cum grandior calculus iamdiu est in vesica detentus, in qua sedimentum purulentum est, aut narium mucori persimile. Ad extremum vero digitus in anum aut certius catheter in vesicam immissus, quod coniectura dubium incertumq; fuerat, sensu explorabit confirmabitque. *Ex Fernelio & cæteris.* *Propria calculi vesicæ signa.*

VI.

Adultis & inclinante ætate nephritis potius quam pueris accidit. Con- *Qui renū*

Calculo magis opportuni. dit. Contra vesicæ calculis pueri frequentius quam ætate proue ctiten-
Qui vesica calculo sæpius tentantur. tantur: idque non nisi ob diuersitatem caloris, qui in adultis crassos succos cogit in spissatque, in pueris vero fundit atque dissoluit. *Ex Gal. Aet. Altom.*

DISTINCTIO II.

De Calculi præsagio.

CANON I.

Qui calculi facile quique difficillime excernantur. CAlculi parui, rotundi, læues facile excernuntur, sed magni, oblongi, asperi, non nisi magna vi summoque cruciatu excerni possunt. *Ex Aet.*

II.

Quibus calculi excretio magis, vel minus molesta. Iis qui nephriticis doloribus iamprídem assueti sunt, vsque adeo dilatantur aliquando vreteres, vt per eos mediocres calculi sine molestia excidant, qui olim non nisi summo cruciatu procidissent. Qui vero aut nondum aut certe raro & leuiter nephritico dolore tentati sunt, minimo calculo distorquentur. *Ex Fernel.*

III.

Vt calculus in via diutius hærens periculosus. Si calculus in via diutius hæreat, magno cruciatu vreterem dilacerans, periculum est ne vires à vigiliis & constanti dolore deiiciantur. *Ex Tralliano & aliis.*

IV.

Vt nephritis exitiales morbos pariat. Nephriticus dolor accersita per emulgentes venas fluxione, phlegmonem quandoque parit, quæ nonnunquam in abscessum conuertitur. Vnde renum vlcus. Sed id crebrius à *calculo* intus coërcito fit, qui vel pondere renem contundit, vel attritu comminuit exeditque. *Ex Fern. Bruel. & alijs.*

V.

Vt à nephritide metuendus vesicæ calculus. Calculus è rene per vreterem in vesicam illapsus illic sæpe subsistit, & assiduo materiæ appulsu in vesicæ calculum coagmentatur. *Ex Fernel. & alijs.*

VI.

Cur curatu. Curatu difficilior vesicæ quam renum calculus, quia medicamẽta in-

ta integris viribus ob longitudinem viæ, eo non pertingunt, & durior est in vesica, quam qui concrescit in renibus lapis. *Ex Valet. Bruel. &c.*

tu difficilior vesica quam renum calculus.

VII.

Τὰ νεφρῖτικὰ καὶ ὀκόσα κατὰ κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδέως ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι. Renum & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur. *Hipp. aph. 6. l. 6.* Vix sanantur in quibusvis, quoniam renum & vesicæ opus indesinens est, quietem autem requirit sanatio: & quia excrementum acre exacerbare natum est, siue vlcus, siue inflammatio, siue aliqua alia passio in ipsis constiterit: ac potissimum in senibus, ob virium imbecillitatem. *Ex Galeno.*

Quibus renum ac vesica vitia maxime curatu difficilia.

DISTINCTIO III.

De Calculi curatione ac præcautione.

CANON I.

Qui ad nephritidis curationẽ scopi proponantur.

MEdendi scopus duplex, vnus Therapeuticus, alter Prophylacticus. Vterque iterum multiplex. Ad moliendam enim nephritidis curationem, excrucians dolor leniendus & demulcendus est, ne vires deiiciantur, calculus vt deturbetur, comminuendus, deterendus & attrahendus, vreteris via dilatanda, relaxanda, lubricanda, vrina cienda, inflammatio, febris, reliquaque imminentia symptomata arcenda. In eumq; finem iniicienda, adhibenda, exhibendaq; remedia paregorica, causamque doloris auferentia, hisque victis narcotica. Ad præcautionem vero immoderatior renum calor calculi genitor contemperandus, succique crassi & viscosi qui creandis calculis materiam subministrat prohibenda generatio, victus ratione refrigerante, humectante, extenuante & detergente. Quod si quis vitiosus humor in corpore imprudenter genitus sit, ne ad renes fluat blandis catharticis per aluũ accurate auertendus & euacuandus est. Ac si forte eius nonnihil ad renes irruerit, ne illic subsistat impingaturque confestim excutiendus, & deturbandus, diureticorum vsu. *Frambes.*

Quid ad præcautionem.

II.

Vbi in nephritide phlebotomia locus.

In nephritide si plenitudo sanguinis adsit, si dolor intolerabilis existat, si ex ingenti dolore inflammatio, febrisque metuatur, vel vtraque iam adfuerit, secanda vena est è directo renis laborantis. Perunditur, reuulsionis gratia, interna cubiti, ex Actij sententia: euacuationis vero deriuationisque causa, poplitis vena, Hippocratis consilio: vel saltem malleoli, vt monet Galenus. *Ex Altomar. Holler. Valet. & alijs.*

Quæ vena secanda.

III. Vbi

III.

Vbi purgationi locus. Quibus pharmacis molienda. Cur enema maxime vtendum. Cautiones in clysterũ vsu adhibendæ.

Vbi vitiosus succus in corpore exuperat, purgatio molienda est, sed blandis catharticis. Clysteribus autem paroxysmi præsertim tempore magis vtendum, quam pharmacis per os sumptis. Dolorem quippe citius leniunt, cum subito onere inutili intestina reneſque leuent, integrisque quasi viribus ad renes perueniant illorum vires. Cauendum tamen vnice, ne validiores sint, ne aliunde humorum copiam ad intestina trahant, vreteresq; angantur & comprimantur. Parua item quantitate iniiciendi sunt, ne copia renes grauentur. *Ex Altomar. Fuchs. Bruel.*

IIII.

1. 2. Cur frequentior iusculorum remollientium vsus vitandus.

In nephritide remollientibus iusculis diutius vtendum non est, ne frequentiori illorum vsu renum corpus effœminatum & debilitatum excipiendis fluxionibus, gignendisque calculis reddatur opportunius. *Ex Riolano & aliis.*

V.

Cur anodyna atq; cathartica diureticis ac saxifragis præmittenda.

Doloris acerbitas mitiganda, corporisque sentina expurganda est, antequam medicamenta diuretica, lapidemque frangentia vsurpentur, ne humores illorum vsu liquati à toto corpore, ad partes affectas attrahantur, malumq; augeant. *Ex Bruel. & aliis.*

VI.

Quæ in diureticorum vsu accurate considerandæ.

Vt diuretica rite vsurpentur, corpus considerandum, & materia ipsa, causaque efficiens. Nam si corpus præpingue, intemperans, gulæque deditum; aliter sese gerere oportet, quam si corpus gracile, bilioſum, calore acri & squalido abundans. Crasso & præpingui inedia, vsus attenuantium confert. Calido, siccoque & bilioso inedia inutilis, imo periculosa, vt quæ coagmentationis maioris causa sit. Diureticorum vero vsus apprime in illis necessarius, in his noxius existit. *Ex Galen.*

VII.

Vbi diuretica vitanda, & vbi ex vsu sint.

Calida vrinam prouocantia lapidem indurant: quæ tepida sunt, paulatim comminuunt, nec duriorem reddunt. Nam cum lapis ab intemperie validoque calore cogatur, quæ vim tepidam habent, prosunt, vtpote contraria iis à quibus generatur lapis. Diuretica autem

tem

tem valde calida lapidem indurant magis. Cum vero lapis nondum exiſtit, aut magnus non eſt, tamen ab arenis obſtructio fit, & à craſſis glutinoſiſque ſuccis, tunc calida ſecure porrigas, quæque obſtructiones expediunt. Ex authore libri de renum affectu. Itaque aliud eſt conſiderare arenulas ipſas deturbandas, aliud lapidem ipſum qui aut fiet aut factus eſt. Ad arenula obſtructionemque diuretica, & quæ acriuſcula ſunt. ῥυπτικὰ, conferent. Ad calculum qui adhuc fit, quæ incremento prohibebunt, quæ arenulas adhærentes detergent, glutinum incident & attenuabunt. Ad iam factum, quæ emollient, & tepidam quandam vim habebunt, vt maxime attemperetur calor acer, mordax, ſqualidior, qui eſt opifex calculi, compactor & excoctor. *Ex docto quodam medico.*

VIII.

Quæcumque vrinas ſtrenue cient, eadem quoque renes & vrinæ ductus abſtergendo incidendoque expurgant, & arenulas pariter exturbant, & calculos ex arenularum adhæſu leuiter concretos diſſoluunt atq; diripiunt. At vero ſolidiores veroſq; calculos quæ proprie comminuere traduntur, attenuant inciduntque nullo calore, nullaq; ficcitate inſigni. Nimius enim calor concretum calculum magis excoquit, & obdurat, obiterque quæcumque mediis viis obhæreſcunt ſuperuacanea ſecum in renes deducit, vnde vrina alias ſupprimitur, alias tenuis & pellucida præterfluit: hoc genere ſunt limonum ſuccus, radix oxalydis, rubi, aſparagi, graminis & perſonatæ, betonica, adiantum, aſplenum: Nonnulla etiam aſperitate ſua calculi ſummum faciem abſtergunt, & attritu comminuunt, vt vitrum combuſtum, ouorum teſtæ, milium ſolis. Nec deſunt quæ id proprietate efficiant, vt lapis Iudaicus. *Fernelius.*

Quæ arenulas deturbandis remedia conueniant

Quæ calculos ſolidos comminuant.

IX.

Vt ad calculi excluſionem, ita & ad prouiſionem, diureticis calidis non niſi magna cautione vtendum eſt, quia calfaciendo renes, intemperiem lapidis effectricem augent. Videtur bonum præſens, quod arenulas multas deturbent, ſed damnum emergens, quod cauſa mali maior relinquatur. Itaque tutior diureticorum frigidorum vſus. *Ex Riolano, & aliis.*

Vt tutior frigidorum quam calidorum diureticorum vſus.

X.

Vt calculus vesicæ curandus.

Lapis in vesica vt in renibus curandus, sed valentioribus remediis, quia durior est, & longius ab ore per quod remedia sumuntur abest. Si tamen magnus sit & prædurus, execandus est à lithotomo petito. *Ex Sylu. Holler. &c.*

CONSVLTATIO

De Nephritide.

ACerbissimus cruciatus quo laborans distorquetur, Nephritis est, à calculo in dextro rene concreto exitum per vreterem affectante orta. Dolor enim grauis in renis dextri situ iampridem fixus, interdum ac coxendicem vsque vel ad testem qui è directo iacet, vreteris tractu protensus, spinæ dorsi difficilis inflexio, decubitus in aduersam partem magis quàm in ægram molestus, femoris quod è directo est stupor, vrina principio tenuis & aquosa, deinde crassa & arenosa, nonnunquam cruenta, quandoq; ardoris quodam sensu ad crebrius meiendum proritans, pituitæ bilisque vomitio, & alia id genus antegressa symptomata, certissima sunt calculi in rene geniti indicia, qui crassiusculus, inæquabilis ac scaber dum per angustum vreterem iam deuoluitur, viamq; sibi patefacit, hunc magna vi dilatans atq; dilacerans perquàm immaniter excruciat. Huius porro materia crassus est, & viscosus humor in renem pariter cum sanguine eiusque sero excurrens, qui ex cruditate processit, efficiens vero causa immoderatus est renum calor, qui humorem adussans siccans & obdurans eum cogi in lapidem, non insita renum arenosa calculosaque constitutio à parentibus contracta, cum hi nephritide nunquam tentati sint, nec vitium proinde hæreditarium sit, Adiuuans autem causa est otium, somnusque diuturnus decubitu supino. Hæc morbi diagnosis. Quod ad *prognosim* attinet, calculus hic grandiusculus, salebrosus, & asper haud facile potest exturbari, cum nullus adhuc lapis excluſus sit, qui angustam vreteris viam dilatarit. Itaque metuendum ne vel in via diutius hæreat, vel in renis cauum remeet. Si enim diutius illic permaneat, magis magisque vreterem dilacerabit, tantaque tormenta inferet, vt vires præ doloris sæuitia & vigiliis tandem prosternantur, in hac præsertim prouecta ætate. Sin autem in renis capacitatem remigret, cruciatus

c. 4. d. 1. t. 9. l. 3.

c. 2. d. 1. t. 9. l. 3.

c. 1. & 2. d. 2. t. 9. l. 3.

c. 3. d. 2. t. 9. l. 3.

ciatus acerbitas ad tempus quidem conquieſcet, verum nephriticus dolor deinceps vel acerbior ex interuallis redirutus eſt, quoties videlicet calculus aſſiduo arenularum appulſu auctus, denuo proſiliet, ſeque inferet in vreteris caput. Metus præterea ſubeſt ne acerſita per emulgentes venas fluxione, inflammatio excitetur, attrituque lapidis vlcus immedicabile in rene tandem inducatur. Ac licet quidem lapis tempore in veſicam prolabatur, verendum tamen adhuc ne illic ſubſiſtat, & aſſiduo materiæ appulſu, in veſicæ calculum coagmentetur. Ne ſic veſicæ ceruicem obſtruat, minus impendet ex vrinæ ſuppreſſione periculum. Adeo vt calcululus, vt & quilibet renum & veſicæ morbus, in ſene præſertim, nec ſit à periculo tutus, nec facile curationem admittat, vel ipſo Hippocratis teſtimonio. Hactenus de morbi dignotione & præſagitione: ſupereſt vt quid agendum eſſe videatur ad moliendam curationem aperiam paucis. Multi in ea proponuntur ſcopi. dolor quippe intolerabilis vel eueſtigio leniendus & demulcendus eſt, ne vires deiiciantur: lapis vt deturbetur comminuendus, deterendus & attrahendus: vreteris via dilatanda, relaxanda, lubricanda: vrina cienda: inflammatio, febris reliquaque imminentia ſymptomata prohibenda: ac magna tandem cautio adhibenda, ne nouus in poſterrum calculus gignatur in renibus, indeque nephriticus dolor repetat. Quos medendi ſcopus conſequemur *iniiciendis*, adhibendis, exhibendiſque remediis *categoricis*, cauſamque doloris auferentibus. Ad nephriticum ergo dolorem mitigandum, calculique in vretere ſubſiſtentis facilitandam adiuuandamque excretionem, clyſteres frequenter infundendi, qui excrementa in inteſtinis detenta renes comprimentia euacuent, aluumque emolliant, ac vreteris viam relaxent, reneſque iuuent, ex decocto *mal. alth. violar. mercur. parietar. berula, florum chamæmel. melilot. aneth. ficuum pinguium, ſem. aniſ. fœnic. carui ſeminum iiij. frigid. maior. caſſia fiſtulari, melle violato, terebinthina, butyro recenti, oleis amygdalarum dulcium, violac. chamæmel. anethin. è ſcorpionibus* aliiſve generis eiuſdem comparati. Nonnunquam ex *ſolo oleo communi*, vel *amygdalarum dulcium, lini & chamæmelino* ad leniendum duntaxat dolorem indendi erunt clyſmi. Aluo ſubducta, protinus ſecanda Hippocratis conſilio vena poplitis, aut malleoli, vt monet Galenus, vel ex Aętij ſententia, cubiti interna è directo renis laborantis, vt dempta plenitudine renes premente leuetur dolor, ſimulque

c.4.d.2.t.9.l.3.
c.5.d.2.t.9.l.3.
c.7.d.2.t.9.l.3.
c.1.d.3.t.9.l.3.
c.3 d.3.t.9.l.3.
c.2.d.3.t.9.l.3.

fluxio, inflammatio febris ex acerbo dolore ingruens arceatur. Fotus quoque & insessus tum ad compescendum dolorem nephriticum, tum ad comminuendum calculum parandi, ex *radicibus althæa, raphani, petroselin. Macedonici, fœnicul eringij & bardanæ, cum malua, parietaria, berula, pimpinella, betonica, nasturtio, chamæmelo, origano, lauro & iunipero.* Ex quorum deinde magmate addito polline *seminum althea, lini & fœnugraci, seseleos & dauci*, cum *axungia cuniculi & anseris, oleoque scorpionum*, *cataplasma* concinnandum est, parti dolenti admouendum. Vel ex *parietaria, berula* & similibus cum *butyro*, *aut oleo scorpionum & amygdalarum dulcium frixis* cataplasma minori apparatu applicandum. Illitus præterea ex *oleo liliaceo, amygdalino, chamæmelino, violaceo, è scorpionibus, circa* lumborum pubisque regionem, ad meatus laxandos ac facilitandum calculi descensum conueniet. Affigendæ insuper cucurbitulæ sine scarificatu, à dolenti loco ad inguen oblique descendendo secundum vreteris situm, vt lapis in vesicam attrahatur, frictiones item ex linteis calidis deorsum adhibendæ. Vtque magis acceleretur calculi descensus, dura equitatio, validaq; exercitatio subeunda. Præter hæc iniicienda adhibendaq, subsidia, blanda etiam pharmaca sæpius exhibenda, vt *cassia cum saccharo violato*, ad aluum leuiter subducendam & lubricandam viam. Et terebinthina Veneta in aqua halicacabi lota, vt molliat, angustos meatus aperiat, vrinamq; cieat. Oleum item *amygdalarū dulcium* recens citra ignem extractum, *ad ʒ.ij. vel iij. cum vino albo & aqua parietariæ* ad molliendam & lubricandam viam assumendum. Anodyna quoq; nostro colori analoga, vt *lac asininum & caprinum, decoctum florum chamæmeli*, in quo *syrupus de althæa* dissoluatur, & alia id genus ad doloris sedationem porrigenda. Quibus victis narcoti a quæ refrigerando & obstupefaciendo doloris sensum tollunt, ex vsu erunt, vt Philonii ʒj. vel *decoctum seminum iiij frigid. maior. cum seminis papaueris* ʒ ij. addito *syrupo papauerino*. Instituenda insuper iuscula ante pastum, quæ constent ex *decocto malu. bismalu. violar. brassicæ rubræ, herniariæ, pimpinellæ, & saxifragiæ, radicum petrosel. fœnicul. asparag. oxalyd. lappæ maioris, cicerum rubrorum, seminis althæa, cum oleo aut butyro multo*, & cæteris quibus non modo moliendi & vias dilatandi, verum etiam calculum frangendi vis inest. Præscribenda item apozemata, electuaria, pulueres & opiatæ, ex iis quæ proprie calculum solidorem comminuere traduntur, cuius generis sunt quæ attenuant, incidunt-

c. 3. d. 3. t. 9. l. 1.

c. 8. d. 3 t. 9 l. 1.

inciduntque nullo calore, nullaque ſiccitate inſigni, vt *radices oxalydis, rubi, aſparagi, graminis & perſonatæ, betonica, adiantum, aſplenium, quatuor ſemina frigida maiora & minora, fructus halicacabi, ſuccus limonum.* Et quæ aſperitate ſua calculi ſummam faciem abſtergunt & attritu comminuunt, vt vitrum combuſtum, ouorum teſtæ, milium ſolis. Quæque occulta proprietate ſunt ſaxifraga, vt lapis Iudaicus. Hic autem ſummopere vitanda ſunt diuretica valde calida. Præ nimio enim calore concretum calculum magis excoquunt & obdurant, obiterque quæcumque mediis viis obhæreſcunt, ſuperuacanea in renes deducunt, vnde vrina vel ſupprimitur, vel tenuis præterfluit. Quæ vero emolliunt & tepidam quandam vim habent, vt maxime attemperetur calor acer, mordax, ſqualidior, qui eſt opifex calculi, compactor & excoctor, apprime vtilia ſunt. Hæc ad ægrum paroxyſmo liberandum. Ne autem nephriticus dolor poſtea recurrat, prohibenda nou. calculi generatio. Ad hanc prohibendam, victus ratio obſeruari debet quæ refrigeret & humectet, ſimulque detergat & extenuet citra manifeſtum calorem, vt immoderatior renum calor calculi genitor contemperetur, nec craſſus viſciduſque ſuccus in corpore procreetur, qui gignendo calculo materiam ſubminiſtret, ac vtraque adeo mali cauſa remoueatur. Itaque *pullorum gallinaceorum, columbarum, vituli*, aliorum ve animalium iuuenum carnes, ex *lactuca, malua, althæa*, aut ex *hordeo mundato elixæ*, vel aſſæ edantur *in ſucco limonum vel oxalydis*, vel *omphacio* vel *aceto* maceratæ vel intinctæ. Vinum album, tenue & abunde dilutum bibatur. Bellaria quoque parentur ex *capparibus, aſparagis, lupulo.* Item acetaria ex *pimpinella, ſaxifragia, coronopo hortenſi*, cæteriſque ſimilibus oleo & aceto probe maceratis. Vitentur autem cibi omnes craſſi & obſtruentes, vt carnes ſuillæ, bubulæ, & ferinæ, præſertim ſale conditæ. Item piſces ſquammoſi & aquis lutulentis innutriti, leguminumque omne genus tum recens, tum ſiccum; panis praue coctus, caſeus, omneſque fructus crudi, vinum craſſum & nigrum, aſperum vel dulce, aqua lutulenta, cereuiſia. Abſtinendum etiam *ab alliis, capis, porris ſinapi, piperatis, acribus*, ac rebus denique omnibus prætermodum calfacientibus. Exercitio mediocri indulgeat, nec interdum dormiat, nec noctu in renes decumbat. Quod ſi vel exacta viuendi lege obſeruata vitioſus humor ob prauam viſcerum diatheſim in corpore gigni videatur, ne ad renes fluat, frequenti *pilularum elephanginarum caſſiæ, terebinthinæ &*

c. 7. d. 3. t. 9. l. 3.

c. 1. d. 3. t. 9.

similium lenientium catharticorum vsu accurate per aluum auertendus & euacuandus est. Ac si forte eius nonnihil ad renes irruerit, ne illic subsistat impingaturque, confestim excutiendus diureticis frigidis, ac maxime vino alkekengi. Ad arenulas tamen si quæ postea succrescant deturbandas, obstructionemque liberandam, diuretica calida, & quæ actiuscula sunt, vt ῥυπτικὰ, secure vsurpari poterunt. Ad calculi autem præcautionem nullum efficacius præsentiusque remedium, tempestiuo æquarum Spadensium vsu, cum vtramque calculi causam, calidam renum, hepatisque intemperiem, & crassos viscidosq; humores ex quibus gignitur adimant. Hac methodo nephritidis curatio & præcautio mihi videtur instituenda.

Hæc consulebat Frambesarius cum medico Ducis Parmensis pro generoso Belga apud Nouum castellum Normaniæ, anno 1592. mense Februar. laborante.

TITVLVS X.

De ischuria, dysuria & stranguria.

Distinctio 1. qua continentur diagnostici canones.

CANON I.

Quid Ischuria. ISchuria Græcis dicitur affectio qua prorsus vrina supprimitur. Cuius causa est adstrictio vel obstructio, vesicæ ceruicem, vel vreterum amborum capita opplens. Nam si alterius duntaxat vreteris via obstructa sit, haud quaquam supprimitur vrina, per alterum enim perlabitur. At cum vterque obstruitur aut coarctatur, suppressio fit. *Ex Fernel. & aliis.*

Quam ob causam excitetur.

II.

Quibus notis dignoscatur, an ischuria oriatur ex obstructa ceruice vesicæ an ex vreterum obstructione.

Quum obstructa vesicæ ceruix vrinam cohibet, assiduum meiendi desiderium premit, summusque sed irritus conatus est: pubes collectæ vrinæ copia distenditur ac dolet, immissoque cathetere copiosior vrina profunditur vnde leuatur æger. Vrinæ autem suppressio ex vreterum obstructione orta, hinc conspicua est, quod laborans tenis vtriusque dolore fuit opportunus, lumborum summa grauitas est, ac interdum vehemens vtrinque dolor excruciat: nulla aut minima meiendi cupiditas vrget: in pube nec dolor nec tumor ne premendo quidem perci-

percipitur: vesica inanis est & vacua, vt ne immisso cathetere vrinæ quicquam emanet. *Ex Fernel. Portuo &c.*

III.

Quibus ex causis obstructio fiat in ceruice vesicæ. circa vreterum capita.

Obstructio in vesicæ ceruice plerumque fit, vel ab inserto & hærente calculo, vel à tuberculo carnoso aut calloso, cuiusmodi ex virulenta gonorrhœa succrescit: rarius à crasso humore, aut à pure, aut à sanguinis grumo: hæc enim non diu subsistunt in via, sed facile vrinæ cursu ac impetu foras impelluntur. Obstructio etiam circa vreterum capita fere fit à calculis grandiusculis, qui pariter illis impacti sunt: raro vel ab humore crasso, vel à sanguinis grumo: rarius ab inflammatione vel à pure. *Ex Fern. &c.*

IV.

Quid dysuria.

Dysuria meiendi difficultas est, cum vrina ægre & magno cruciatu atque dolore redditur. Cuius causa vel in vrina consistit, vel in vesicæ ceruice. In vrina quod acrior euaserit, idque aut victu calidiore, aut bilis permistione, aut acrimonia puris ex rupto abscessu manantis. In vesicæ ceruice vel exulceratio, vel inflammatio est, quam transiens vrina acrius ferit. *Ex Fernel. & alijs*

Qua ex causa contingat.

V.

Quid stranguria. Quomodo fiat. Quibus ex causis excitetur stranguria sine dolore, cum dolore.

Stranguria, vrinæ stillicidium nuncupatur, cum vrina stillatim guttatimque redditur: idque alias quodam conatu sed dolore nullo, alias vehementi dolore & irritatione fit. Quæ nullo fit dolore, easdem causas atq; ischuria obtinet, sed sane leuiores, quod sit diminuta quædam ischuria. Quæ cum dolore acri, tum ischuriæ tum dysuriæ permistas causas habet. Quod enim guttatim stillet, ischuriæ: quod vero ardeat ac stimulet, dysuriæ rationem sumit. *Fernel.*

VI.

Qua ætate stranguria contingat.

Τοῖσι πρεσβύτῃσι στραγγουρίαι, δυσουρίαι. Senibus vrinæ stillicidia & difficultates. *Hippoc. aph. 31. lib. 3.* Cum enim vires imbecillas habeant, renes sæpius obstruuntur, & lapides generantur, quando tenax & crassa superfluitas ibi firmata, topho ac callo similem consistentiam assumpserit. *Gal.*

VII.

Qua cœli constitutione.

Ἐν τοῖσιν ἀυχμοῖσι στραγγουρίαι. In siccitatibus vrinæ stillicidia fiunt. *Hipp. aph. 16. l. 3.* Quia per siccitates billosi humores generantur, vt ait Philotheus. Vnde acrior redditur vrina.

VIII. Τὸ

VIII.

Quo anni tempore.

Τῷ φθινοπώρῳ στραγγουρίαι, Autumno stranguriæ fiunt. *Hippoc. aph. 22 l. 3*, ob vrinæ acrimoniam ex prauis humoribus profectam, qui antea quidem diffluabantur, & per sudores euacuabantur, tunc autem facta ad frigiditatem subita commutatione, pariter cum vrina ad vesicam conuertuntur. *Ex Galeno.*

IX.

Quibus morbis superueniat.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι, καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι, στραγγουρίη ἐπιγίνεται. Recto intestino, & vtero inflammato, purulentisque renibus, vrinæ stillicidium succedit. Hippocrates aph. 58. lib. 5 Recto quidem intestino & vtero vesica per sympathiam laborante. Renibus autem purulentis, præ puris acrimonia vesicam mordentis. *Ex Gal.*

DISTINCTIO II.

Qua continentur Prognostici canones.

CANON I.

Quandiu vita protrahi possit, vrina omnino suppressa.

NIsi depleatur vesica lotio plena, non potest ager vltra quatuor aut quinque dies viuere. Nam quæ semel in vesicam excidit vrina, propter meatus obliquitatem remeare nequit. Quo enim magis à plenitudine vesica distenditur, eo angustior meatus redditur. At vtroque vretere adeo obstructo vt nihil in vesicam descendat, in dies duodecim vita protrahi potest, quia serum in venas sursum refluit. *Framb. Riolani authoritate.*

II.

Vt exitiosa vrinæ suppressio ex concreto sanguine.

Pernicioſa vrinæ ſuppreſſio ex concreto ſanguine, ſeu grumo. Nam & putredo partium & marcor ipſum ſequi ſolet. *Altomarius ex Gal.*

III.

Quid vrinæ acrimonia perseuerans portendat.

Vrinæ acrimonia perſeuerans, meatuum vrinæ exulcerationem minatur. *Ex Montuo, Aetio, &c.*

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

Quid ad curandã vrinæ suppressionem moliendam.

AD vrinæ ſuppreſſionẽ curandã auferẽda obſtructionis cauſa, ſumptis, iniectis, adhibitisque cõuenientibus remediis. *Ex Sylu. & alijs.*

II. In

II.

In iſchuria ab iis quæ vrinam cient omnino abſtinendum, ne eius multitudine veſica diſtendatur. *Ex Altomar. &c.* *Qui in Iſchuria omnino vitanda.*

III.

In vrinæ difficultate & ſtillicidio obtundenda vitioſi ſucci acrimonia, contemperandus ardor, ipſaque confeſtim blandis catharticis, vt caſſia & ſyrupo roſarum pallidarum, lenientibuſque clyſteribus purganda cacochymia. *Ex variis authoribus.* *Qui in dyſuria ſtrànguria curanda ſcopi proponantur.*

IV.

Vbi vrina acrior eſt, ſi quidem corpus bene carnoſum eſt, ſi inflammationis ſuſpicio, vena baſilica ſecanda eſt. *Holler.* *Vbi in vrina acrimonia phlebomia locus.*

CONSVLTATIO

De Stranguria.

STranguria hæc ſummo dolore excrucians; à calculo veſicæ ceruici inſerto ac hærente, exitū quærente oritur. Vnde obſtructo fere ductu, vrina præbilis permiſtione acrior non niſi guttatim, & magno cruciatu reddi poteſt. Incumbentes ſiquidem grauitatis pondus quod in perinæo percipitur incedenti valde moleſtum, aſſidua meiendi ac deſidendi cupiditas, emictio non continuata, ſed interciſa, vrina alba, craſſa & turbida, cum mucoſo ſedimento ante hac emiſſa, dolorq; nephriticus quo laborans fuit aliquando diſtortus, certa ſunt calculi in veſica conſiſtentis indicia. Calidior item iecoris & renum intemperies non modo calculi, verum etiam bilis prouentum faciens, acrioris vrinæ cauſa eſt, notaque manifeſta. Quod ad *prognoſim* attinet, metus eſt ne obuiam magis impulſo calculo, meatu prorſus obſtructo, vrina tandem omnino ſupprimatur, ac ne in veſicæ collo peniſq; ductu exulceratio tum à contundente lapillo, tum ab vrina acriore fiat, quam atrox ille dolor portendit. Quamobrem curationi diligenter incumbendum. Ad hanc molliendam meatus vrinarius relaxandus & dilatandus, emictioniſque dolor pariter leniendus inſeſſu, ac fotu partium obſcœnarum ex remollientibus comparato, aut anodynis, vt ex lacte tepido. Lubricanda item via *oleo amygdalarum dulcium* ſumpto & iniecto. Litu ex *oleo ſcorpionum*, & ſuctu penis lapillus attrahen-

c. 5. d 1. t. 9. l. 3.

c. 3. d. 2. t. 10. l. 3.

c. 1. & 10. d. 3. t. 9. l. 3.

dus. Admouenda pubi *parietaria* fixa *oleo scorpionum* permista, ad sopitam expultricem facultatem excitandam. Vrinæ acrimonia demulcenda *syrupo violato, althææ, limonum*, vel alio refrigerante, & emulsione *seminum frigidorum maiorum*. Iniectione item ex *mucagine seminum psyllij & cydoniorum in aqua plantaginis* extracta. Quod si lapillus per penis ductum extrahi nullo modo possit, cubanti supino succussatis cruribus, immissoue cathetere, in vesicam regerendus, vbi in calculum insignem possit grandescere, vixque postea in pudendi meatum incidere. Ac si molestus illic fuerit, ad sectionem confugiendum erit. Lapide autem hac vel illa ratione exerto, instituenda viuendi lex, quæ prohibeat ne alter subinde renascatur. Dixi.

c.3.d.3.t.10.l.3.

a10. d.3.t.9 l.3.

Hæc consulebat Frambesarius Samarobrinæ cum D. Herbino, pro Canonico Sanquintimano, anno 1588.

TITVLVS XI.

De Gonorrhœa.

Distinctio I. De Gonorrhœæ diagnosi.

CANON. I.

Quid proprie Gonorrhœa. Vnde & quomodo oriatur.

GOnorrhœa est inuita seminis profusio, citra Venerem, citra libidinis insomnia, citra pudendi tentiginem, leui quodam aut nullo oblectationis sensu, *titillatuve* paulatim facta. Cuius causa est spermaticarum partium infirmitas, qua vel non concoqui, vel non retineri semen potest tantisper dum coquatur, atque crassescat. Sed crudum, aquosum, liquidum ac tenue nec prorsus album præter voluntatem continenter effluit. Quamobrem frequens iis esse solet, qui impuberes necdum maturæ ætate Veneri petulantius sese addixerunt. Nam imbecillæ partes euadunt, in quas longa consuetudine humores abundantius confluunt. *Ex Fernel. Galen. Paul. Aetio.*

Quib. contingere cõsueuerit.

Quid Gonorrhœæ nomen significet.

Etsi nomen τῆς γονορροίας generaliter omne seminis profluuium significat, siue cum aliqua voluptate ac pudendi tentigine & titillatione fiat, ob spermaticæ materiæ quantitatem vel acrem qualitatem: siue citra libidinem, penis tensionem, ac pruritum

ritum ex retentricis vaſorum ſpermaticorum imbecillitate contingat, ob frequentiorem aut intempeſtiuam Venerem. *Framb.*

II.

Ονειρωγμὸς dicitur cum per inſomnia libidinis ſemen affatim, non crudum & aquoſum, ſed coctum & elaboratum, non ſine ſenſu, ſed magna cum voluptate exit. Pollutio nocturna vulgo nominatur. Cuius cauſa eſt ſeminis vel exuperantia, vel calor & acrimonia naturam proritans vel ingens ſpermaticarum partium robur: hoc argumento quod voluptate iucunda id ſemper emanat. Continentes autem frequenter exercet. *Ex Fernelio & aliis authoribus.*

Quid ὀνειρωγμὸς.

Qua ex cauſa excitetur.

Quibus accidere conſueuerit.

III.

Virulenta gonorrhœa appellatur, vbi principio virus albidum, ſubcitrinum aut viteſcens, è vaſis ſpermaticis ſine ſenſu excidit vigilanti pariter atque dormienti. quod tempore putrens & acrimoniam aſciſcens, ductum penis in tranſitu exedit & exulcerat, atque ardorem doloremque acerrimum infert dum vrina redditur, pudendumque erigit, & quaſi funem peni ſubtendit. Vulgo vocatur *Chaudepiſſe.* Oritur ab impuro coitu, quando teter quidam halitus in partes ſpermaticas, atque imprimis in proſtratas molles & laxas glandulas in veſicæ collo ſitas, in quas ſeminaria vaſa deſinunt ſerpit, illaſque à concubitu inanitas & excalfactas inficit & contaminat, atque inflammat exulceratque, adeo vt materia ſeminis cum primum eo peruenerit, excandeſcat, corrumpatur, putreſcat, & in virulentam ſaniem faceſſat, quæ ſubinde profunditur, non modo propter retentricis genitalium partium imbecillitatem ab impura Venere contractam, verum etiam ob expultricem à materiæ acrimonia fœdaque putredine perpetuo irritatam. *Frambeſarius.*

Quid virulenta gonorrhœa, quibuſque notis dignoſcatur.

Vnde & quomodo oriatur.

IV.

In proſtatis glandulis ad radicem pudendi ſitis virulentiæ appulſu vlcus excitatur cum inflammatione coniunctum. Vlceris ſyllogiſticum ſignum eſt pus ſanioſum quod continenter effunditur: inflammationis vero quod excernitur ſemper erecto pene, cum ſumma meiendi difficultate & ardore vrinæ. *Ex Dureto.*

Quib. notis dignoſcatur an in proſtatis vlcus ſit, cum inflammatione coniunctum.

V.

Vt gonorrhœa mulieres frequentius quã viros exerceat.

Gonorrhœa mulieres perinde ac viros, imo etiam frequentius exercet, quod harum semen vtpote crudius ac dilutius minus subsistat. Profluit autem citra vllam Veneris titillationem, nec assiduo nec quotidie vt in vterino fluore, sed quibusdam interuallis, non ab vteri capacitate, sed à vasis spermaticis in vteri cetuicem, estque id album, serosum, omnis expers graueolentiæ & acrimoniæ, ac omnino paucum. Hac multo crebrior est virulenta gonorrhœa, quam impura venus infligit. Quod per hanc excidit, continenter assiduoque fertur, vt in vterino fluore. Est tamen crassius multo, atque modo album, modo flauum aut viresçens, odore graui molestum, acre & exedens: ac proinde raro deprehenditur citra pudendi vlcus. At nondum his notis certo possit ab vterino fluore internosci: sed hinc maxime quod non vtille ab vtero, sed à spermaticis vasis prodeat, quodque proprorumpentibus mensibus non desinat, sed cum his, & mox ab iis similiter persistat; vterinus vero fluor cesset in mensium eruptione & aliquanto post tempore. Quinetiam luis venereæ signa se produnt, neque vterini fluoris seu primarij seu eius qui viscerum vitio fit, indicia vlla cernuntur. *Fernelius.*

Quib. signis dignoscatur.

Quib. notis virulenta gonorrhœa ab vterino fluore internoscatur.

DISTINCTIO II.

De Gonorrhœæ prognosi.

CANON I.

Vt gonorrhœa tabẽ minetur.

NImia seminis profusio sine venere, siue nocturnis imaginibus, interposito spatio tabe hominem consumit. *Celsus.* Nam cum semen sit ex omnibus ac maxime principibus partibus deciduum, perennis eius fluor vniuersum corpus debilitat, emaciat, penitusque exsiccat, exhaustis tandem cum sanguine spiritibus. *Frambesarius.*

Qua ratione virulẽta gonorrhœa neglecta pariat, luem veneream, vlcus in pene,

II.

Gonorrhœa virulenta si negligatur, luem veneream infert, seminario contagionis adiecur vsq; reliquaque viscera gliscente. Putridi quippe, maligni & virulenti halitus à partibus genitalibus, per venas, arterias ac neruos in sublime elati principes corporis partes, mox reliquas contagione contaminant, & venenata lue inficiunt. Hæc præterea vlcus in pene procreat, quod diuturnum esse solet, vixque

vixque vnquam ſponte ſaneſcit. In eoq; neglecto tuberculum carnoſum verrucæ inſtar expullulat, vel cumulata ſordes in callum obdureſcit, colis meatum obſtruens. Vnde vrinæ ſuppreſſio contingit, quæ etiam citra caruncula m, callumve ob veſicæ ceruicem, proſtataſque tumentes ac inflammatas plerumque accidit. *Frambeſarius ex variis auth.* *caruncu-lam.* *callum, iſchuriam.*

III.

Virulento fluore præter naturam ſuppreſſo, intus plerumque colligitur abſceſſus, alias quidem circa teſticulum in epididymide, alias in perinæo, qui rupta apertave cute materiam fundit. *Fernelius.* *Vt virulẽta gonorrhœæ abſceſſus ſæpe ſuccedat.*

DISTINCTIO III.

De Gonorrhœæ therapia.

CANON I.

SI ab imbecilitate partium ſpermaticarum gonorrhœa contingat, roborandum, adſtringendum: Si à materiæ ſpermaticæ copia, vacuandum phlebotomia, ieiunio, exercitio, abſtinendum vino, victu polytropho, inflantibus, ac omnibus ſemen augentibus: Si ab eiuſdem acrimonia, purgandum, leniendum: Si ardor inflammatione adſit, refrigerandum, contemperandum incendium: Si præterea vlcus coniunctum ſit, detergendum, conſolidandum: Si dolor vrgeat, ſtupefaciendum. *Frambeſarius.* *Vt pro variis gonorrhœæ cauſis, ac ſymptomatis, veri curationis ſcopi.*

II.

Si virulenta gonorrhœa fuerit, virus non eſt temere ſiſtendum, ne luem veneream, vel abſceſſum, vel alium quempiam malignum affectum pariat. *Frambeſarius.* *Vt virulenta gonorrhœa nõ ſit temere ſiſtenda.*

III.

In curatione virulentę gonorrhœæ multi proponuntur ſcopi, virulenta materia vacuanda, deriuanda, detergenda, diſcutienda: cacoëthia emendanda: putredo arcenda: phlogoſis reſtinguenda: doloris acrimonia obtundenda: ſpermatica vaſa roboranda: fluor diutius perſeuerans compeſcendus: imminentia ſymptomata præcauenda. *Frambeſarius.* *Qui in virulenta gonorrhœa curanda ſcopi proponantur.*

IV.

Vehementiora cathartica hic vitanda ſunt, ne materiæ acrimoniam augeant, parteſque inflammatas & vlceratas magis exaſperent. *Archiatron conſilio.* *Cur à vehementioribus cathartici hic abſtinẽdum.*

CONSVLTATIO I.

De Gonorrhœa.

c.1.d.1.t.11. l.3. QVi hunc adoleſcentem exercet præter naturam affectus, gonorrhæa eſt, cum citra Venerem, citra libidinis inſomnia, citra pudēdi tentiginem, ac præter voluntatē aſſidue ſemen nullo oblectationis ſenſu profundat. Huius cauſa eſt ſpermaticorum vaſorum imbecillitas ab immodica intempeſtiuaq; Venere contracta, qua nec concoqui nec retineri ſemen poteſt tantiſper dum coquatur atque craſſeſcat, ſed crudum, aquoſum & liquidum effluit. Quod ad *prognoſim* attinet, id c.1.d.2.t.11. l.3. malum nequaquam negligendum eſt. Cum enim diutius perſeuerat, omnes corporis partes emaciat, debilitatque, ſpiritibus cum ſanguine ſimul abeuntibus, ſicque hominem tabe tandem conſumit, vt ait Celc.1.d.3 t.11. l.3. ſus. Curatio roborantibus ſumptis & admotis perficienda remediis. Foueantur igitur lumbi & pubes decocto adſtringente, calfaciente, & exiccante, ex *verbenæ, menthæ, & fœniculi ana M. j balauſt. malicorij ana ℥ j. ſeminum agni caſti & rutæ ana ʒ ij. in vino ſtyptico.* Deinde paretur vnguentum ex *olei maſtichini, olei de mentha ana ℥ j. ß. olei de caſtoreo ℥ ß. ſuccorum verbenæ, menthæ & fœniculi ana ℥ j. ſeminum vrticis, rutæ, fœniculi ana ʒ ij, nucis moſchat. caryophyll. caſtorei an. ϑ j. ceræ q. ſ.* pro litu lumborum & pubis, à fotu, quo vaſa ſpermatica roborētur, ſeminis materia coquatur, reddaturque ex crudo, tenui & aquoſo craſſum & elaboratum ſperma. Vtatur ſyrupo ex *ſuccis menthæ, verbenæ & fœniculi, & ſaccharo* confecto: atque optima imprimis victus ratione. Interea rei Veneræ vſus omnino interdicatur. Hæc videntur mihi in præſentia ad therapiam ſufficere.

Hæc conſulebat Frambeſarius Stratiponti, cum medico Principis Aſculani, pro generoſo adoleſcente, anno 1591 menſe Decemb.

CONSVLTATIO II.

De Onirogmo, pro quodam Monacho.

c.2.d.1 t.11. l.3. HÆc frequens ſpermatis per inſomnia libidinis, cum voluptate profuſio, quam Græci ὀνειρωγμὸν vocant, præ ſanguinis copia & acrimo-

acrimonia, Veneriſq; illecebris animo obuerſantibus contingit. Nam cum phantaſia quę nobis potiſſimum dormientibus fingit ſomnia, obiecti alicuius, vt formoſæ fortaſſis interdiu viſæ aut cogitatæ mulieris ſpecie mouetur, feruentes humores & ſpiritus in corpore exuperantes ad pudenda compellit, ac naturam ad excretionem proritat, quæ animæ magis, quam corporis ſanitati nocumento eſt, cum nullam corpori noxam, ſed conſcientiæ culpam inurat. Ad curationẽ igitur molien- *c.1.d.3.t.1. l 3.*
dam, inuiolato ſanctiſſimo continentiæ perpetuæ iureiurando, demẽda ſanguinis copia ſeminis materia, extinguendus eius feruor, remouendæ Veneris illecebræ. Ad ſanguinis plenitudinem detrahendam *c.33.d.3.t.*
vena baſilica ſæpe ſecanda, ieiunium frequens inſtituendum, laboran- *1.l.1.*
dum, vigilandum. Vitanda quę plurimum nutriunt, vt panis ſiligineus, omnis caro glutinoſa, oua, omniaque inflantia, vt eruca, bulbi. Ad leniendam ſanguinis acrimoniam, extinguendoſque libidinis ardores, exhibenda frequenter caſſia in bolos concinnata, rhabarbaro addito. Vtendum *iuſculis lactuca & portulaca* alteratis: *Conſeruis nymphææ & roſarum, cum ſeminibus lactuca & portulacæ*, atque *ſyrupo papauerino*. Abſtinendum vino meraciori, acribus, *vt pipere, ſinapi*. Cubandum in latus alterutrum ſuper ſtratum non valde molle, euitata forma decubitus ſupina, plumeaque culcitra. Lumbi *oleo roſato & nymphæato, vnguento* Galeni refrigerante illinendi. Dein linteum *ſucco ſolani & ſemperuiui* vel *oxycrato* imbutum eidem regioni admouendum. Nec alienum erit plumbeam laminam lumbis circundare. Balneum aquæ frigidæ erit etiam ex vſu. Vt remoueantur nocturnæ Veneris imagines, fugienda mulierum conſuetudo, imo & illarum effigies à pictoribus expreſſæ, lectiones poëtarum laſciuorum, obſcœna verba, colloquia impudica, aliaque id genus lenocinia, quibus animus ad libidinem allicitur. His remediis, ſeruato caſtitatis voto, nocturna pollutio compenſanda eſt.

CONSVLTATIO III.

De Gonorrhœa virulenta.

c. 3. d. 1. t. 11
CONſpicua ſunt in hoc iuuene indicia virulentæ gonorrhœæ. Sani- *l. 3.*
es quippe ſubcitrina, interdum viteſcens, fœda & graueolens per

per colem cum dolore & acrimonia continenter effluit, excrucians in meatu præ penis exulceratione mordicatio, ingensque ardor meiendo sentitur, vrina cum difficultate redditur, erigitur pudendum ac veluti fune subtenditur. Idque malum ab impura Venere contractum est, tetro quodam halitu in partes sparmaticas atque imprimis in prostratas glandulas è concubitu inanitas & excalfactis per cæcos meatus ser-
c.2. & 3.d. 2.t.11.l.3. pente. Quod ad *Prognosim* attinet, hæc fœda illuuies luem Veneream minatur, nisi mature illi occuratur, vel aliquem præter naturam tumorem per anadromen futurum, si temere sistatur, vel si diutius per penè feratur, vlcus tam alte excauatum, vt curari vix possit: ac neglecto vlcere hypersarcosim, ab eaque vrinæ suppressionem. Quæ omnia vt præcaueantur, accurata diligentia huius exitiosi symptomatis ineunda
c.3.d.3.t.11 l.3. curatio est. Ad hanc methodo instituendam, fœda materia imprimis vacuanda, deriuanda, detergendaque est, deinde phlogosis extinguenda, doloriſque acrimonia demulcenda, tum virulentia serpens discutienda & coercenda, luesque Venerea ingruens prohibenda, postea penis vlcera ad cicatricem perducenda, postremo affectæ partes roborandæ, perseueransque fluor compescendus. Vt virulenta materia vacuetur, ac per aluum sensim deriuetur, cassia, theo, catholico, vel alio
c.4.d 3.t.11 l.3. leniente cathartico per epicrasim purganda est. Neque enim vehemẽtiora cathartica hic conueniunt. Mox exhibenda semel atque iterum *terebinthina Veneta in aqua plantaginis* lota per se, vel ex *oleo amygdalarum dulcium* recens sine igne extracto, ad malignam saniem detergendam, arcendamque putredinem, ad vasorum autem spermaticorum phlogosim restinguendam, ex vsu erunt *emulsiones ex amygdalarum dulcium* ʒ j. *seminum iiij. frigid. maior. ana* ʒ ß. *seminum lactuc. portulac. papau. an* ʒ *ij. in mortario marmoreo tritis*, affusa paulatim *aqua decocti hordei ad* ℔ *j. pro iij. vel iiij. dosibus*, mane & vesperi sumendis, in quibus dissolui poterunt syrupi de althæa ad leniendum, violatus & nymphæatus ad impensius refrigerandum, ac demum myrthinus ad profluuium immoderatius coërcendum. Lac etiam bubulum recens mulctum, addito saccharo rosato sumendum & in penem iniiciendum, ad detergendum, refrigerandum, leniendum & mitigandum dolorem. Vrgente dolore in lacte muliebri *diacodij* ϑ j. vel *opij gr. j. vel ij. dissoluenda*, pro iniectione: vel, ℥. *mucaginis seminum psyllij, cydonior. plantag. lactuc.* | *hyoscyami vel papaueris albi, in aqua solani, plantag. cucurbitæ, malu. violar. vel rosarum extractæ an.* ʒ ß.

an. ℥ ß *lactis muliebris* ℥ *j. trochiſcorum alborum Rhaſis camphoratorum in pulueremredactorum* ℥*j.* miſce, pro iniectione. Pudendum etiam in lacte in quo verbaſcum decoctum fuerit, immergendum. Ad contemperandum præterea incendium, regio lumborum pectinis & perinæi illinenda cerato Galeni refrigerante, addita *camphora, vnguento nutrito, populeo.* A litu lintea *oxycrato* ex aceto & *aquis plantag. ſolan. ſemperuiui & roſarum* imbuta lumbis applicanda. Balnea etiam aquæ dulcis, in qua *flores violarum & nymphææ, ſemina frigida maiora & minora* decocta fuerint, profutura ſunt. Ad veneni altius radices agentis, magis magiſque in dies ſerpentis ſeminarium extirpandum & excutiendum, eiuſq; cacoëthiã coërcendam & edomandam, ſicq; contagioſam luem præcauendam, vtendum per aliquot dies *decocto ligni ſancti*, vel *ſarſæ parillæ* admouendumq; extrinſecus emplaſtrum de Vigo. Ad penis vlcera ad cicatricem perducenda, hyperſarcoſim & iſchuriam alioqui excitatura, prius detergenda ſunt, iniectione ex *aqua decocti hordei*, vel *ſero lactis* cum modico ſaccharo, vel ex *hydromelitis ſimplicis* ℥ *iiij. cum ſyrupi roſarum ſiccarum & de abſynthio ana* ℥ ß. Deinde conſolidanda, iniectione ex *lactis muliebris* aut *caprini* vel *ouilli* ℥ *ij. ſarcocollæ* ϑ *j. amyli, ceruſæ lotæ ana* ϑ ß. ter aut quater in die repetita. Affectæ tandem partes roborandæ, profluuiumque ſiſtendum vſu *iuleporum ex ſyrupis* & *trochiſcis ſtypticis* paratorum, litu excerato *ſantalino*: *vnguento comitiſſæ, fotu*, inſeſſu & iniectione in penem, ex decocto exiccante & adſtringente, *verbaſci*, *abſynth. menthæ, roſarum rubr. balauſt. nucum cupreſſi, ſumachi, berberis, malicorij*, & ſimilium in aqua fabrorum. Quod ad victus rationem ſpectat, vitanda omnia quæ ſanguinem excalfaciunt alimenta. Carnibus vtendum elixis potius quam aſſis, coctiſq; cum *oxalyde, lactuca, portulaca hordeo mundato, quatuor ſeminibus frigidis*, contuſis & ſimilibus. Pro condimentis, *ſucco mali citrei arantij punici*, aut *omphacio*. Abſtinendum vino. Vice vini *aqua hordei, ptiſana*, aut *aqua cum ſaccharo & cinamomi* momento cocta propinanda. Exhibenda mane hordeata, quibus *ſemina iiij. frigida maiora, granaque papaueris albi* contuſa nodulo incluſa fuerint incocta ad refrigerandum, demulcendum & detergendum. Hæc ad perficiendam virulentæ huius gonorrhææ curationem neceſſaria eſſe arbitror.

Hæc conſulebat Frambeſarius *pro generoſo iuuene, in exercitu* Regio, *Bruariæ, prope Laudonum, menſe Iulio, anno* 1594.

TITVLVS XII.

De immodicis vteri fluoribus.

Distinctio 1. Qua continentur diagnostici canones.

CANON I.

Quotuplex fluor mulieres exerceat.

TRiplex mulieres exercet fluor, menstruus vnus, in partu alter, tertius inordinatus, qui quoniam proprium nomen nondum est adeptus, muliebris fluor vulgo nuncupatur. Prior vteri fluor, καταμήνια, alter λόχια, tertius ῥῆς γυναικείος Græcis dicitur.

II.

Qua mensium purgatio vltra naturæ modum sit.

Immoderata mensium purgatio vltra naturæ vitæq; modum est, qua aut copiosior sanguis quam pro consuetudine, aut diutius profluit, aut crebrior, aut non stato circuitu redit. *Fernelius.*

III.

Quib. notis immoderata mẽsium purgatio dignoscatur.

Cum immodice profluxerint menses, color fœdus consequitur, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur prosternitur, vitiatur ciborum tum appetitus, tum concoctio, ac omnia deniq; symptomata quæ immodicam sanguinis effusionem sequi consueuerunt. *Ex Galen. lib. 7. de loc. affect.*

IV.

Qua mensium immodice profluentium causa.

Qua ratione dignoscatur an hypercathasis fiat à vasorum apertione, ruptione, vel erosione.

Mensium immodice profluentium causa, vel sanguini quantitate aut qualitate peccanti, vel vasis apertis, ruptis, aut exesis ferenda est accepta. *Apertis aut ruptis vasis præsertim maioribus*, sanguis confertim & concitatius erumpit. *Ab erosione autem vasorum modicus ac paulatim & cum maximo dolore effluit. Aperiuntur fere à sanguinis* plenitudine & tenuitate, æstiuo præsertim tempore, & in calida regione, maxime vbi mulier calidiori victui est assueta, multisq; balneis calidis vsa. Rumpuntur frequentius à partu laborioso atque difficili, cum vel grandior fœtus vel oblique situs nimio conatu excluditur, vel propter abortum, vel vehementiorem aliquem motum. Erodantur acrimonia sanguinis bilioſi, serosi, salsi. Cacochymia autem dignoscitur cum ex reliquis notis, tum maxime ex sanguinis calore, obseruatis linteis quibus excipitur. Nam si pallido, albido, vel nigro colore tincta conspiciantur, inde cacochymiæ biliosæ, pituitosæ ac melancholicæ sumitur argumentum. *Ex variis auth.*

V. Ad-

V.

Λόχια reliquis vteri fluoribus distinguuntur, tum quod edito fœtu tantum prodeant, tum quod comprehendant quicquid post fœtum & secundas exit à puerperio. *Holler.*

Qui lochia à reliquis vteri fluoribus distinguantur.

VI.

Fluor quem muliebrem appellant, à mensium profluuio distat, quod non syncerus sanguis, sed corruptum quiddam prodeat, idque continenter aut nullo ordine, nulloque circuitu. Est autem id modo liquidum & albicans lactis sero, aut ptisanæ cremori persimile: modo citrinum aut pallidum, modo subuiride, adeo acre fere & adurens vt quascunque partes attigerit, erodat aut leuiter exulceret: atque id rursum modo tetrum est & graueolens, modo odore nullo molestum. Prodeuntium odor, color, atque substantia fluoris speciem commonstrat. Causa autem quæ corruptum humorem assiduo gignit, alias in vtero, alias in principibus partibus consistit. Etenim quibus mulieribus viscera refrigerata vel obstructa, vel scirrho dura, cruditates, malum habitum, aut leucophlegmatiam inuexerunt, corruptus humor in varias partes effusus sæpe in vterum procumbit, & illac decurrens corpus expurgat. Neque vero affectus hic ætate maturas tantum, verum etiam virgines quas pallor decolorat inuadit. Altera causa ex vtero longe quidem rarior existit, eaque vel intemperies est, fereque frigida, vel imbecillitas ab vteri gestatione, à partu, à contusione, aut ab alia externarum causarum vi contracta, vel erosio, vel exulceratio ex inflammatione aut ex abscessu derelicta. His quippe causis oblæsus vterus & proprium alimentum male conficiens, excrementa multa pergignit, quæ foras elabuntur & excidunt. Internoscuntur causæ quod ex solo vteri affectu parcior sit fluor, & eius affecti adsint indicia: at ex viscerum totiusq; corporis affectu fluor sit copiosus, nec male affectorum viscerum notæ desint. *Fernel.*

Qui muliebris fluor à mensium profluuio differat.

Quotuplex fluoris muliebris causa.

Vt fluor muliebris à praua principum partium diathesi oriatur.

Vt proprio vteri vitio fiat.

Quib. notis causa internoscatur.

VII.

Fluores albi, sanioſi, loturæ carnium similes, à pituita: pallidi, flaui & acres à bile: nigri, crassi, pauci à melancholia. *Hollerius.*

A quo humore quæq; fluoris species excitetur.

VIII.

Fluxus albus proue&is magis; rubens iunioribus: fuluus vtrisque contingit. *Holler. & Alt.*

Quib. qualibet fluoris species magis contingat.

IX.

Vt in muliebri fluore vterus afficiatur. In omni muliebri defluxu, vteri os aperitur, & velut relaxatur, quibusdam etiam vterus ipse procidit, vt vsque ad muliebre pudendum progrediatur.

DISTINCTIO II.

Qua continentur prognostici canones.

CANON I.

Quid immodica mẽsium purgatio portendat. EX quacumq; causa fiat mensium profluuium, vbi fuerit immodicum animi deliquium minatur, syncopem, hydropem atque mortem, vt & quælibet immoderata sanguinis profusio. *Altom. ex Gal.*

II.

Quæ mensiũ profluuia longe periculosissima. Mensium profluuia si abortiui fœtus causa fiant, repentinũ quandoq; periculum inducunt. *Ex Aët. & Paul.*

III.

Quæ minus periculosa. Quæ vero mensium profluuia grandiores partus consequuntur, haud ita periculum minantur, quinimo etiam plerumq; sua sponte cessant. *Paulus.*

IV.

Lethalia in fluore muliebri signa. Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς ἢ λειποθυμίη αὖ ἐπιγένηται, κακόν. In fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum. *Hipp. aph. 56. lib. 5.* Nam animi defectio summam virium imbecillitatem ostendit. Conuulsio vero ex siccitate aut inanitione magna ex parte lethalis est. Contingit autem quia pars quæ patitur neruosa est.

V.

Cur fluoris muliebris curatio lõga ac difficilis. Fluoris muliebris curatio longa & *difficilis existit*, quod imbecillior vterus aliarum partium fluxionibus excipiendis valde sit opportunus, ac longiore rheumatismo tandem vlceretur, aut maiorem labem contrahat. Vnde mulier sterilis redditur. *Riolanus.*

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

Præsentissimum mentheæ. Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἰῶ βέλη ἐπισχεῖν, σικύου ὡς μεγίστην περὶ τὰς πτυθὰς περίθεσαι. Si mulieri menstrua sistere volueris, cucurbitulam quam

quam maximam ſub mammis affige. *Hipp. aph. 50. l. 5.* Nam per reuulſionem retrahitur ſanguis ſurſum, affixa ſub mammis ingenti cucurbitula. Illic enim epigaſtrica vena ſurculis aliquot ſuis occurrit mammariæ ſurculis, per quos mammis cum vtero eſt communio. *Frambeſ.*

Strui fluoris ſiſtendi remedium.

II.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα ἢ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει. Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgationem indicant eſſe neceſſariam. *Hipp. aph. 36. lib. 5.*

Quibus menſium profluuijs neceſſaria purgatio.

Mulieri temperatæ menſes debent eſſe rubicundi: bilioſæ, flauicantes: melancholicæ, nigricantes; pituitoſæ, albi, pro diuerſitate caloris alieni à ſolito & laudabili purganda eſt medicamento ducente nũc bilem, nunc melancholiam, nunc pituitam. Id autem indicabit mutatio ipſa coloris conſueti. *Butinus.*

III.

Fluxus muliebris nequaquam eſt topicis auxiliis confeſtim reprimendus, ne luxurians in corpore cacochymia protinus ſuppreſſa hydropem vel feb ẽ, vel apoſtema, vel exitioſum aliquẽ in cerebro affectum, vel in vtero cancrum excitet. Sed vitioſa materia in vniuerſo corpore redundans, pituitoſa, ſeroſa vel bilioſa prius expurganda, ab vtero auertenda ac deriuanda eſt. *Ex variis auth.*

Vt in fluore muliebri vniuerſalia remedia topicis adſtringentibus præmittenda.

IV.

Fluor muliebris qui fere pituitoſus & ſeroſus, cacochymiam purgantibus, ſudores & vrinas mouentibus ſaneſcit. *Valetius.*

Quibus remediis fluor muliebris maxime curatur.

CONSVLTATIO I.

De immoderata Menſium purgatione.

IMmodicam Menſium purgationem non modo ſanguis copioſior, atque diutius quam pro conſuetudine profluens indicat, verumetiam fœdus faciei color, œdematoſus pedum tumor, virium proſtratio, appetentia deiecta, cruditas, & alia id genus ſymptomata, hypercatharſim manifeſte demonſtrant. Cuius cauſa bilioſi ſanguinis plenitudini accepta referri debet. Hic enim ratione temperamenti calculi & ſicci, ætatis ἀκμαστικῆς, victus calidioris, æſtiui temporis, calidæ regionis, ac diuturnæ menſium ſuppreſſionis, in corpore auctus & exuperans, ac

c. 3. d. 1. t. 12. l. 3.

c. 4. d. 1. t. 12. l. 3.

propter ingentẽ, æstũ, vini generosi vsum, ac vehementiorẽ exercitationẽ excalfactus extenuat⁹, atq; exagitatus, magno ad hysterica vasa impetu ruens, illorũ ora repente sic reserauit, vt magna inde copia cõfertim erũpat, seq; pallido colore, quẽ linteo exceptus relinquit, aperte ꝓdit. Quod ad *Prognosim* attinet, hæ menstrui sanguinis largior ꝓfusio iampridem perseuerans, haudquaquam spernenda est. Minatur enim syncopem breui futuram, vel hydropem, adeoque mortem, nisi quam primum sistatur. Quamobrem danda est enixe opera, vt manu, victu & medicamentis quam celerrime cohibeatur. Ad reuulsionem secta imprimis angusto foramine interna brachij dextri vena, detrahendus sanguis est, sed exigua admodum quantitate, quod vires imbecillimæ existant, totaque plenitudo iam depleta sit. Mox cucurbitulæ satis amplæ cum multa flamma sub mammis, consilio Hippocratis affigendæ, vinculisque brachiorum, frictionibus manuum & calfactionib. vtendum. Deinde bilis sanguini perfusa benigno cholagogo quod adstrictionem relinquat, repurganda, vt potu ex *myrobalan. citrin. ʒij. in aqua plantag. & rosarum decoctis, rhei electi puluerati ʒj. & syrupi rosarum siccarum ʒj.* in expressa collatura dissolutis, vel *pilulis ex hiera pitra*. Ac quidquid sanguinem incendit & concitat, vt Venus, labor, omnisque motus vehementior, feruidus aër, ira, cane peius & angue vitandum est. Tum alimenta & medicamenta calidiorem tenuioremque sanguinem refrigerantia & incrassantia, ac venas arteriasque reseratas adstringentia, & emplastica vi obturantia ex vsu erunt, vt *hordeata, oriza in lacte cocta*, pultes ex *farina triticea, hordeacea, amylo*, aut *mica panis similaginei, ouis & lacte chalybeato* confectæ. Carnes animalium assæ, *omphacio, aceto, succo arantiorum* vel simili intinctæ, vel elixæ cum *lactuca, portulaca, acetosa, omphacio, sumacho, rubo, polygono, plantagine, bursa pastoris, berberis, &c.* pedes verueccini, vitulini. Acetaria ex *arantiis, limonibus, citreis malis*, in minutas partes concisis, cum saccharo & aqua rosarum parata. *Mala cotonea, mespyla, myrobalani conditæ, grana berberis condita*. In pastu propter virium imbecillitatem vinum erit concedendum, sed imbecillum, crassum, stypticum, & aqua chalybeata dilutum. Propinanda extra pastum aqua cocta chalybeata, cui *syrupus rosarum siccarum, myrtillorum, cydoniorum, granatorum, berberorum*, vel alius generis eiusdem fuerit admistus. Idem *syrupi cum aquis stillatitiis plantag. rosarum, nymphææ, oxalydis, portulac.* additis trochiscis de *bolo, de spodio, de electro, de berberis, cornu cerui vsto, lapide hama-*

c.2.d.2.t.12.l.3.

c.3 4.d.3.t.1.l.1.

c.1.d.3 t.12 l.3.

c.39.d.3.t.1 l.1.&c.2. d.3.t.12.l.3.

hæmatite, corallo, bolo Armena, terra ſigillata, ſanguine draconis, iulepi formâ erunt exhibendi. Iulepus etiam ex ſcoriæ ferri crematæ & in aceto extinctæ deinde pulueratæ *lapidis hæmatitis triti ana* ℈ *ij. ſyrupi myrtillorum & roſarum ſiccarum ana* ℥ ß. *aquæ plantag.* ℥ *ij.* plurimum iuuabit, quemadmodum & opiata ex *conſeru. roſarum, violar. nenuphar. & ſymphyti ana* ℥ ß. *ſeminum portulac. & plantaginis corall. rubri, ana* ʒ ß. *boli Armenæ, raſuræ ebor. & cornu. cerui vſti ana* ℈ *j. cum ſyrupo myrtillorum* parata, ad caſtaneæ magnitudinem, ſero & mane ante cibum data. Poſthæc topica ex ſtypticis comparata magni erunt ad immodicum fluorem ſupprimendum momenti, vt litus ex *oleo roſarum, cydoniorum, myrtillorum, vnguento Comitiſſæ*, circa ventris imi regionem: fotus, inſeſſus, ſuffitus & iniectiones in vterum per metremchytas, ex *decocto plantaginis, ſymphyti, equiſeti, verbaſci, polygoni, rubi, roſarum, balauſtiorum, nucum cupreſſi, calicum glandium querc. gallarum immatur. malicorij, ſumachi, berberis, aluminis, in vino rubro, aut aqua fabrorum.* Emplaſtra item contra rupturam, ex *vnguento Comitiſſæ*, ex *cerato ſantalino* ſuper alutam extenſa, lumbis, pubi imo ventri admota. Peſſaria ex *foliis plantaginis, polygoni, & radice ſymphyti* contuſis additis pulueribus ſtypticis, linteo tenui in roſaceum intincto inuolutis: vel peſſula ex lana ſucco adſtringente, vt plantaginis imbuta, & genitalibus indita: vel ex goſſipio in vnguentum Comitiſſæ demerſo, linamenti forma in vterum impoſita. Hæc ſiſtendis menſibus præter modum fluentibus videntur mihi ſufficere.

Hac Spærnaci conſulebat Frambeſarius cum alio medico, pro muliere Aixenſi, an. 1588.

CONSVLTATIO II.

De fluore Muliebri.

HIc fluor albus iam per plures menſes continenter non citrà tædium perſeuerans, ſenſim vires infringens, appetentiam deiiciens cruditatem ac ſpirandi difficultatem inducens, ſubtumidum ac decolor corpus reddens, à pituitoſorum humorum in corpore redundan- *c. 6. & 7. d. 1. t. 12. l. 3.*

dundantium, & vndique in vterum confluentium colluuie oritur, quorum laborans magnum facit prouentum, non ob frigidiorem ſtomachi ventriculi, hepatiſque temperiem, verumetiam propter otioſam ac ſedentariam quam degit vitam, victuſque rationem frigidiorem, humidiorem ac pleniorem, qua vt conſueuit, in hac præſertim prouecta ætate, atque hoc hyemali tempore, pluuioſoque cœlo. Quod ad *prognoſim* attinet, huius ſymptomatis curatio longa ac difficilis futura eſt, tum quod refrigerata viſcera cachexiam ac leucophlegmatiam inuexerint, tum quod imbecillior vterus iampridem totius corporis recrementa recipere aſſueuerit. In curatione autẽ duo proponũtur ſcopi, primus vt cacochymia in corpore luxurians repurgetur, deriuetur, auertatur, omninoque per aluum, vrinas, & ſudores euacuetur: ſecundus, vt partes præter naturam affectæ ad priſtinam conſtitutionem reducantur, ac roborentur, profluuiumque ſiſtatur. Cacochymia autem pituitoſa per epicraſim repurganda, ac paulatim per aluum deriuanda, modo phlegmagogis potionibus ex *agarico, myrobalanis capulis, diacarthamo ſyrupo de abſynthio*: modo catapotiis, fœtidis, vel de *hiera, de aſſaieret, de bdellio, addito rhabarbaro*. Alternis vicibus *oxymel diureticum, ſyrupi de quinque radicibus, de bizantijs, de artemiſia, acetoſus* compoſitus erunt ex vſu ad craſſum lentumque phlegma extenuandum, incidendum, detergendum, ac ſubinde apparatum per vrinas educendũ. Ad vitioſi autem ſucci reliquias per ſudores diſcutiendas, exiccandumque œdematoſum corporis habitum, nullum præſtantius remedium exhiberi poteſt, *ligni ſancti decocto*, per aliquot dies mane hauſto. Auxiliis quoque chirurgicis reuulſioni ſtudendum. Poſtea vtendum electuariis *diarrhod. trionſant. ſerap. aromatico, abſynthites, gingibere condito cortice citri conditi, cinamomo, nuce moſchat. theriaca, mitridatio, conſerui roſarum, ſymphyti magni, abſynthij, menthæ, trochiſcis de electro, de ſpodio, cornu ceruino corallo*, aut opiata ex iis omnibus cõcinata, ad ventriculum & iecur priſtinæ temperiei reſtituendum, roborandumque, ac fluorem penitus arcendum. Vterus præterea roborandus ne deinceps aliarum partiũ excrementa tam facile recipiat, iniectionibus, inſeſſibus, ſuffitibus, linimentis, emplaſtris & aliis id genus topicis adſtringentibus. ℞. (igitur) *foliorum abſynthij, eupatorij, centinodiæ, plantag. burſæ paſtoris an.* M.ß. fiat decoctio in qua diſſolue *mellis roſat.* ℥ *ij. aloes, myrrhæ, ſalis nitri an* ℥*j*, fiat iniectio in vterum per metrenchytem. ℞. *lixiuij ex cineri-*

bus

e.18.d.1.t.1 l.1.

e.5.d.2.t.12 l.3.

e.4.d.3.t. 12.l.1.

e.39.d.3.t. 1.l.1.

bus ſarmentorum, vel quercus, vel pyri ſylueſtris, vel corni, vel alterius arboris adſtringentis q.ſ. in quo decoque *radicum biſtortæ & oxylapathi ana* ℔ *ij. plantag. rubi an. M. ij. mali corij, nucum cupreſſi, gallarum an.* ℔ *j. roſarum rub. balauſt. an. P. ij. diſſolu. ſalis communis* ℔. *ij. alumin.* ℔ *j. chalcitidis* ℔. ß. fiat encathiſma. ℞. *ladani, ſtyracis, benioini, xiloaloes, ſatal. omnium an.* ʒ *j. nucis moſchat. & caryoph. an.* ϑ *ij. gallię moſchatæ, vel aliptæ moſchatæ* ʒ *ij. mucaginis gummi tragacanthi q.ſ.* fiant trochiſci, pro ſuffitu muliebrium. ℞. *olei maſtichin. Myrthini, vnguenti Comitiſſæ an.* ʒ ß. miſce pro litu regionis vteri. ℞. *emplaſtri pro matrice* ʒ *iij. radic. biſtort.* ʒ *iij. malaxentur cum oleo maſtichino*, & ſuper alutam extenſa regioni vteri applicentur. Quod ad vitæ rationem ſpectat, victus euchymis, adſtringens, exiccans ac tenuiſſimus eſſe debet, quod affectus ſit humidus, iuxta legem Hippocratis: corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit. Fames enim corpora ſiccat.

Hæc conſulebat Frambeſarius cum D. Dambraneo, aliiſque medicis, pro matrona Rhemenſi, anno 1590.

DISTINCTIO XIII.

De menſium ſuppreßione.

Diſtinctio I. qua continentur diagnoſtici canones.

CANON I.

MEnſium ſuppreſſio in ætate matura citra prægnationem & lactationem, omnino præter naturam cenſetur. Vteroq; per ſe vel per conſenſum affecto contingit. *Ex Fernel. Paul. Heller. &c.* *Qua menſium ſuppreſſio præter naturam ſit.*

II.

Menſes præ ſanguinis defectu, vel copia vitio vere ſiſtunt. Sunt enim quibus menſes non profluunt, propter calidiorem temperiem, inediam, frugaliorem vitam, validas exercitationes, curas, mœrores, immoderatam vacuationem præſertim ſanguinis vel è naribus, vel ex hæmorrhoidibus, vel è ſecta vena, magnam corporis ex præcedente morbo extenuationem, nimiam pinguedinem in quam totus ſanguis conuertitur, aut aliam ob cauſam quicquid in eis eſt excrementi abſumentem, corpuſque euacuantem & exſiccantem. Aliis vero ſupprimuntur menſes ex ſanguinis ſæpius pituitoſi plenitudine, vel craſſitie *Quomodo contingat.*

& lentore, frigidiorem in vtero intemperiem, obstructionem, tumoremve vt inflammationem aut scirrhum excitantis, fere à longo crassorum viscosorumque alimentorum vsu, frigidæ multa potione, ac otio diuturno in corpore exuperantis. Nonnunquam & ob vteri peruersionem, aut adnatam circa collum vteri pelliculam, aut ab vlcere male inductam cicatricem, aut aliam omnino causam interius os eius obturantem, menstrua purgatio prohibetur. *Ex veterum & recent. medicorum consensu.*

III.

Quib. notis dignoscantur menses ex repletione suppressi.

Suppressos ex repletione menses, nausea, cibi fastidium, femorũ, lumborum, capitis, totiusque corporis grauitas & dolor quasi tensiuæ lassitudinis, vrinæ crassæ, turbidæ, rubicundæ ac plerumque nigricantes, & grauia inde symptomata consequuntur. *Ex Fernel. Fuchs. Paul. Aet. &c.*

DISTINCTIO II.

Qua continentur prognostici canones.

Canon I.

Quos morbos mensiũ suppressio inuehat.

Menstrua præter naturam retenta, hystericam suffocationem, arthritidem, hydropem, dyspnœam, phthisim, syncopem, cordis palpitationem, vertiginem, epilepsiam, melancholiam, paralysim, vel aliud exitiosum morbi genus tandem inuehere solent, quia non abundantiam modo, sed insignem etiam pariunt humorum prauitatem, quæ ad iecur, cor, pulmones, cerebrum, vniuersumque corpus transfertur. *Ex Alt. Bruel. Vvekero, & aliis auth.*

II.

Qua mensium suppressio incurabilis. Cur diuturnior mensium suppressio vix curationẽ admittat.

Quibus vlcerum cicatrices oscula vasorum in vtero excæcarunt, & propterea menses fuerint detenti, penitus incurabiles sunt: quemadmodum & vbi pellicula quędam circa collum aut osculum vteri fuerit adnata, nisi illa perforetur, aut resecetur. *Altom. ex Aetio.*

III.

Si diutius menses subsistant, vascula per quæ traduci solet sanguis, ita concluduntur, induranturq; tempore, vt vix vllam possint deinceps curationem admittere. *Ex Bruel.*

DIS-

DISTINCTIO III.

Qua continentur Therapeutici canones.

CANON I.

MEnſes nec ante decimum quartum, nec poſt quadrageſimum quintum annum, nec vtero gerentibus, nec quoties ex naturali aliqua cauſa reſtiterint, ciendi ſunt. Nec item mulieribus calidioris temperaturę, validis exercitiis vtentibus, curis, mœroribus, inedia confectis, largiori hæmorrhagia. diuturno alui profluuio, aut alia vacuatione immodica inanitis, longoq; morbo extenuatis, nec iis quæ à ſuppreſſione nihil incommodi ſentiunt, vnquam prouocandi ſunt. Cum enim in magnis venis non ſuppetat plus ſanguinis, quam conueniat nutriendo corpori, non poteſt ſanguis per vterum vacuari, quin fiat ſingulis partibus iniuria. *Ex med. omnium conſenſu.* *Quando menſes minime ciendi.*

II.

Ad euocandos menſes ex repletione ſuppreſſos, abigenda ſuppreſſionis cauſa, detrahenda ſanguinis copia, craſſus lentuſq; humor extenuandus & detergendus, ora vaſorum quæ ad vterum pertingunt aperienda, obſtructioq; liberanda, frigidior intemperies corrigenda, & inde quaſi ſopita vteri virtus excitanda: & imbecillitas corroboranda, ſicq; vteri purgatio procuranda. *Framb. ex conſenſ. med.* *Quæ ad prouocandos menſes mouenda.*

III.

Suppreſſi menſes arte prouocandi ſunt, quo tempore fluere conſueuerunt, vt habeamus naturam adiutricem. Si nondũ fluxerint, adoleſcentulis præſcribenda remedia erunt deficiente Luna, ætate proue-ctioribus, vbi Luna plenior orbe illuſtratur, iuxta illud, *Luna vetus veteres, iuuenes noua Luna expurgat. Ex Riolan. & aliis.* *Quo tempore menſes euocandi.*

IV.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη, πολλαχοῦ δὲ καὶ εἰς ἄλλα χρηστὴ μὴ αὖ ἦν, εἰ μὴ καρηβαρείας ἐνεποίει. Suffitus aromatum muliebria ducit, ſæpius vero & ad alia vtilis eſſet, niſi capitis faceret grauitatem. Hippocr. aph. 28. l. 5. Quibus enim mulieribus menſtruæ purgationes propter ſanguinis craſſitiem, aut acetabulorum obſtructionem vel obſerationem, totiuſve ſubſtantiæ denſationem ſupprimuntur, iis prouo- *Singulare ad ciendos menſes remedium.* *Quib. conueniat.*

cantur ſe ſitu caſſiæ, coſti, amomi, cinnamomi, & ſimilium calidorum aromatum, quorum vapor in vaſa vteri receptus, obſtructiones ſoluit, extenuat, incidit ſuo calore lentos humores, & ad fluxum apparat. Sed quia vapor calidus eſt & tenuis, prauam qualitatem materiarum vteri ſecum rapit & tollit in caput, vnde capitis grauitas. Quæ autem propter inflammationem vel peruerſionem vteri, aut aliam ſimilem cauſam non purgantur ſtatis temporibus, non aliter recte curabuntur, quàm eam paſſionem vteri remouendo, quæ ſuppreſſionis menſium cauſa eſt. *Ex Galeno.*

CONSVLTATIO

De Menſium ſuppreßione.

c 3 d.1.t. 13.l.3. NAuſea, cibi faſtidium, lumborum, capitis, totiuſq; corporis grauitas & dolor quaſi tenſiuæ laſſitudinis, lipothymia, diſpnœa, ceteraque ſymptomata, de quibus hæc honeſta mulier conqueritur, ex vna menſium præter naturam ſuppreſſione prodeunt. Hæc autem propter vteri adynamiam, à frigida intemperie, ingentiq; obſtructione, ex copia ſanguinis pituitoſi, craſſi & lenti venas hyſtericas obturantis, præ longo craſſorum viſcoſorum alimentorum vſu frigidæ multa potione ac otio diuturno contracta eſt. Quod ad *Prognoſim* attinet, ſi menſes diutius ſubſiſtant, periculum eſt ne hyſtericam ſuffocationem, vel arthritidem, vel hydropem, vel cordis palpitationem, vel *phthiſim*, vel *epilepſiam*, vel *melancholiam*, vel paralyſim, vel aliud exitioſum morbi genus tandem inducant. Quocirca illis confeſtim prouocandis omni ſtudio incumbendum. *Ad curationem* vero arte moliendam, ſanguinis ſuperuacanei plenitudo demenda, humoris craſſities ac tenacitas extenuanda & detergenda, ora vaſorum hyſtericorum occluſa aperienda, obſtructioque liberanda, intemperies frigidior corrigenda; & inde quaſi ſopita atque ſepulta vteri virtus excitanda, imbecillitaſque corroboranda, vt rite poſſit omnis vteri illuuies tandem expurgari. Ad demendam plethoram, vnaq; promouendam menſtrui ſanguinis purgationem, ſecanda, Galeni conſilio, malleoli vtriuſque vena aluo remolliente clyſtere ſoluta, niſi cubiti vena prius videatur aperienda, vt monet Aëtius, ne ſanguis maiori impetu irruat ad vterum, vel vt reuelatur ſanguis qui copia ſua obſtructionem

c 33 d 3, t. 2, l.1.

fouet.

fouet. Tum reliqua materia ad faciliorem euacuationem inc'denti- c.43.d.3.t.1
bus, abstergentibus, & aperientibus remediis apparanda, vt *syrupis de* l.1.
quinque radicibus, de bisantijs, capillorum Veneris, de hyssopo, de artemisia, cum aquis apij, petrosel. fœnic. neperæ, sub iulepi formam datis, vel apozemate ex *decocto radicum 5. aperientium, acori, rubiæ tinctorum, subinæ, calaminthæ, artemisiæ, menthæ, agrimon. absynth. hyssop. origan. puleg. seminum apij petrosel. fœnic. anis. dauci. florum, anth. bugloss. sambuci, genistæ, cicerum rubrorum, & oxymelite composito*, vel prædictis *syrupis, & cynamomo*. Præparata vero pilulis *de* c.39.d.3.t.
hiera, de agarico, fœtidis potione ex diluto agarici in commemorato *decocto*, 1.l.1.
diaphœnico, & syrupo rosarum pallidarū, aliove cathartico idoneo vacuanda, vt omnino liberetur obstructio. Ad frigidam deinceps intemperiem emendandam, indeque sopitam vteri vim suscitandam, mensesq; adeo prouocandos, exhibenda *sesquidrachma trochiscorum de myrrha, vel castorei ʒj. mentastri in puluerem redacti ʒ ß. cum vini albi ʒiij*. Extrinsecus vero fotus, insessus, & balnea, ex *chamæmelo pulegio, origano, calamintha, nepeta, artemis. matricaria, marrubio, centaurio, mentastro* & similibus in aqua decoctis parata erunt adhibenda. Posthæc inunctiones circa imi ventris regionem, ex *oleis liliorum, amygdalarum dulcium, rutæ, butyro recenti &c.* frictiones item partium infernarum. Cucurbitulæ insuper c.4.d.3.t.
coxis inguinis vel ad venam poplitis affigendæ. Suffitus præterea ex vsu 13.l.3.
erunt ex *styrace, galbano, bdellio, thure, radice aristolochiæ, artemisia, cassia lignea, caryophyllis, cynamomo* & similibus aromatibus. Vapor etiam decoctionis antea commemorati per muliebria excipiendus, Metrenchytis quoque vtendum ex *succo mercurialis*, vel *decocto rubiæ tinctorum, eryngij, vel radicum 5. aperientium, saluiæ, matricariæ, neperæ, & puluere melanthij*. Pessi item ex mercuriali per se trita, vel additis *hiera simplici, mithridatio & moscho*, vel ex lana eiusdem succo imbuta, & linteo inuoluta in sinum pudoris immittendi. Victus interim calfaciens & attenuans instituendus, vinique albi, tenuis, odorati vsus, frequentes deambulationes, omniaque valentiora exercitia imprimis imperanda. Dixi.

Hæc consulebat Fambesarius apud Castellum Portianum pro matrona Castellana anno. 1591.

TITVLVS XIIII.

De Hysterica suffocatione.

Distinctio 1. De vteri suffocationis diagnosi.

CANON I.

Quid hysterica suffocatio.

SVffocatio hysterica liberæ respirationis priuatio est, ob vterum putri materia turgidum, tetrumque vaporem inde suscitatum sursum ascendentem, ventriculum & diaphragma adeo comprimentem vt dilatari nequeant. *Ex Galeno, Holler. & alijs.*

II.

Quibus notis dignoscatur.

Comitatur hoc malo laborantes, cum accessio propinqua est, torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, faciei pallor, aspectus mœstus. Quum vero iam instat strangulatus, grauis sopor premit, mēs desipit, sensuum instrumenta deprehenduntur, impediunturque, vox obmutescit, cruraque contrahuntur. Pulsus parui ac debiles fiunt, sæpe etiam penitus abolentur. Nonnullis quoque spiratio quæ ab ore ac naribus prodit, manente tamen ea quæ in arteriis fit, in totum intercipitur. Cum remittit malum, malæ incipiunt rubescere, oculique attolli & aperiri, ac humiditas quædam ex locis muliebribus tactu perceptibilis excurrit, intestina obmurmurant, ipseque vterus paulatim laxatur, atque sic ipsis mens, sensus & motus redit. *Paulus, Aetius, Altom. Fuchs.*

III.

Quam ob causam circuitu repetat.

Malum hoc iuxta circuitum mouetur, perinde atque epilepsia, idque nimirum vtero repleto aut seminali aut alia materia quæ intus computruerit. *Paulus.* Causa quippe accessionis hystericæ vapor est ex vtero non solum per venas & arterias, sed & per spiracula cæca & latentia sublatus, atque is certe venenatus tamque malignus ac pernicioſus, vt partium quas attigerit facultates offundat, earum que functiones intercipiat. Cuius focus est vterus, in quo vel conclusum semen, vel menstruus sanguis, vel alius quivis humor in hanc venenatam malignitatem corrumpitur. *Fernelius.*

Quomodo hysterica fiat accessio.

Vt dignoscatur an

Si autem à putri semine malum oriatur, longe grauiora ac sæuiora contingunt symptomata, quam si à menstruo duntaxat sanguine sup-

ſuppreſſo contrahatur, quia quo quid præſtantius eſt dum naturam ſuam ſeruat eo fit deterius ſi quando corrumpatur, & in contrariam naturam degeneret. *Ex Riolano, & aliis.*

ſit à retento ſperma-te, vel à ſanguine menſtruo contracta.

IV.

Accidit hæc affectio omni quidem tempore, ſed hyeme præcipue ac autumno, iuuenculis præſertim, ſalacibus, ac ſterilibus. *Ex Paul. Alto.*

Quando & quibus maxime contingat.

DISTINCTIO II.

De vteri Suffocationis prognoſi.

CANON I.

SI comitialis modo diuturnus fiat hic affectus, ſæpiuſque inuadere aſſueſcat, & per circuitum repetere, quanuis tutus appareat, ſingulis tamen acceſſionibus præceps quaſi periculum affert. Itaque licet multæ rurſus à malo ſe recolligant & ad ſe redeant, nonnullæ tamen in ipſis paroxyſmis ſubito aut poſt paucas horas pereunt, quibus videlicet pulſus crebriores & inordinate intercidunt, deinde in totum etiam abolentur, reſpiratioque primum languida eſt, mox in totum abſcinditur, ſudorque frigidus ſuperficiem irrorat. *Ex Paulo & Aëtio.*

Vbi ſtrangulatus ab vtero periculoſiſſimus.

II.

Grauior ac moleſtior eſt vteri ſuffocatio ex detento ſemine orta, quam ex ſuppreſſis menſibus, cum illa præſertim maiorem corpori noxam, maioraque ſymptomata inferat. *Ex Gal. Alt.*

Ab vtra cauſa periculoſior affectus.

III.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ, ἢ δυσκόπῳ παρεμοὶ δπιγιγνόμενος, ἀγαθόν. Mulieri quæ ab vteri ſtrangulationibus infeſtatur, aut quæ difficulter partum edit, ſternumentum ſuperueniens, bonum. *Hippocr. aphor. 35. lib. 5.* Sternutatione enim ſignificatur, quod natura quæ prius erat ſopita & obtuſa, iam collectis viribus expergiſcitur, & redit ad ſe. Signum ergo bonum ſternutatio, & cauſa etiam iuuaminis eſt, quia vehementiore concuſſu partim quidem naturam excitat, partim vero excernit quæ partibus corporis firmiter infixa hærent. *Ex Gal.*

Vt ſuffocationi vterinæ ſternutamentum ſuperueniens, bonum.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

De vteri suffocationis curatione.

CANON I.

Vt alia accessionis, alia intermissionis tempore hic instituenda curatio.

HYsterica suffocatio duplicem curationis modum, vnum accessionis, alterum intermissionis tempore requirit. *Ex Altomar. & reliquis auth.*

II.

Quæ in hysterica accessione molienda.

In paroxysmo, vterus ad superiora retractus per inferiora auertendus est, putrisque materia in eo concluſa concutienda, & per illius collum subducenda & proiicienda, teterque vapor inde sursum ascendens, deorsum reuellendus, spirituſque vitalis & animalis præ venenata vaporum qualitate veluti sopitus atque prostratus, omnibus modis excitandus & reuocandus, vt noxium humorem propellat. Idque frictionibus, ligaturis, cucurbitulis infernis partibus adhibitis, putidis naribus, odoratis genitalibus admotis, trahentibus pessis inditis, acribus glandibus aut clysteribus iniectis, sternutationibus prouocatis, & aliis generis eiusdem remediis. *Frambes.*

III.

Quæ post accessionem.

Vbi accessio conquieuerit prægressa symptomatis causa summouenda, seminis generatio prohibenda, si viri consuetudinem admittere non liceat, suppressi menses prouocandi, ac quilibet vitiosus humor vtero tenacius impactus vaporum malignorum parens expurgandus. *Ex med. consensu.*

IV.

Vbi venæ sectio susp ecta.

Phlebotomia hic suspectum remedium est, nisi cum suppressi sunt menses. Metuendum enim si administretur in hysterica suffocatione à semine corrupto orta, ne id in venas trahatur. *Ex Holler. Syl. Dureto.*

CONSVLTATIO

De Hysterica suffocatione.

c. 1. 2. 3 d. 1. t. 14. l. 3.

Conspicua sunt in hac naturæ ætatis virgine, vteri suffocationis indicia, quæ à retenti non modo menstrui sanguinis, verum etiam seminis

minis putredine ac corruptela gignitur. Vnde malignus venenatusq; vapor suscitatur, qui in superiores partes elatus varia pro variis partibus quas affligit, solet edere symptomata. Nam cum in ventriculum transmittitur, nauseam, cibi fastidium & cardialgiam excitat, in diaphragma thoracisque partes respirationem breuem, crebramque tanquam compresso pectore facit, cordisque palpitationem, & animi defectionem, inducit. Vbi vero altius in fauces inuadit, eas quasi vinculo constringere, aut manu præcludere videtur, prorsusque spiritum vocemq; intercipere, magno suffocationis metu. Si præterea cerebri meningas obsideat, conuulsiones adfert. Si vero in mentis sedem irrepat, alias furorem vterinum mouet, aut alia desipientiæ genera, metus terroriisque plena, alias quasi soporem quemdam, ac veternum infert, quo ægra corruens velut attonita iacet, sine motu, sine sensu vllo, respiratione adeo parua & rara, vt interdum nulla esse credatur, pulsuq; ita obscuro paruoq; vt ne percipi quidem possit, tanquã ipsa iam mortua extinctaq; sit. At sub accessionis finem, humor quidam ex muliebribus locis excurrit, vterusque paulatim laxatur, intestina obmurmurant, deinde oculi attolluntur & aperiuntur; malæ rubescunt, intellectus, sensus ac motus restituuntur, corpusque firmari incipit. Quod ad *prognosim* attinet, hystericus hic affectus longe periculosissimus existit, ob paroxysmorum crebro repetentium *vehementiam*, qui non à suppressis mensibus duntaxat, sed à detento etiam spermate putrefacto atque corrupto, venenatamque *malignitatem* adepto excitantur. Curatio autem duplex, prior accessionis, altera intermissionis tempore instituenda. Vrgens quippe paroxismus primum tollendus, postea ne recurrat, prouidendum. Ad paroxysmi depulsionem vterus præ vasarum plenitudine distentus, ad superiora retractus, per inferiora auertendus est, putrisq; materia in eo concluſa, concutienda & per illius collum subducenda & prolicienda, teterque vapor inde sursum ascendens, deorsum reuellendus, spirituſque vitalis, & animalis, præ venenata vaporis qualitate veluti sopitus atque prostratus, omnibus modis excitandus & reuocandus, vt noxium humorem propellat. In eum finem frictiones & ligaturæ dolorificæ infernis partibus adhibendæ. Cucurbitulæ inguinibus, coxisque affigendæ. fœtida naribus admouenda, vt funiculus lucernæ nuper extinctus, plumæ præsertim perdicum combustæ, alliorum aut cæparum cortices, capilli

c.1. & 2. d. 2. t. 14. l. 3.

c. 2. d 3. t. 14. l. 3.

cremati, ruta viridis, caſtoreum, galbanum & ſagapenum ex aceto trita, &c. Odorata vero pudendis ſupponenda, vt ſuffimenta, ex *ſtyrace, beioino, xiloaloe, cinamomo, caryophyllis, gallia moſchata.* & ſimilibus aromatibus. Fomenta & ſacculi calefacti imo ventri & pectini imponendi, ex *artemiſia, abſynthio, chamæmel. puleg. origan. calaminth.* & ſimilibus parati. Sternutamentum etiam prouocandum, ex *caſtoreo, pipere, euphorbio, elleboro*, &c. pulueratis in nares inditis. Vellicandæ nares, aures, ſed maxime pili qui pudendis adnaſcuntur. Glandes item ex *ruta, cumino, agarico, ſale gemmæ, hiera & melle* in ſedē immittendæ, necnon & clyſteres acres ex vterinis comparati, iniiciendi; magniſq; vociferationibus ægrotans excitanda. Obſtetrix præterea oleo nardino vel liliaceo, vel muſcellino, in quo Zibeti, moſchi aut ambræ aliquid diſſoluatur intinctum digitum immittat in ſinum pudoris vteriq; ceruicem leniter diuq; confricet atque titillet, vt materia noxia hinc prouocetur, excernaturque, ſimulque vterus deorſum deſcendat. Hæc ad ægram paroxyſmo liberandam. Cum autem deſierit acceſſio, ſymptomatis cauſæ opitulandum. Menſes inciſa imprimis ſaphena prouocandi ſunt: deinde purgationibus per interualla repetitis, ex *hiera agarico trochiſcato, pilulis fœtidis*: præterea *caſtorei* ʒj cum aqua mulſa aut artemiſiæ decocto quotidie exhibenda, modice aniſo adiecto. Admouendum interim vmbilico emplaſtrum ex galbano cum pauco moſcho, ad vterum calfaciendum, emolliendum, diſcutiendum, & corroborandum. Seminis item generatio prohibenda, cum præſertim ob continentiæ perpetuæ votum nubere virgo nequeat. Itaq; vena ſæpe ſecanda, interdicenduſque vſus vini, carnium, ouorum, & alimentorum quæ multum nutriunt, ac ſanguinem ſpermatis materiam augent. Decernenda vero valida exercitia, ieiunium, vſus ſeminum *agni, rutæ dauci, cumini, radicis nymphææ*, & ſimilium ſemen gigni prohibentium, & genitum abſumentium. Hac via & ratione grauiſſimi huius ſymptomatis curatio molienda mihi videtur.

s.3.d.2.t. 14 l.3.

s.3.d.3.t. 14.l.3.

Hæc conſulebat Frambeſarius cum D. Dambraneo, aliiſq; medicis Remenſibus, pro religioſa virgine, anno 1588.

N. ABRA-

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTATIONUM Medicinalium LIBER SEXTVS.

De Arthritide.

Distinctio I. *De Arthritidis diagnosi.*

CANON I.

ARTHRITIS est articulorum dolor, à redundantis humoris fluxione, propter illorum imbecillitatem, per interualla excitatus. Quidam inflammationem esse definiunt, sed male, quod aliquando plus œdematis, aut alterius tumoris sit quam phlegmones, pro humoris varietate. Adde quod nunquam ad suppurationem perducatur. Nonnulli hoc animaduertentes, arthritidem malunt articuli tumorem definire, sed perperã, quod nullus quandoq; tumor sit in affecta sede conspicuus. Alij articulorum dolorem esse dicunt, sed essentiales eius causas prætermittentes, propriam arthritidis definitionẽ nequaquam exprimunt. Non enim omnis articulorum dolor arthritis proprie dici potest, sed is duntaxat quem fluxio in articulos imbecilliores irruens peperit. Vnde constat (vt Galenus adnotauit) Hippocratem arthritidis nomine abusum aphorismo 16. lib. 3. vbi scribit eam ἐν τοῖς ἀώχμοις fieri. Qui enim per siccas temporum constitutiones absumpta articulorum humiditate à difficili motu aliquando exoritur dolor, cum citra humoris affluxum fiat, non nisi improprie arthritis appellari potest. Quocirca excusari nequit Hippocrates, nisi quis eum locum interpretari velit, de biliosa arthritide, quæ fit calida & sicca temporis constitutione, quibus talis humor infirmis articulis defluit. Articularis dolor à Barbaris gutta nominatur, quod humor guttatim in arti-

Quid arthritis.
Improbatur definitio Galeni.
Gorræi.
Fernelii.
Taxatur Hippocrates.
Excusatur.
Cur arthritis gutta vulgo dicatur.

Vt à parte affecta nomen accipiat.

in articulos deſtillare credatur. Pro varietate partis affectæ, variam apud Græcos ſortitur appellationem. Nam ſi manus obſideat, χειάγρα, ſi pedes, πόδαγρα; vt ſi genua γόναγρα; vbi in coxam incidit, ἰσχιὰς; cum omnes vel plures ſimul articulos occupat, proprie ἀρθρίτις nuncupatur: quamuis à pleriſque de nominibus parum ſollicitis vnius tantum articuli affectio, non raro arthritidis nomine deſignetur. *Frambeſarius.*

Quem locum obſideat chiragra, Podagra, Iſchias.

Chiragra autem vel manus carpum vel externam partem vel digitorum articulos ac vincula infeſtat. Podagra vel malleolos vel pedium, maxime vero pollicis articulum adoritur. Iſchias omnium vehementiſſima eſt. Dolor atrox non in ſola eſt coxendice, ſed & altius ad ſummam natem, qua nerui à lumbis & ab oſſe ſacro emergentes in crura feruntur, & inferius in femur, & in ſuram, & in extremum pedem exporrigitur, quocumque nimirum ab affecta coxendice deductus neruus pertingit. Raro tumor ineſt conſpicus, rarius calor aut rubor, quod eius loci ſumma cutis venis conſperſa minime ſit. *Ex Fernel.*

II.

Arthritidis cauſæ.

Duæ ſunt arthritidis cauſæ, articuli imbecillitas, ac ſuperfluus humor, quarum neutra ſeorſim arthritidem creare poteſt, ſed neceſſarius ambarum concurſus, ad eius generationem. Nec enim ſola partium imbecillitas articularios cruciatus excitat, quoniam ἔδει τὰς παροξυσμὰς ἀδιαλείπτως εἶναι, acceſſiones ſine vllo temporis intervallo vigerent, cum imbecillitas articulis perpetuo exiſtat. Atqui datur arthritidis acceſſionum tempus intermedium, in quo prorſus non infeſtantur. Quare etſi imbecillitas adeſt, arthritis tamen non gignetur, ſi in vita æger nihil deliquerit. Nam humor non influet, ſi corpus ἀπίεσθον omnino fuerit. Nec humor etiam ſolus dolores creat articulares, quandoquidem in parte neceſſe eſt imbecillitatem ineſſe, alioqui nunquam admitteret fluxionem. Ergo vtrumque, & humor à natura alienus, & particularum imbecillitas, morbum adfert articularium. Quoties enim altrix particularum facultas imbecillior, ciborum grauatur copia, ex qua cruditates enaſcuntur, humor ſuperans in quodcunque articulamentum, quod antea imbecillius euaſerit, ſe confert, & artubus ſeſe inſinuans, colligantes neruos diſtendit, dolorem excitat. Neque enim neruos περιπικὰς, per quos motus diſpenſatur arbitrarius, per protopathiam vitium infeſtat, quoniam oporteret etiam medios internodiorum locos, ipſum

ipsum occupare, vtpote tibias medias, aut femora, aut cubitos, aut brachia. Afficiuntur tamen iidem nerui per sympathiam, lege consortij, quod cum articulis ineunt.

Quotuplex imbecillitas.

Imbecillitas autem vel natiua est, atque congenita, qualis esse solet iis qui parentibus articulari morbo obnoxiis nati sunt, iisque omnibus qui sunt ex imbecillo semine geniti, fitque tum arthritis hæreditaria: vel vitio erroreque vitæ contracta est, vt per immoderatos labores, frigus vehemens, immodicam venerem, balnearum crebriorem vsum, & cætera quæ naturalem articulorum compagem relaxant & emolliunt, quæque foris incidentia articulos contundunt. *Frambesarius ex Gal. Paul. Aet. Fernel. Gorr. Holl. &c.*

III.

Quæ in arthritidis diagnosi animaduertenda.

Ad perfectam arthritidis diagnosim consequendam, quatuor sunt diligenter animaduertenda, materia quæ fluit, origo fluxionis, via per quam fertur, & sedes vbi consistit; quæ tamen singula inter veteres & neotericos controuersa sunt. Nam veteres vno consensu omnes, si Aretæum exceperis, genitricem arthritidis fluxionem, ex quolibet humore redundante, ab hepate per venas in articulorum cauitatē fieri tradunt.

De arthritidis genesi sententia veterum.

Recentiorum non eadem est omnium sententia. Fernelius arthritidem omnem ex frigido humore, ab externa capitis parte, sub cute deorsum per summa corporis non in articulorum cauitatem, sed in partes tantum circumpositas influente oriri contra veteres contendit. Alij pro maiorum placitis, non secus ac pro patriis fanis atque delubris propugnant. Nonnulli vtrumque dogma diorismis adhibitis approbant. Quid nos de propositis controuersiis sentiamus postea aperiemus. *Frambesarius.*

Recentiorum, Fernelij.

IV.

Quod humor arthritim faciens varius, ex veterum sententia.

Redundans humor qui iuncturis sese inserens arthritidem infert, nunc sanguineus est, nunc bilios us, alias melancholicus, plerumque etiam pituitosus, copia alimenti aut eruditate aut otio congestus, initio quidem tenuis, sed vetustate in articulos crassescens & glutinosior euadens, adeo vt in duritiem contumaciss imam, quam Græci πώρον, Latini tophum appellant, occalescat. Interim vero ex pluribus est mixtus. *Paulus ex Galeni & reliquorum veterum dogmate.*

Varia igitur materia arthritidem gignit. Etenim sanguis qui in

ſinus articulorum confluxerit, calidus, tum ipſos, tum compages ac ligamenta diſtendens, vehementem dolorem excitare ſolet. Similiter etiam bilis, quæ frequenter inter neruos & ligamenta influxerit, inflammando ſimul & diſtendendo, magnos cruciatus adferre conſueuit. Præterea pituita, dum in prædicta loca ſe inſinuauerit, validioris doloris cauſa efficitur, dum ſimul cum frigiditate & arctat & diſtendit. Eadem ratione etiam humor melancholicus, non modo refrigerando & premendo, ſed etiam quod grauitatis ſenſum efficiat, haud moderatas parit acceſſiones. *Alexander Trallianus c.1.l.11.*

Quod pro varietate humoris multiplex arthritis ſtatuatur, ex maiorũ decretis.

Hinc plures ſtatuuntur arthritidis differentiæ, pro humoris varietate. Alia quippe ſanguinea, alia bilioſa, alia melancholica, alia pituitoſa, alia ex diuerſa humorum colluuie contracta. Quo fit vt arthritis ſit calida, vel frigida. *Ex veterum decretis.*

V.

Fernelius ſolũ humorem frigidum arthritidis cauſam ſtatuit, contra veterum decreta.

Hæc veterum de arthritidis multiplici materia & differentiis decreta ſunt: à quibus deſciſcit Fernelius c.18.l. 6. path. ſic ſcribens: Humor, continens arthritidis cauſa, non tam varius atque traditur exiſtit. Nec enim ſanguineus, nec bilioſus, nec melancholicus vnquam eſt, ſed omnino vel pituitoſus vel ſeroſus: perperamque arthritidis differentiæ ex humoris genere ſtatui ſolent, vt alia calida, alia frigida ſit, ſed omnis frigida eſt, ex frigido humore genita. Quod ſi rubor aut calor interdum maximeque in chiragra vel podagra cernitur, is non ex morbi eſſentia, ſed ex vehementia fit doloris, qui ruborem caloremque nonnunquam & febrem accerſit quæ potiſſimum iis eueniunt qui cõſtitutionem corporis obtinent impenſe calidam atque plethoricam, & qui leui occaſione febre iactantur. Hic igitur frigidus humor ac tenuis, articulorum vincula, membranas aut tendones implens & diſtẽdens aut feriens, dolorem infert. Dolor vero ſi corpus præparatum iam eſt, ruborem, calorem atque febrem: quæ diſtendentis aut ferientis humoris ſunt ſymptomata. Talis eſt ratione artiſque vſu comprobata ſententia de arthritidis continente cauſa.

Fernelij opinio conuellitur à Valetio.

Hæ Fernelij rationes, leuioris profecto momenti ſunt, quam quæ debeant à meliore veterum dogmate nos abducere. An quæſo, calorem, ruborem, febrem, quæ arthritidem fere comitantur, pituitoſo po-

ſo potius, quam feruenti humori, vt calido & bilioſo adſcripſeris? Fiunt dices, non à natura humoris, ſed à diſtenſione. Cur igitur idem œdematum generi non vſuuenit? Deinde aliquis (exempli gratia) ætate iuuenili, æſtate media, antegreſſo victus genere bili generandę accommodato, conſentientibus etiam ſymptomatis humoris bilioſi propriis, arthritide præhendatur, num eam potius à bile, quam à pituita quæ in iſto corpore nullo modo peccat, fieri dixeris? Quinetiam ad arcendam arthritidem non perpetuo idonea eſſe eadem remedia communis docet experientia. Siquidem dolori alicuius ſedando, vt bilioſæ, competit oleum roſaceum, quod pituitoſæ noxium. Sic humorem bilioſum mitia digerentia ſatis reſoluunt: pituitoſum vero minime, ſed vehemẽtiora longe requiruntur. *Valetius exercit. 63. in Hollerij praxim.*

Falſum igitur à pituita, aut ſero omnem fieri arthritidem, cum manifeſtis ſignis & remediis calida arthritis à frigida differat. Calida enim dignoſcitur calore, rubore, acuto dolore; tum quod recreetur & iuuetur frigidis, offendatur calidis. Frigida vero percipitur caloris, ruboris & doloris acuti priuatione, tumore albo, laxo, molli; tum quod gaudeat calidis, lædatur frigidis. Si quis pro Fernelio obiiciat, ſolam in articulis videri pituitam, quæ progreſſu temporis in tophum concreſcit, vnde arthritis nodoſa exiſtit: reſpondeo calidum humorem, vt ſanguinem vel bilem initio pituitæ vt plurimum permiſceri, eaque permiſta è venis exiiſſe, ſed pituitam ſolam permanere, quod tenuiores partes reſolutæ ſint. *Riolanus olim docens dictabat.* *à Riolano.*

VI.

Antecedentem cauſam recte omnes ſtatuunt humorem eſſe, qui aliunde in imbecillos articulos aut influit, aut influxurus eſt; vnde autem & per quas vias influat, nemo ad vnguem videtur inueſtigaſſe. Ex hac ignoratione hactenus dolor articularis pro immedicabili derelictus eſt, nuncupaturque medicorum opprobrium. Errant profecto quicumque ex intimis illum partibus in articulos irrumpere putant. Quomodo enim à viſceribus intimiſque ſedibus poſſit humor ſyncerus aliquiſpiam per venas ferri? aut qui ſanguini permiſtus nuper erat, illinc per ora venarum in articulos purus excidere? aut ſi etiam cum humore ſanguis emanat, cur in articulo collectus phlegmonem non excitet? Sed neque humor crudus, qui non per alios ductus *Fernelij ſententia de origine & via fluxionis.*

ctus quam per venas fertur in articulos, arthritim facit. Nam cruditas in cachexia è viſceribus in pedes incumbens dum tumeſcant, podagrã non efficit. Alia igitur quam ex intimis partibus eſt arthritidis origo. Hæc autem caput eſt, è quo ſane pituitoſus humor, iſque tenuis profluit in articulos. Non quidem cerebrum, aut interiores eius ventriculi, in quibus pituitoſum excrementum cumulari coaceruarique ſolet: (hoc enim vel foras per nares, vel per palatum in aſperam arteriam atque pulmones, aut in ventriculum interioreſque ſedes illabitur) ſed partes capitis externæ & extra caluam poſitæ origo ſunt arthritidis: è quibus ſuperuacaneus humor per ſumma corporis ſub cute deorſum decurrit. Venæ enim multæ ab externis iugularibus deductæ, eo excrementa ſua tenuia atque ſeroſa deponunt. Quumque capitis craſſa denſaque ſit cutis è qua capilli ſuccreſcunt, non quemadmodum è reliqua corporis cute, illinc facile humor expiratur. Tempore igitur cumulatur copioſior, inuis maxime quibus gignendi eius euidentes cauſæ conueniunt. Cumulati iam humoris ſigna ſunt, capitis grauitas & ſomnolentia, dolor externus & qui contactu præſertim que inuerſis capillis exacuitur; tumor œdematoſus interdum, vt cera mollis, cuti præſertim ad occipitium ſubiectus: cutis denſa nec caluæ propius adhærens. Ea igitur humoris denſa lentaque congeſtio arthritidis fomes eſt atque origo. Supra modum congeſtus humor leuiſſima occaſione aut æſtus aut frigoris, aut frictionis, interdum etiam ſponte de ſua ſede decidit, & in ſubiectas partes illabitur. Atque quum aquæ & ſeri inſtar tenuis ſit, ei perſimilis quem frigidiore cælo è cerebro per nares fluere comperimus, non per ſpinalem medullam, (paralyſis enim fieret) non per neruos & muſculos, ſed facile ſub cute (vbi laxæ & amplæ ſunt viæ) in corporis extimas ſedes influit. Is autem fluxionis decurſu, quia tenuis, in ſolis articulis qui compacti denſique ſunt, ſubſiſtit ac hæret, nõ item in mediis regionibus, quæ amplæ laxæque ſunt. In id demum corporis latus præcipue fertur, in quod crebrius corpus decumbit. Atque ſi dum incitatus eſt humor, in dextrum humerum brachiumque dolor impetit, ſi in ſiniſtrum, ſiniſtrum: ſi in dorſum, ceruicem, ſcapulas; coxendices vel crura. Qui arthritide conflictari incipiunt, ſolent primum leuem chiragram aut podagram experiri, cuius vix quiſquam niſi expertus credat humorem è capite duci, aut illinc poſſe tam repẽte in extremos pedes clanculum & ſine ſenſu illabi. At quoniam initio admo-

admodum tenuis est, & iis maxime qui calidiores mundi regiones incolunt, facilis promptaque illius est defluxio. Quum autem tempore crassiusculus is iam euaserit, maxime in frigidis regionibus & ætate prouectis, non repente in extrema profluit, sed in mediis hæret regionibus, ac tum mali origo, tum decursio conspicua est. Sentitur tum dolor è ceruice vel per humeros in cubitos & manus, vel per dorsum in coxendices, genua, pedesque sensim deuolui, sensu interdum frigoris oborto, quo corpus omne perhorrescit. Dolor è superis partibus in inferas sæpe descendit, ascendit nunquam, nec è dextris in sinistras aut contra commigrat: Si quando enim dolori dextro succedit sinister, hunc non loci permutatio, sed noua defluxio parit. Omnis etiam quum defluit humor aliquantum tenuis est, alioqu non defluxurus: articulo iam impactus nostri caloris vehementiorumque medicamentorum vi crassescit, & parte tenui dissipata dissolutaque fæx quædam terrena manet, quæ frequenti influxione coagmentata, in manifestum tophum & calculum digitorum præsertim in articulis concrescit. Ea est arthritis nodosa, qua dissiliunt articuli, distorquentur, & pereunte motu incurue scunt. *Fernelius c.18. lib.6. Pathol.*

VII.

Hæc Fernelij de origine & via fluxionis arthritim facientis opinio, etsi non leuibus rationum momentis stipata videtur, à multis tamen priscæ doctrinæ sectatoribus improbatur. Sic enim Gorræus lib. 1. defin. medic. Fernelium redarguit: Non est quod obiiciat sanguinem non posse videri materiam arthritidis, quod in articulo collectus phlegmonem non excitet, quæ in pus vnquam conuerti visa sit: Neque enim necesse est omnem sanguinis affluxum phlegmonem concitare, nisi in musculum aut carnem fiat, nec potest effusus sanguis in pus mutari, nisi loci calore suppuratio iuuetur. Id quod in articulo membranoso, exangui, frigido contingere nequit. Vanum quoque est putare à pituita per venas in articulos influente non fieri arthritidem, quod per cachexiam pituitosus humor in crura & pedes decumbens, neque ischiadem, neque podagram efficiat. Nisi enim intra ipsius articulum humor descenderit, quantumuis per vniuersam carnem partesque circumpositas diffusus, arthritis non erit. Nec

Fernelij sententia oppugnatur à Gorræo.

illi assentior qui omnem eum humorem à capite ferri putat, & sub cute per summa corporis in extimas partes influere. Primum enim quis concedat à solo pericranio fluxionem fieri, cum apud medicos receptum sit, & axiomatis fidem habeat, robustas partes excrementa sua in debiliores deponere? Hæc autem depositio transmissioque fluxionis species quædam est. Deinde vero si demus (quod certe verissimum est) maximam fluxionum partem à cerebro descendere, quid opus est insuetum quoddam iter comminisci, spretis iis vasis, quibus ceu canalibus, fluxus & refluxus humorum natura fieri consueuere? Verisimilius mihi quidem videtur humorem in articulos non modo secundum membranas neruosque defluere, sed per venas etiam, perque arterias, per quas alimentum ad omnes partes peruenit, non minus vitiosi succi quam boni capaces, & plerumque eo refertas, quem in articulos eius copia aut mala qualitate irritatæ deponunt, si eum à se illi repellere nequeunt. Sic & Fernelij sententiam refellit Valetius exercitat. 63. in Holler. prax. Quod pericranium pars non sit transmittens à qua omnis fluxio fiat, hinc colligitur, quod reperiantur multi arthriticis doloribus grauiter afflictari, qui prius nec capitis grauitatem vllam, nec vllum perceperint dolorem: cum tamen ex Hippocrat. lib. de natur. hum. omnis pars transmittens, excipiensque laboret in omni humorum decubitu, suisque symptomatis se prodat. Præterea à pericranio in articulos per partes subcutaneas qui potest esse aditus? Probabilius est fluxionem in spinalem medullam fieri à cerebro, ex quo oritur. Et quid vetat, quo minus sanguis, qualiscunque sit in membranarum & cerebri venis, huiusque sinubus, per venas & arterias deuolui, deorsumque relabi possit, omneque fluxionis genus parere? Adhæc sententia est Hippocratis *sect. 4. l. 6. epid.* Cui intestinum dextra parte afficiebatur, arthriticus erat quietior: Postquam vero id curatum fuit, erat dolentior. Galenus in com. id fieri scripsit conuerso humorum impetu à colo intestino in articulos At humorem eiusmodi semper à pericranio decidere quis dixerit? Accedit huc, quod plerique obseruarunt, à diarrhæa intempestiue cohibita arthritidem nonnunquam subsequi. Qui Fernelij partes mordicus tenent, validas huic sententiæ machinas admotas putant, si soli capiti adhibitis remediis, tentatis frustra aliis, se forte arthritidem curasse

A Valetio.

profi-

profiteantur. Sed hoc minus verisimile. Statuamus ergo humorem morbificum magna ex parte ex capite, toto corpore, hepate, liene manare. Sic etiam D. Riolanum præceptorem olim meum, pro veteribus contra Fernelium aliquando disputantem audiui: Etsi non ignoro arthriticas fluxiones à capite sæpius incipere, quia arthritici fere destillationibus obnoxij sunt, cerebrum tamen semper mali fontem esse, illique perpetuo tanquam parti mittenti in curatione arthritidis succurrendum pernego. Nam vt mittam arthritidem aliquando fieri congestione, non est dubium ex suppressis mensibus, hæmorrhoidibus, aut solemni vacuatione nonnunquam originem habere. Siquidem ista si arte excitatæ, vel naturæ robore superuenerint, cessant arthritici dolores. Quinetiam si tempestiua missione sanguinis reuellatur fluxio, quia plenitudo antecedens causa per phlebotomiam imminuta est, disparet mox arthritis. Ergo non à parte vna semper, sed aliquando à toto incipit fluxio. Quod euidentius est cum longæ febres arthritide terminantur, materia febris in imbecilliores articulos excretricis robore deposita. Item authoritate, ratione & experientia constat, sæpe ex nephriticis fieri arthriticos, & contra, communi materia hinc illuc translata. Qua etiam causa colici dolores aliquando desinunt in arthriticos. Nec dubium est vitio & imbecillitate ventriculi cruditates generari quæ ad articulos transmittuntur. Ergo non semper ab exteriore cerebro incipit arthritica fluxio, sed aliquando à toto, vel ab alia parte, vt renibus, colo, ventriculo, vtero. Velim dicat Fernelius cur potius venæ iugulares deponunt in caluariam sua excrementa, quam cæteræ venæ in articulos imbecilliores? Arthritici insuper Fernelij consilio capiti cauteria admouerunt, ad intercipiendam fluxionem, quidam fœlici admodum successu, alii nullo profectu; quod facile persuadet aliquando, non semper fluxiones arthriticas à cerebro incipere. Præterea quæ necessitas nos cogit ad fatendum, perpetuo humorem à pericranio per partes externas in articulos destillare, cum à cerebro per interiores venas & arterias defluere magis consentaneum sit? cumque à cerebro descendentem per spinam multi arthritici sentiant? Probabile enim est intra tunicas tendonum per foramium nuchæ pituitam exudare, quæ per palatum aut nares expurgari debeat.

A Riolano.

VIII.

Fernelii sententia de sede arthritidis.

Vltima controuersia est de sede in quam fluxio decumbit: de qua sic sentit Fernelius c. 18. l. 6. path. Proxima continensque omnis arthritidis causa est non simplex vlla intemperies, sed humor præter naturam infixus & adhærens, qui sæpe tumore manifesto se prodit. Atque tametsi nonnunquã (vt iis qui primum incipiunt illa tentari) citra insignem tumorẽ dolor affligit, tenuis tamen ac paucus aliquis humor subest. Hic autem qui continens est doloris causa, nunquam aut admodum raro in id cauum ac spacium penetrat, quod inter ossium extrema interuenit, sed in vincula duntaxat atque in eas membranas quæ extrinsecus ossium extrema nectunt & ambiunt, atque etiam in tendones eo directos: hoc sane argumento, quod in nodosa tophaceave podagra atque chiragra, humor in calculum iam concretus, aperta ruptaue cute plerumque eruitur è digitorum articulis, vinculo integro ac illæso. Et in ischiade si noxius humor in coxendicis pixidem conditus esset, nec tam vehementem (quod vinculum obtusi sit sensus) nec tam latè diffusum dolorem inueheret. Sed Gorræus Fernelio arthritidem neganti à crudo humore per venas in articulos perueniente fieri, quod cruditas in cachexia è visceribus in pedes incumbens podagram non efficiat; iam respondit, nisi intra ipsum articulum humor descenderit, quamtumvis per vniuersam carnem partesque circumpositas diffusus sit, arthritim non futuram. Patet ergo (inquit) tum ex iis, tum ex ipso nominis etymo, *ipsum articulum* (quod Græci ἄρθρον vocant) arthritidis sedem esse, *quæ primum & per se in eo morbi genere laboret.* Quo tamen nomine, *non ipsum modo ossis, quod inseritur, caput*, nec alterius ossis κοτύλω intelligo, *sed & ligamenta & membranas* & tendones, & quicquid ad articuli structuram firmitatemque natura comparauit. Siquidem per arthritides eæ partes non sunt à morbo immunes, cum etiam in longius diffitas, vt musculos cutemque affectionis labes perueniat. Id quod vel magnitudine fluxionis contingit, quæ in loco proprie affecto contineri non potest: vel maiore externarum quam internarum partium imbecillitate. *Hæc Gorræus.*

Gorræi responsio.

Quod arthritis non fiat, nisi huc mort articulum obsidente.

Ergo fluxio quidem humorum est, non modo articuli cauitatem subeuntium, & eiusdem imbuentium vinculum, sed præterea superiectas

periectas membranas, neruos & tendones occupantium, quæ partes propter sensum eximium, vel calida intemperie, vel frigida, & solutione continui per distentionem à repletione facta, maxime infestantur. *Valetius.*

Siquidem connexio articulorum per diarthrosim, arthritidis sedes est, inter membranas, tendones & ligamenta, quæ à periostio oriuntur, & proinde sensum habent exquisitum. Vnde dolor vehementissimus excitatur, si qua materia illic intercipiatur, siue acrimonia, vt bilis: siue frigiditate, vt pituita: siue asperitate, vt gypsea: siue distensione membranarum & ligamentorum, aut inflammatione: oportet autem intra ipsum articulum contineri, antequam dicatur arthritis. Si enim vel sola intemperies adsit, vel humor diffusus per carnem, partesque circumiacentes, diuersa est affectio. Imo Galenus podagræ materiam contineri tantum vult in articulis & ligamentis quæ tenduntur, non neruis & tendonibus, quæ duntaxat ad tensionem aliorum contenduntur: argumento quod inde non fuit visa conuulsio. Fluxionē enim humoris suscipiunt, primum quidem loca articulationum, deinceps omnia ad cutem vsque circunstantia. Verisimile tamen non est materiam ad articulum confluentem imbibi, durissimis ligamentis non mollioribus neruis & tendinibus. Proinde Aëtius non solum distendi, sed permadescere scribit. *Hollerius.*

IX.

Quid nos de propositis controuersiis sentiamus.

Superest vt nostram de propositis controuersiis sententiam paucis aperiamus. Nos duplicem arthritidis fontem agnoscimus, cerebrū & hepar: viamque fluxionis à capite, quam non minus acute quam vere statuit Fernelius & humoris speciem admittimus: sed & varios humores ab hepate per venas in articulos influere, nedum in circumiacentes eorum partes, cum Galeno, cæteriſque prisci authoribus consentaneum iudicamus. A cerebro enim fieri fluxionem putamus, si capitis grauitas, externusque dolor, ac somnolentia præcesserint, cum frigoris, horroriſve sensu, tumoreque œdematoso in occipitio apparente: A iecore vero per venas, si repente articularis dolor siue horum symptomatum, præsentione, ægrotantem præhenderit, cum partis tumore, rubore, dolore, febricula, aliisque symptomatis subito obortis. Siquidem vel à rectrementis cerebri, vel à plenitudine & redundantia venarum fluxio fit in articulos, non aliter atque fluuiorum inundatio

Signa quibus arthritidem dignoscamus ortam à capite, ab hepate.

extra alueum ob frequentes pluuias accidit. Vbi autem superuacaneus humor intra pericranium & cutem copiosior cumulatus, ab externis iugularibus eo excrementa sua tenuia atque serosa deponentibus, per summa corporis sub cute deorsum decurrit; mali causa capiti ferenda est accepta; vbi vero venæ magnæ copia grauantur, quam continere non possunt, aut irritantur qualitate aliqua vitiosa, fluxionis origo ab hepate repetenda. Raro autem defluxio syncera est à venis, cum in his humores omnes contineantur, sæpius si à recrementis cerebri oriatur, humor syncerus est. Quamquam vero alii à capite materiam subter cutem per summa corporis in extima influere aiunt: alij negant, quod cum sit fluxionis species, partibus robustis ad imbecilliores sua excrementa transmittentibus, probabilius sit per venas & arterias eam fieri: hoc tamen vt verissimum est fluxione orta ab hepate, ita minus consentaneum, cum serosus humor ab externis capitis partibus deorsum sub cute delabitur. Sic enim oporteret materiam è venis egressam, rursus venas subire. Ab omnibus autem humoribus arthritidem fieri posse arbitramur, quod pro varietate humorum, variæ arthritidis differentiæ suis quæque signis distinctæ videantur, quarum discrimina manifeste deprehenduntur tum ex diuersa ægrotantium temperie, ætate, temporis constitutione, victus ratione, accæteris antecedentibus causis, diuersos in corpore humores procreantibus: tum ex colore, dolore, tumore aliisque symptomatis quæ vnum quemque humorem dominari indicant: tum à medicamentis quæ adhibentur, iuuantibus aut lædentibus. *Frambesarius, Hollerij, Rondeletij, Portui, & aliorum complurium huius temporis medicorum consensu.*

Vt ab hepate per vasa fluxionem fieri putamus: sic à capite negamus.

Cur à variis humoribus arthritidem fieri censeamus.

X.

Quibus notis dignoscatur arthritis sanguinea.

Siquidem arthritis sanguinea *iudicatur, si* bona temperies, ætas ἐπακμαστική, vernum tempus, proba victus ratio, eademque plenior, & aliæ causæ quæ sanguinis copiam in corpore generant, præcesserint: Si color faciei floridus, habitus carnosus, venarum tumor ac tensio, & cæteræ plenitudinis notæ adsint: vehemens calor, insignis rubor, dolor pulsatorius, tumor renitens, & alia id genus in affectis partibus conspiciantur signa: Si denique laborans oblectetur frigidis, ac offendatur calidis.

Nota arthritidis biliosa.

Biliosa vero dignoscitur & ex causis flauæ bilis copiam exaggerantibus, nempe è temperamento ægrotantis calido & sicco, ætate florida,

rida, æstiuo tempore, sicca cæli constitutione, victus ratione calidiore & tenuiore, immoderatis exercitationibus: & signis flauæ bilis dominantis, vt subflauo cutis colore, habitu sicco & macilento, pilis subflauis, venis amplis, magna corporis inquietudine, vigiliis, exacerbationibus tertianis, cum febre, pulsu veloci & frequenti, siti, vriua flaua, flammea & sine sedimento, vomitione, deiectioneque bilioſa, & aliis id genus. Præterea vehementi ardore, nullo tumore manifesto, colore pallido aut citrino, qui pressu subterfugit, mox redit, & dolore acri & mordicante, qui & calfacientibus adhibitis excandescit, & refrigerantibus remittitur.

Signa arthritidis in atra bile.

Melancholicam (quamuis raro contingat) primum arguunt causæ atram bilem in corpore procreantes, temperamentum siccum, & calidum quidem ἀπ' ἀρχῆς, ὑπ μεταπτώσεως autem frigidum, ætas inclinans, autumnale tempus, praua victus ratio antegressa, vitæ conditio tristis, multis curis, vigiliis, literarum studiis, variisque negotiis implicita, nulla interposita animi hilaritate: deinde propriæ eius notæ, color plumbeus, frigoris sensus, dolor profundus scalpelli perforantis instar, ac exacerbationes quartanæ.

Signa pituitosa fluxionis.

Pituitosam arthritidem testantur temperamentum frigidum & humidum, ætas senilis, tempus hybernum, humida cæli constitutio, victus ratio frigidior & humidior, crapula & ingluuies, vita sedentaria, somnus longior, & cæteræ causæ pituitæ prouentum facientes. Adhæc color albidus, tumor œdematosus, dolor mediocris ac fere nullus, quotidianæ exacerbationes, & similia pituitæ dominantis indicia. Calida insuper adhibita, ægrotantem iuuantia, frigida vero lædentia. *Frambesarius ex Gal. Trall. Paul. Aët. Altom. Holl. &c.*

DISTIN-

DISTINCTIO II.

De Arthritidis prognosi.

CANON. I.

Quid ad arthritidis præcautionem præsagiendum: quid ante curationē.

VT arceatur arthritis, quando & quos sæpius inuadat, quibusque nunquam vel raro contingat, prospiciendum. Antequam vero curanda suscipiatur, sitne sanabilis, an insanabilis; soluru facilis, an cōtumax; salutaris, an lethalis; breuis an chronica futura, prouidendum. *Frambesarius.*

II.

Quando arthritis prahendat.

Τὰ ποδαγρικὰ τῷ ἦρος καὶ τῷ φθινοπώρῳ κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Podagrici dolores vere & autumno potissimum cientur. Hipp. aph 55. l. 6. quod illius tepore fusa delitescens in corpore materia, ante per hyemē cumulata, ab intimis partibus validioribus, ad extimas imbecilliores detrudatur: huius vero inæqualitate, cacochymia per æstatem καὶ τὸ ὀπώρην, tempore quo fructus maturantur coacernata, ad imbecilliores partes facile decumbat. Ex Gal. & Philotheo. Nonnumquam tamen & media hyeme, frigoris inclementia debilitatis neruis, & expressis humoribus vitiosis, interdum & media æstate iisdem liquatis, dilatatisque meatibus arthritides inuadunt. Denique quauis anni parte, & cæli conditione, si qui his obnoxij sunt, genio indulgeant, & pro animi sui libidine omnia agant. Arthritici tempestates, procellas, pluuias, niues, ventos, omnesque aëris mutationes præsentiunt. Austrina enim, verbi gratia, cæli constitutio, quia corpora humiditatibus replet, humoresque in corporibus resides exagitat, ideo fluxiones concitat in partes imbecilliores, cuiusmodi sunt articuli, tum natura, quia exangues, & excarnes, tum ex euentu, quia doloribus à multo tempore vexari soliti. Itaque vdo cælo dolores illis exacerbantur. Quamobrem arthritici morbi periodos habent, & paroxysmos varios, pro humoris conditione. Illi siquidem, etiamsi homo iam liberatus videatur, facile recurrere solent. *Ex Par.*

III.

Quos sæpius inuadat.

Diuites qui regifico luxu instructis epulis vescuntur, & interim otiosi sunt, crebrius sæuiusque arthritide tentantur, quam pauperes qui parce ac duriter viuunt. Itaque visi sunt eiusmodi diuitum non pauci,

pauci, qui rebus omnibus absumptis, cum fortuna & diæta valetudinis mutationem subierunt, & arthritico morbo plane liberati sunt. *Ex par.* Hiuc Græcis dicitur μισόπλωχος, odio habens pauperes, quia tenuiter & parce viuendo, labore & exercitio arthritidem fugant. *Riol.*

IV.

Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ παῖδες πρὸ ἀφροδισιασμοῦ, οὐδὲ γυναῖκες, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇσι ἐκλείπῃ. Eunuchi neque podagra laborant, neque pueri ante veneris vsum, neque mulieres, nisi menstrua defecerint. Hippocr. aphor. 28. 29. 30. l. 6. Modo temperanter viuant. Olim quippe eunuchi, nec desides, nec luxurioſi, moderataque victus ratione contenti, reginis inseruientes, podagra nunquam tentabantur, sed hodie plerique visuntur podagrici, quia ocio & delitiis diffluunt. Adeo vt nihil mirum, si hac tempestate inertes, ingluuiei, ebrietatique incumbentes, etiam sine veneris vsu arthritide corripiantur. Adde quod nonnulli à parentibus vitium contraxerint. Ante coitum quoque pueri, nisi forte intemperantem victum coaceruata ex multis cruditatibus cacochimia in articulos natura imbecillos irruat, arthritidem nunquam experiuntur. At cum ad pubertatem peruenerunt, naturalis est motus seminis. Hinc corpus rarescit & relaxatur. Accedente venere concussio & concalfactio articulorum. Vnde fusa materia eo celerius decumbit. Si facile prænduntur arthritide. Vt igitur castratorum, ita & puerorum exemplo constat, quod magnam vim habeat ad arthritidis generationem veneris vsus. Nec etiam mulieres, si frugaliter viuant, podagra inuadit, ratione euacuationis menstruæ. Nec enim ex sola partium εὐπαθείᾳ, citra humorum πλεονάσιαν podagra creari potest. Hinc ætate Hippocratis nullæ extabant podagricæ mulieres, quia omnia tum frugalem vitam degebant: sed nostro tempore ob delicta in victus ratione admissa, plures arthritide laborant, antequam menstrua defecerint. Quamobrem Seneca inuehitur in mulieres quæ per luxum, Hippocratem mendacem fecerint. *Frambesarius, ex Galeno, Philotheo, Hollerio, &c.*

Quib. nunquam, vel raro contingat.

V.

Iuuenes ab arthritide vindicari possunt, modo nec inueterata, nec altissimis iam defixa sit radicibus. At senes prorsus nequeunt, quia sanguinis

Quibus sanabilis & insanabilis.

guinis ipsorum massa à naturæ primaria bonitate sic desciuit, vt non magis restitui possit, quam vinum vappidum & acidum. Quibus est hæreditaria arthritis vix vnquam plane liberantur: quemadmodum nec quibus nodosa euasit: illis enim connatum est & vitæ principiis insitum, infixumque malum: his vero gypsea materia facta est, adeoque nec resolui, nec maturari habilis. Ex Par. Vbi enim humor crudus in articulis diutius moram traxerit, non solum crassior, sed & viscosior redditur. vnde generantur tophi, quos πώρους Græci vocant. Postquam vero fuerint producti, haudquaquam sperandum est ad pristinam constitutionem exacte articulum redire posse. Galen. c.2. l.10.de comp.ph.sec.loc. Hinc illud scitum est ex Ouidio. *Tollere nudosam nescit medicina podagram.*

At quibus hæreditarius est hic morbus, non magis ex eo conualescere possunt, quam quibus in nodos morbi materia concreuit. *Par.*

Si tamen arceri humorum πλεονασία possit, haudquaquam malum insanabile putandum, quamuis εὐπαθεία ab ortu sit ex parentum semine contracta: cum præsertim duarum causarum neutra seorsum arthritim excitare queat, sed necessarius ambarum concursus. Necesse est enim pedes natura esse imbecilliores, si quis podagra corripi debeat. Non tamen omnino necessarium podagram pati, si nihil in victu deliquerit. Aperte autem disces quod insita partis imbecillitas ad gignendam affectionem non sufficiat, ex intermedio tempore accessionum, in quo prorsus non infestantur, quanuis natiua imbecillitas continua sit. In podagricis etiam manifestissime apparet, quod influente aliquo ad pedes humore superfluo, generetur affectio. Si nunquam igitur, hic humor influeret, constat quod nunquam affectio accideret. Non influet autem, si semper * ἀπερίττωμα corpus extiterit. Quod continget, si mediocri vtatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit. Vnde & desidiæ & crapulæ eis nocent. Nocet & generosi vini potus immoderatior. Neruosam enim substantiam promptissime offendit, sicut & coitus. *Galenus com. in aph.* 28. l. 6.

* *i. vacans superfluitatibus.*

VI.

Cur videatur curatu difficilis.

Podagra ex multis diuersisque causis originem trahit. Vnde meo iudicio propter generationis varietatem, neq; internosci probe, neq; absolutam curationem consequi potuit. Hac autem ex re morbus molestam

leſtam triſtemque de ſe opinionem acquiſiuit, nempe quod nequaquam arte medica curari poſſit. At ego aſſeuero, quod ſi & differentiæ & ſpecies ipſius, quot & quales exiſtant, probe internoſcantur, facilem curatu medicis. *Trall. c. 1. l. 11.* *Qui curatu facilis.*

Coxarum ingens dolor eſſe conſueuit, iſque hominem ſæpe debilitat, & quoſdam non dimittit. Eoque id genus difficillime curatur, quod fere poſt longos morbos vis peſtifera huc ſe inclinat, quæ vt illas partes liberat, ſic hanc ipſam quoque affectam præhendit. *Celſus c. 22. l. 4.* *Cur iſchiadis curatio difficillima.*

VII.

Si præter rationem, ſua & ſolita periodo arthritici dolores non moueantur & redeant; ſæuiſſimorum & læthalium morborum conſequutio inde fit. Materia enim in articulos decurrere ſolita, ſi in iecoris ſubſtantiam irruat, phlegmonem parit: ſi in maioribus venis conſiſtat, febrem continuam: ſi in membranam coſtas ſuccingentem, pleuritidem: ſi ad inteſtina ſe applicet, eorumque tunicis adhæreſcat, colicum dolorem, aut ileum: alia denique varia ſymptomata pro partis in quam ingruerit, & conſtiterit conditione facit. Sic enim quidam arthritici fiunt paralytici, quia materia quæ ante in articulos decurrebat, in neruorum ſubſtantia & poris conſiſtit. impeditque quo minus ſpiritus tota ſubſtantia per ipſos ſubire poſſit. Hinc ergo partis in quam inſeritur neruus reſolutio. *Par.* *Qui arthritis inueterata ſi præter rationē ſlata periodo non repetat, lethalis.* *Qui mutetur in paralyſim.*

VIII.

Arthritici dolores inter grauiſſimos & acutiſſimos habentur: adeo vt cruciatus acerbitate multi mente moueantur, & mortem optent. At inter dolores omnes arthriticos, iſchiadicus principatum obtinet, cruciatus magnitudine, & ſymptomatum multitudine. Ideo autem dolor acerbiſſimus eſt, ſymptomataque omnium vehementiſſima excitat, quod iſchij cum femoris capite dearticulatio reliquis profundior ſit: quod humor qui eum committit pituitoſus fere copioſior, craſſior, & viſcidior, huic dearticulationi impactus ſit: quod iſchias diuturni fere alicuius morbi ſucceſſione veniat per materiæ malignæ, & longo morbi primigenij decurſu corruptæ eo loci translationem & decubitum: quod denique dolor non modo iſchion exerceat, ſed & profundius ſubiens ad natium muſculos, inguina, genua, *Quam acerbū maximum ſit arthritis.* *Cur iſchias longe atrociſſima.*

extremoſque digitorum pedis articulos protendatur, imo ſæpe in lumborum vertebris ſui ſenſum excitet ægro permoleſtum, adeo vt ipſi, quandoque etiam medicis colicæ flatuoſæ, aut calculoſæ opinionem fecerit. Cuius tam vagiat ſparſi doloris cauſa eſt à multiplici neruorum qui à lumbis & oſſe ſacro ad eam dearticulationem veniunt diſtributione repetenda. Simul enim in natium muſculos, crus totum, extremoſque pedis digitos diffunduntur. Ideo late dolor expanditur, quocumque nimirum ab affecta coxendice deductus neruus pertingit. Hinc iactationem, vigilias & febrem infert; ac ſi diutius perſeueret, luxationem immedicabilem, claudicationem perpetuam, totius cruris emaciationem tandem inducit. Anno 1586. menſe Auguſto, nobilis adoleſcens, Iacobus Braleonius Moncelli dominus, Picardia Lutetiam profectus, apud generoſam Alamæ dominam in conſilium me vocauit, cum quatuor celeberrimis Medicis, DD. Palmario, Mareſcotio, Akakia, Petreio, ac totidem Chirurgis, Pareo, Denodo, Pinello, Ballieo, ad deliberandum, vtrum coxa ſibi à diuturno dolore iſchidiaco, iam per quatuor menſes prolapſa, moleſtam claudicationem, & cruris tabem inferens, in priſtinam ſedem artis præſidio reſtitui poſſit, nec ne. Sed cum temporis tractu caput femoris in vicino loco nouum ſibi ſinum attritu excauauerit, qui adeo tandem occaluerit, vt ſine ſcipione incedere æger poſſit, citra vllum doloris ſenſum: nulla nobis viſa eſt luxationis reponendæ ſpes reliqua. Quamobrem communi omnium ſententia decretum eſt, nequaquam elocati oſſis reductionem tentandam eſſe, quod os omnino reſtitui nequeat niſi ſummo cum labore, ac quantumlibet repoſitum fuerit, denuo ſtatim relapſurum. Quin potius corroborando articulo incumbendum omnino, quo modo firmius poſſit incedere. *Frambeſarius.*

Vt multa inuehat ſymptomata longe grauiſſima.

Luxatio à diuturna iſchiade inſanabilis adſtruitur, hiſtoria nobilis adoleſcentis.

IX.

Qui luxatio à chronica iſchiade fiat.

Οκόσοισιν ἐκ τοῦ ἰσχιάδος ἐνοχλεμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τούτοισι μύξαι ἀπογίνονται. Quibus à diuturno coxendicum dolore vexatis coxa cauitate ſua excidit, denuoque recidit, iis mucores in ea ſuperueniunt. *Hipp. aph. 59. l. 6.* Sæpe enim in articulis humor aceruatur pituitoſus, quem mucorem appellant: à quo madefacta articu-

articulationis ligamenta, laxiora reddantur, ideoque facile à cauitate articulus semel atque iterum prolabitur, quę nunc ischiadicis accidere perhibet. *Galenus in com.* Siquidem non raro excrementitius humor tanta vi in dearticulationis cauitatem quasi impetu quodam incurrit, vt relaxatis ligamentis, tum proprio, tum communibus caput ossis femoris hinc facile depellat, nunquam restituendum, si paulo diutius abfuerit: quia interim in illam cauitatem illapsus humor, mora, velut in lapideum quid concrescit, femoris vero ille articulus in vicino osse nouam sibi cauitatem attriuit, veræque cauitatis labra quæ cartilaginea sunt, strictiora & depressiora euaserunt, ligamentalia denique omnia corpuscula humore excrementitio proluta, laxiora, longiora & infirmiora facta sunt: ex quo symptomatum multorum & grauissimorum consequutio: nempe clauditatis, maciei non femoris modo ac cruris, sed & totius tandem corporis, febris denique lentæ, & hecticæ, quæ longa tabe ægrum consumit.

Cur ab ischiade clauditas & emaciatio.

Clauditas vero & emaciatio ex eo veniunt, quod decurrens humor caput femoris ischij cauitate depulit: depulsum id comprimit musculos, venas, arterias, & insignem illum crassumque neruum, qui secundum femur ad extremos digitorum articulos defertur, & in ipsa via per musculos totius cruris varie dispergitur. Ergo quia caput femoris suo loco motum est, claudicare æger cogitur, quia vasa & nerui cõprimuntur, alimentum spiritusque non libere influunt, in subiectas partes, vnde emaciatio. Fit tamen non raro vt femoris capite minime elocato, plerique claudicent, quia qui à natura eo loci insitus est, & quotidie affluit humor viscidus, tum ad earum partium nutritionem, tum ad lubricandam dearticulationem, expeditioris motus gratia, calore & otio induratur, reliqui vero inutiles qui influxerunt humores concrescunt, ficque mouendi libertatem intercipiunt. Idem facit humor crassus ac viscidus in quemcumque articulum inciderit, & moram fecerit: concretione enim in gypseam naturam, versus pedum manumque articulos cauitatibus ipsorum occupatis deiicit, totiusque partis figuram corrumpit, pro recta & plana, curuam, nodisque multiplicibus tuberosam reddens. Intemperies præterea omnis, quem humorum facit decubitus, si diutius parti alicui insederit, actiones omnes deprauat, sæpe & abolet omnino, vt emaciationis artuum ab arthritide tres sint causæ, vasorũ obstructio seu compressio, ignauia & intem-

Cur femoris articulo non elocato, clauditas aliquàdo continuat.

peries hectica: clauditatis vero duplex, luxatio, & insiti aduenæque humoris concretio. *Par.*

X.

Qui breuior, quisq; longior sit arthritidis terminus.

Quæ à materia calida est arthritis non ante decimum quartum, aut etiam vicesimum diem quiescit. Quæ vero è materia frigida, vt nõ tam sæuos cruciatus infert, sic nec tam cito sanatur. Calidus quippe humor quia tenuis, promptius dissoluitur, frigidus quia crassior, tardius. Quamobrem frigida arthritis non fere conquiescit, nisi exacto quadragesimo die. Quin & partis obsessæ substantia quo densior est, & expultrix imbecillior, eo dolor diuturnior. Hinc qui genu, calcem & ischion occupant arthritici dolores sunt contumaciores. *Ex Par.*

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήνανται ἐν τεσσαρεσκοντα ἡμέρῃσιν ἀποκαθίσατῃ. Podagrici morbi intra quadraginta dies, sedata inflammatione finiunt. *Hipp. aph.* 49. *l.* 6. Podagricorum phlegmonæ fiunt fluxione ad articulos pedum decumbente. Hanc autem fluxionem suscipiunt primum quidem loca articulationem, deinceps circumstantia omnia vsque ad cutem. Quia vero implentur articulationes, liquet etiam necessarium esse quæ ipsis circumiacent ligamenta extendi. Nec enim rationi consentaneum est neruos & tendones in ipsis inflammari, sed tantum dolere, quia simul cum articulationibus extenduntur, argumento, quod podagricus nunquam visus sit pati conuulsionem, quæ in neruorum tendonumque inflammationibus frequenter accidere solet. Verum curationis in eis scopus communis est omnibus inflammatione laborantibus. Nam discutiatur oportet id quod ad pedes fluxit, si quidem tenuiorem habuerit substantiã, tempore breuiore: si vero crassam vel tenacem, longiore: longius adhuc multo tempus requirit, si simul crassum atque tenax illud quod defluxit, existat. Vltra tamen spatium dierum quadraginta non prorogabitur inflammationis curatio, τῆτ' ἰατελῆ ωεφάῆοντος ὀρθῶς ἅπαντα, ϗ τῆ κάμνοντος ἐυπαθῆς ὑπάρχοντος, si & medicus in suo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Quæ vero carnosas partes occupat inflammatio, morborum acutorum subiicitur termino, diebus scilicet quatuordecim, quoniam carnis substantia mollior est ac rarior ligamentis. Vnde & tardius inflammati incipit natura ligamentorum, tendonum atque neruorum, quum vulnerata fuerit, & longiori tempore

pore ad phlegmones consistentiam peruenit, tardiusque sanatur. Cum enim huiusmodi partes vix aliquid in se humoris externi suscipiant, quod durae sint atque densae, eadem ratione cum difficultate dimittũt. Quapropter Hippocrates podagricis inflammationibus terminum integrae solutionis non diem quartumdecimum, sed quadragesimum posuit, quia qui articulationibus impacti sunt humores, per ligamenta ipsas amplexantia oportet ἀτμοειδῶς per modum vaporis euacuari, quemadmodum & qui ipsa proluunt vincula. Meminit autem & in Prognostico quadragesimi diei, vt in quo iudicantur quaecumque non sunt exquisite diuturna, & acutorum terminum exciderunt. *Galenus in com.*

DISTINCTIO III.

De Arthritidis therapia.

CANON I.

ARthritidis vt & cuiuslibet periodici morbi cura duplex, vna intermissionis, altera exacerbationis tempore adhibenda. Illa Graecis προφυλακή nobis praecautio, haec θεραπεία, id est curatio proprie dicitur. Vtraque in causarum morbificarum aphaeresi consistit: sed id discriminis interest, quod ad praecautionem rescindendae sint causae morbum breui excitaturae: ad curationem vero quae iam eum procreant. Quocirca ingruentis mali fœtura prophylacticis remediis intercipienda, praesentis vero doloris causa therapeuticis profligenda. *Frambesarius.* *Quotuplex arthritidis cura.*

II.

Cum duae ad arthritidis genesim causae concurrant, chymôn pleonexia, & arthron asthenia, duplex medendi scopus proponitur, peccantium humorum euacuatio, & infirmorum articulorum corroboratio. Iidem vero praecautionis, qui curationis scopi sunt, nisi quod in illa humoris in toto corpore redundantis tantum: in hac eius insuper qui affectae parti impactus est vacuandi habenda ratio. Quo fit vt duplex euacuatio ad arthritidem curandam necessaria videatur, vna vniuersalis, altera particularis. Et quoniam duplex in toto corpore pleonexia articularem morbum creare potest, plethora & cacochymia, *Quotuplex medendi scopus.*

duplex

duplex quoque vniuerſalis euacuatio auxilio eſt, ſanguinis miſſio, & purgatio, quæ iterum pro vitioſi humoris differentia, multiplex exiſtit, adeo vt pro πλεονεξίας varietate, varia ſit molienda κένωσις. *Frambeſarius.*

III.

Quibus remedijs propoſitos medendi ſcopos conſequamur.

Remedia quibus propoſitos medendi ſcopos conſequimur, vel vniuerſalia ſunt, vt diæta, phlebotomia & cathartica pharmaca: vel topica, vt apocraſtica, diaphoretica, paregorica, ſtyptica: in quorum omnium vſu habenda ratio cauſarum ex quibus fit articularis morbus, tēperiei corporum quæ affligit, partium quibus inſidet, & earum vnde venit. Vt enim hæc haud ſemper ſimilia ſunt, ſic nec vnum in omni arthritide & ſimile remedium eſſe poteſt. Primum enim quæ ex materia calida fit, alia præſidia poſtulat, quam quæ ex frigida. Nec eadem bilioſo, atque pituitoſo corpori quadrant auxilia. Nec talia imbecillo, qualia robuſto ſunt exhibenda. Nec eadem iſchiadi atque podagræ imponenda topica. Arthritica fluxio quæ à cerebro manat, alia admittit ξοηθήματα, quam quæ à iecore ducit originem. Alia inſuper morbi initio, alia incremento, alia incremento, alia aliis temporibus remedia conueniunt. *Frambeſarius ex dogmatic. medic. decretis.*

IV.

Qualis dieta arthritici inſtituenda.

Victus ratio inſtituenda, humoribus in corpore luxuriantibus contraria, vtpote bilioſis refrigerans & humectans: pituitoſis vero calfaciens & exſiccans. Perpetuo autem cibi eligantur boni ſucci & coctu faciles, elixi quidem bilioſis, toſti vero pituitoſis. Vt ciborum varietas, ſic leguminum, fructuum, eorumq; omnium quæ difficillime concoquuntur, & facile corrumpuntur vſus vitari debet. Salſa, aromatica, & acria omnia, vt allium, cæpa, ſinapi, naſturtium, bilioſis quidem nocentiſſima; pituitoſis vero non item, quia concoctionem adiuuant, ſuperuacaneoſque humores abſumunt. Noui ruſticum quendam Damaticum, nomine Girardum Probum, ſexagenarium, natura pituitoſum, iam per multos annos arthritide grauiter diuexatum, ſolo vſu: lij ſingulis matutinis per annum integrum ieiuno ſtomacho catapotii formā deuorati, tandem articulari morbo defunctum. Paſto ſemel corpore, non ante ad cibum redeundum eſt, quam prioris perfecta ſit in ventriculo concoctio, ne iecur cruda adhuc cogatur per venas meſaraicas attra-

attrahere, vel pulſa potius excipere. Vnde nutritionis per vniuerſum corpus deprauatio. Primæ enim coctionis vitium ſequentes non emendant. Quocirca non accumbendum menſæ, niſi vrgente fame, inde ſurgendum antequam ſatietas venerit. Nec tamen par fames omnibus arthriticis imperanda. Bilioſi enim quia multo & multum abſumente calore præditi ſunt, copioſioribus alimentis ſunt reficiendi. Fames enim bilem acuit, itaque dolores exacerbat. Pituitoſi, quia calore ſunt non ita vegeto, ſuumque velut ſecum circumferunt alimentum, nec multis nec humidis cibis ſunt alendi. Vinum ſi præſertim calida ſit arthritidis materia, vel omnino non deguſtabit æger, vel certe quam dilutiſſimum, quantum ſcilicet conſuetudo, & ventriculi conſtitutio ferre poterit. Venus immodica ſummopere vitanda. Nullum quippe ad arthritidis tum præcautionem, tum curationem præſtantius auxilium, vini & veneris abſtinentia. Illud enim calore & vapore ſuo noxiam vim habet proritandi fluxiones, & dolores exaſperandi: hæc vero ſpirituum & caloris natiui facit diſſipationem, atque caloris peregrini incrementum, ex quibus contingit vt neruoſum genus infirmatur, dolor vero exacerbetur. Quanquam arthriticorum plerique venerem, in ipſa doloris acerbitate appetunt, quia internus ardor quo tunc æſtuant, haud equidem in ſpiritus & auras digerit, vt calor febrilis, ſed fundit liquatq; ſeminalem humorem, fuſus autem ad genitalia deſcendit, & ipſa implet, inflatque. Qui ab arthritide caueri velit, diligenter ſe exercere debet, & impiger eſſe ad labores. Vt enim otium cruditates multas, & inde ſuperuacaneos humores gignens, arthritidi materiam ſuggerit: ſic exercitium calorem inſitum ſuſcitans, coctionem iuuat, excrementaque abſumit, vnde malo materiam ſubtrahit, Somnus item longior atque diurnus omnino fugiendus. Animi perturbationes vitandæ, omneſque negotioſæ cogitationes circumcidendæ. *Frambeſarius ex Alexand. Paul. Par. &c.*

V.

Quoniam Vere & Autumno arthritis periodice redire conſueuit, illis potiſſimum temporibus ſubtrahenda malo materia, venæ ſectione, ſi ſanguis in corpore exuperet, vel purgatione, ſi alius quilibet humor vitium fecerit. Sic & ad ineundam morbi curationem, humoris affligere reperti euacuatio molienda, ſi quidem plethoricum corpus *Quando & quib. phlebotomia, vel purgatio vtilis ad præcau-*

tionem, ad curationē. fuerit, phlebotomia, sin cacochymum, catharsi. *Ex Galeno.* In quibus enim sanguineus humor redundat, administranda protinus phlebotomia, ac non in his solum, sed etiam in pituitosioribus, aut melancholicis. Siquidem in his quoque succus venis plurima parte continetur, qui copia sua potius quam qualitate offendit. Statim igitur, κατὰ τὴν πρώτην τῦ νοσήματος κατάπειραν, cum quis morbum experiri primum cæperit, sanguinis missio erit tentanda. Nam quos iam fluxio frequenter infestarit, ij plus inde noxæ, quam auxilij sentiunt, præsertim quibus corpus est natura frigidius aut etiam imbecillius. Post sanguinem detractum, nisi solus ille superauerit, momento temporis interposito, etiam purgationem moliemur. *Paulus, c. 78. l. 3.*

Quibus noxia.

At si humor qui articulis *influit*, bilios*us* appareat, liquet sanguinis vacuationem adhibendam non esse, sed pharmaco potius cholagogo vtendum. *Alexand. lib.* II. Vbi tamen bilis defluens, sanguini permista fuerit, non erit absonum reuulsionis gratia in principio ante purgationem parca manu sanguinem ducere. Postea enim tutius purgans medicamentum exhibetur. *Altomarius c.* 119. Catharsis etiam quanuis sæpe sit necessaria, crebrius tamen repetita, nocet, quin neq; vtrumq; id remedium admodum vtile esse solet, his qui in cibo & potu nullam legem tenent, qui venere vtuntur intemperantius, quibus crudorum & contumac um humorum copia adest: quorum articuli diuturna morbi afflictione, hecticam contraxerũt intemperiem, & debilitatem, sic vt à naturali constitutione sua desciuerint, & propriæ substantiæ magnam mutationem subiuerint. Sæpe enim his plus diæta, quam manu, & medicamentis proficitur. *Par.*

Quib. diæta plus proficitur, quã alterutro remedio.

VI.

Qua vena in arthritide secanda. Secanda in arthritide vena è directo partis laborantis, vt eadẽ opera reuulsio fiat & vacuatio: vt si partes superiores inflammatæ sint, mittetur sanguis ex inferioribus, si contra inferiores ex superioribus, seruata semper fibrarum rectitudine. Sic brachio dextro arthritica inflammatione obsesso, aperietur sapheia cruris dextri. Manu autem sinistra, malleoli sinistri vena. Pede vel ischio laborante, diuidenda brachij vena, siquidem fluxio est à capite cephalica; si à iecore, basilica; si hæc non appareat, media. Si dextrum brachium, dextrum item crus laboret, è sinistris partibus vena secanda est. Si vero in omnia

mem-

membra dolor ſparſus ſit, ex eo quod minus laborat. Quod ſi vniuerſali hac ſanguinis detractione permiſſa, dolor non quieuerit, tum proxima dolori vena pertundenda. Sic ad ſedandum inflammatorium iſchiadis dolorē, nullum præſentius remedium ſanguinis miſſione, primum è baſilica lateris dolentis facta, reuulſionis ergo: deinde vacuationis materiæ coniunctæ gratia è vena iſchiadica, quæ eſt ad malleolum externum, nempe ſi coxendicis dolor magis extrorſum vergat: aut ſapheia quæ ad internum malleolum exiſtit, ſi interiora magis doleant. *Frambeſarius ex Aetio, Holler. Rondelet. Par. &c.*

VII.

Purgatio medicamentis vacuandæ luxurianti cacochymiæ accō- *Quæ purmodatis, vt bilioſæ cholagogis, pituitoſæ phlegmagogis, melancholi- gatio arcæ melanogogis molienda eſt. Sed ad arthritidis quidem præcautio- thriticis*
nem blandioribus, ad curationem vero valentioribus vtendum. Cum *imperan-*
enim præcauendi conſilium eſt, cathartica materiam venis, non articu- *da.*
lis contentam vehementer attrahentia, nequaquam neotericorum *ad cautio-*
medicorum more vſurpanda, quia hæc tum exagitant humores, adeo *nem.*
vt ad articulos imbecilliores facilius defluant. Quin potius eligen- *ad cura-*
da quæ neque calida, neque valde tenuia ſunt, ſed quæ adſtrictionem *tionem.*
aliquam in partibus relinquunt, qualia ſunt inter ſimplicia rhabarbarum, & myrobalani: ex confectionibus catapotia quæ ex agarico ſine gummis, & quæ ex turpeto cum myrobalanis componuntur, & quæcumque myrobalanos recipiunt. Et eccoprotica, ex catholico, caſſia, tamarindis, ſyrupo roſarum pallidarum, addito rheo, vel ſimilibus. Quare illa catapotia vitare oportet, quæ lachrymas & ſemina aperientia multa recipiunt, vt fœtida, arthritica, hermodactylea, elephangina. Talia enim dari debent cum partes morbificis humoribus obſeſſæ ſunt, vbi iam conſtitit fluxio. Alio tempore concitant & commouent, quo fit vt frequentiſſime videantur qui arthritidi obnoxii ſunt, ab horum medicamentorum vſu, articularibus doloribus ſtatim prehendi. *Frambeſarius, ex Rondeletio.*

Cum vero contingit vt corpore humorum craſſorum & viſcido- *ad febrin*
rum ſarcina onerato, portionem eius aliquam natura excretrix in ar- *profligaticulos deponat, reliquam vero in viſceris alicuius cauo relinquat, vbi tionem.*
obſtructionem & putredinē faciens, febrem mox accendat: intermit-

tentem quidem si pauca ea sit, & minores tantum habituſque venas infarciat; continuam vero si multa, & maioribus vasis contineatur: tum ad febris profligationem, aluus blando pharmaco quamprimú subducenda, deinde misso sanguine validiori cathartico natura molesto humorum onere expedienda. Validius quippe id oportet esse cathartícum, quia si debilius sit, humores quidem concitabit; sed citatos non deturbabit: citati vero in dolentes & debiles articulos irruent, & arthritidis incrementum facient. *Ex Par.*

Sunt qui in omnibus arthriticis doloribus purgatione ex hermodactylis aluum sollicitant, sed attendendum est, quoniam hermodactyli stomacho facessunt negotium, anxietatem, & cibi fastidium mouent. Quapropter in his vti consilium est, qui obeundarum actionum necessitatem habent. etenim breui post duos plurimum dies defluxionem ex toto finiunt, sic vt consuetis muniis obeundis sint idonei. Sed quia sunt κακοστόμαχοι postea τοῖς εὐστομάχοις τε καὶ τονωλικοῖς, *id est*, iis quæ stomachum confirmant, viresque eius recolligunt, mediocri calfactione os ventriculi corrigere oportet, *Ægineta*. Græcis & Arabibus pilulæ sunt ex hermodactylis paratæ in officinis, maiores in causa frigida, minores in causa calida, quæ etsi magnopere commendantur, suspectæ tamen sunt, nisi in robustis corporibus quod hermodactylorum substantia ventriculo sit infesta. Adde quod veris careamus hermodactylis, adeo vt eorum loco κολχικὸν supponatur, quod in cibo sumptum, authore Dioscoride fungorum modo enecat. *Ex Matthiolo, Altomario, Holler. Valet.*

Porro non modo quæ per aluum, sed & quæ per vomitum fit purgatio, arthriticis auxiliatur. Veteres quippe omnes in huius morbi tum præcautione, tum curatione vomitum valde commendarunt, quando præsertim à cerebro & ventriculo veniret materia, quia vomitu fit excluſio & diuersio humorum pituitosorum, sereſorum & biliosorum, quibus vt plurimum ad articulos excursus est: necnon & eius pituitæ quæ crassior & viscidior ventriculi tunicis adhæret attenuatio. Videndum tamen ne thoracę & cerebro debilioribus sit æger. Nã in hoc casu suspectus vomitus esse solet. Quod ad tempus attinet, his ante pastum vomendum est, quibus quauis ex occasione exercitio & motu excrementitij humores in ventriculum diffluunt: contra qui veteri humorum congestione grauantur, hi post pastum vomere debent.

bent. Certe paſtis quam ieiunis tutior eſt vomitus. Siccus enim ventriculus non niſi magna & prægrandi contentione expedit ſe viſcidis humoribus tunicis ſuis impactis. Hinc vero periculum non leue imminet ruptionis venæ aut arteriæ in thorace, aut pulmonibus: ſi præſertim thorax anguſtior ſit, & longa proceraque ceruix, ſi frigus viget, & æger tali vacuationi non aſſueuerit. *Par. ex veterum dogmate.*

Vomitus magis vtique iſchiadicis opitulantur, quam euacuationes infernæ per ventrem, vt qui reuellant deorſum repentem humorem. Ciendi ſunt igitur in principio ab accepto cibo, poſtea etiam per vomitoria medicamenta, initio à mediocribus facto. *Galenus c. 2. l. 10. de compoſ. medic. ſecundum locos.*

VIII.

Quæ ſint alia vniuerſalia arthritidis remedia.

Præter hæc communia remedia, topicis perpetuo præmittenda, ſunt & alia vniuerſalia, ad eos qui arthritidem creare poſſunt humores vacuandos non raro vtiliſſima, cuius generis ſunt hidrotica, diuretica, menſes & hæmorrhoidas mouentia, atque pyrotica. Pituitoſis corporibus rite repurgatis, ſudores tempeſtiue mouebuntur, decocto palmæ ſanctæ, ſalſæ parillæ, vel chymæ, vel aliis quibuſlibet hidroticis, vt pituitoſi humores, quibus præter naturam articuli imbuti ſunt attenuati prorſus diſſipentur. Hæc quippe hidrotica phlegmaticos humores craſſos lentoſque incidunt & detergunt, & è locis penitioribus digerunt, crudaque & ſuperuacua abſumunt, ad quæ aliorum medicamentorum vis penetrare non poſſit, vt idcirco futura ſint iſchiadicis, cæteriſque arthriticis pituitoſis ſaluberrima. *Frambeſarius ex Fernel.* Peroportune ſeroſorum humorum curſus ab articulis per vrinas diureticis diuertitur. Ergo in iuſculis radices oxalidis, petroſelini, aſparagi, graminis, & ſimilia incoquentur, & arthriticis exhibebuntur. Multa enim & craſſa vrina fluente, dolorum remiſſionem obtinent. Vbi ex ſuppreſſis menſibus vel hæmorrhoidibus oritur arthritis, quæcumque alterutrius vacuationis proritandæ vim habent, ex vſu ſunt. Multis profuerunt aperta & fluentia vlcera, admotis pyroticis excitata. His enim tanquã riuulis virus arthriticum diffluit. Experientia id demonſtrat in lue venerea affectis. Quibus enim non licet virus venereum proprio alexiterio id eſt hydrargyro expugnare, aliunde dolorum quam ex appreſſis pyroticis maius leuamen non ſentiunt. Variis illa locis pro dolentium articulorum ſitu apprimentur, nempe ceruicis initio, ſi à cerebro fluxio

Hidrotica quando & quibus conueniant.

Diuretica quid valeant ad arthritidem.

Menſes & hæmorrhoidas mouẽtia, vbi ex vſu ſint.

Pyrotica qui conferant.

Quibus locis apprimenda.

xio fiat in clauicularũ aut humerorum articulos: si in cubitum & manus, sub epomide musculo: si in coxam, genua & pedes, trium sub genu digitorum parte interna, interuallo. Sic enim propter sapheiæ eo loci excursum copiosior sequetur euacuatio. Si tamen homo sit negotiosus & cui multum iter in equo sit obeundum, apprimentur illa parte externa inter duo tibiæ ossa, quo minus ipsa molesta sit equitatio. Si cui magis placet cauterium actuale, triangulare id & acutum eligetur, quo celerius & indolentius quod quærimus perficiat. *Par.*

Cauteriũ actuale.

IX.

Quando & qualia topica arthritico admouenda.

In omni arthritide præterquam in ischiade, præmissis vniuersalibus remediis admouenda sunt topica, initio repellentia, quæ adstringendi vi humorem aliunde in articulos influentem retro compellant, frigida quidem, si hic calidus fuerit, calida vero si frigidus. Post repellentium vsum, ad ea veniendum quæ resoluendo reliquum humorem in parte hærentem vacuant. Omnis enim humoris fluxio in parte aliqua consistens, vacuationem efflagitat. Modus autem adhibendus & in repellendo, ne induretur materia, vix postea discutienda, & in resoluendo, ne digesta impacti humoris tenuiori portione, reliqua fœculenta concrescat in tophos. *Frambesarius ex omnium fere Medicorum consensu.*

Cautio in repellentiũ & resoluẽtium vsu adhibenda.

Quoniam tophi subinde in articulis creantur modo ob humoris qui ad eos decubuit crassitiem, terrestremque duritiem, modo propter immoderatos *discutientium* resiccantiumque medicamentorum vsus, sine eorum mistura quæ emolliendi virtute pollent, sciendum venit ea esse conuenientiora quæ *mollientem* simul & *discutientem* naturam sortiuntur. *Ægineta c. 78. l. 3.*

Cur malactica diaphoreticis permiscenda.

In biliosa arthritide, si tantus vrgeat dolor vt laborans par esse ferendo nequeat, narcoticis vtendum medicamentis. Verum his diutius non erit insistendum, quam vt doloris vehementiam solum lenierint. Siquidem largiori ipsorum vsus, sic insertum constringit humorem, vt in tophaceam duritiem occalescat, ac diuturnus motus difficultates pariat. *Idem.* Balnea aquæ dulcis, in qua herbæ refrigerantes coxerint, tribus horis à leui pastu vsurpata, ad doloris arthritici sedationem plurimũ conferũt biliosis naturis, gracilibus, & quibus corporis est rarior textura. A balneo, inungendum corpus hydræleo, ne calor natiuus exhalet,

Quando & quomodo narcoticis vtendum.

Qua & quibus balnea conferant.

halet,& corpus fiat infirmius. *Ex Alexand. Paul.Holl.Par.* & reliquorum veterum & recentiorum ſententia.

Cur remedia hic ſubinde mutanda.

Porro quæ arthriticis doloribus adhibentur remedia ſubinde mutanda.Nam in hoc morbi genere, quod paulo ante profuit,& nunc prodeſt remedium,id mox eſt nociturum.*Ex Paulo.*

Quare ſyptica hic adhibẽda.

Ad arthritidis præcautionem magnum eſt in roborandis articulis momentum, quo irruentibus præter naturam humoribus reſiſtere poſſint.In eum ſcopum adſtringentia fomenta, balnea,vnctiones, frictiones, emplaſtra, cataplaſmata, & alia id genus topica vſurpanda.

Et antidota exhibenda.

Nec etiam negligenda theriaca, & ſimilia antidota, quæ ad ſemidragmam tribus horis ante paſtum exhibita, præterquam quod virus arthritici malignam qualitatem infringunt,viſcera etiam roborant. Cæterum in omnibus arthriticis morbis, non modo recipienti, ſed mandanti parti accurate proſpiciendum. Vbi enim arthritica fluxio ab hepate ducit originem, conuenientibus remediis illi opitulandum, habita œconomiæ naturalis ratione.Vbi vero à cerebro manat,omni ſtudio incumbendum, ad illud tanquam mali fontem apophlegmatiſmis & errhinis per os & nares imprimis exhauriendum, deinde cephalicis puluerib⁹,ſuffitibus,ſacculis, & aliis generis eiuſdem localibus capiti admotis corroborandum.*Frambeſarius.*

Vt mandãti non ſecus quam recipienti parti in arthriti deprouidendum.

X.

Quæ topica in iſchiade vitanda.

Apocrꝰſtica in iſchiade nequaquam adhibenda, ne intro humorem regerendo,dolorem augeant. Cum enim coxendicum iunctura in profundo ſita ſit, ſanguis ex vicinis & ambientibus vaſis ac muſculis ad illam compellitur,adſtringentibus extrinſecus admotis. Quocirca in dolore circa coxendicem hærente, paregoricis in principio pharmacis opus eſt, quæ neque refrigerent multum, neque fortiter calfaciant,veluti quæ poſtea requiruntur. Ab his enim exacerbantur fluxiones,calore ipſas plus attrahente,quam impediente. A mitigatoriorum medicamentorum vſu, valenter ex profunda cotyle attrahentia & reſoluentia erunt imponenda, præmiſſis tamen catholicis remediis.Si quis enim ante totius corporis euacuationem, acribus pharmacis circa partem affectam vratur, ægre curabilem reddet affectionem,copia humorum indiſſolubiliter ibidem condenſata. Materia ſiquidem craſſa & viſcoſa fit,ob calorẽ & ſiccitatem acrium pharmacorum,

Quæ & quando adhibenda.

rum, non dissimile quippiam assationi perpetiens. *Ex Gal. c. 2. l. 10. de comp. ph. cat. top.* Quod si his remediis non sedetur dolor, pergendum ad vesicatoria, necnon & ad cucurbitulas. In quibus enim vehemens humorum densatio, quæ ægre dissolui potest, à Medicis intempestiue acribus pharmacis vtentibus facta est, his cucurbitula affixa maxime auxiliatur, quemadmodum & purgatio per cathartica clysmata. *Idem Galenus, ibid.* Quod si ne sic quidem proficitur, veniendum Hippocratis consilio, ad extremum remedium: Οκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος, ἐνοχλεμένοισι χρονίης τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τουτέοισι τήκεται τὸ σκέλος καὶ χωλὸν τὴν μὴ καυθῶσι. Quibus à diuturno coxendicum dolore vexatis coxa excidit, iis crus tabescit, & claudicant, nisi vrantur. *aph. 60. l. 6.* Idipsum & Celso probatum legimus, *c. 22. l. 4.* Vltimum (inquit) est, vt in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare. Itaque tria aut quatuor cauteria actualia, circa ischij dearticulationem sic apprimenda sunt, vt in carnem digitum latum subeant, vitatis tamen neruis. Hoc enim nomine hic cauteria proficiunt, quia partem calefaciendo, humores quoque frigidos calefaciunt & dissoluunt, crassos & viscidos incidunt & attenuant, foraque euocant, vt per vlcera cum pure manante effluant. Adde quod obductis mox cicatricibus ligamenta constringuntur: & eorum laxitas corrigitur: totaque eo modo pars insigniter roboratur. *Par.*

Quis cauteriorum in ischiade vsus.

CONSVLTATIO I.

De Arthritide sanguinea.

c. 1. d. 1. t. 1. l. 1. MEdici ad ægrum pristinæ sanitati restituendum vocati, tria diligẽter debent animaduertere, morbi diagnosim, prognosim, atque therapiam. Quocirca nostræ partes sunt (Doctores sapientissimi) de singulis in præsentia breuiter differere, ducto à diagnosi exordio. Morbus qui laborantem tam immaniter excruciat, cum omnes peræque corporis articulos repente obsederit, nec proprie podagra, nec chiragra, sed arthritis nomine generis nuncupatur. Quod autem nobis proponitur exemplum, Fernelianã de articularis morbi origine, causa, & genesi sententiã conuellit. Etsi enim Fernelius alioqui doctissimus ex pituitoso, serosoue humore ab externis partibus capitis, per summa

c. 1. d. 1. app.

c. 3. 5. & 6. d. 1. app.

corpo-

corporis sub cute deorsum in articulos defluente arthritidem omnem oriri, nullamque omnino calidam esse contra veteres medicos acerrime contendit: hanc tamen quæ generosum adolescentem exercet, ab hepate ortum ducere, & ex superuacaneo sanguine ad articulos imbecilliores per venas affluente gigni, nec proinde frigidã esse comperiemus, vbi diligenter omnia tum antecedentia, tum consequentia eius gnorismata animo lustrauerimus. Siquidem laborantis eucrasia, ætas adolescens, victus liberalior, neglecta exercitatio, & vernum tempus, sunt procreatrices vberioris causæ sanguinis. Quem in corpore dominari confirmant color faciei rubicundus ac floridus, habitus corporis carnosus, venarum tumor ac tensio, lassitudo spontanea, pulsus magnus & fortis, respiratio difficilis, & alia id genus plethoræ signa. Nonne igitur redundanti potius sanguini, quàm pituitæ quæ in isto corpore nullo modo peccat, mali causam adscribere rationi consentaneum est? Addo ex Hippocrate, lib. de nat. hum. quod pars transmittens vt & excipiens laboret in omni humorum decubitu: At ægrotans nec carebaria, nec somnolentia, nec vllo capitis dolore affectus est, antequam articulari morbo corriperetur. Quin & destillatio à pericranio sub cute in articulos irruens, vellicando partes sentientes, frigus, horrorem, rigoremve infligit. At articulorum dolor sine horum symptomatum præsensione ægrotantem repente *inuasit*, assiduequeab hinc illum vexauit. Quid? Conspicua sunt sanguinis non phlegmatis affectis partibus *impacti indicia*, vehemens calor, insignis rubor, dolor pulsatorius, tumor renitens, non laxus & molis. Præterea recreatur & iuuatur frigidis, offenditur calidis. Quare hanc arthritidem calidam esse, nec ex pituito à cerebro per summa corporis deorsum decurrente (vt placet Fernelio) sed ex copiosiori sanguine ab hepate per venas ad imbecilliores articulos affluente procreatam, ex veterum dogmate concludamus. Hæc diagnosis, pergamus ad prognosim. Arthritis morbus est periodicus, Vere & Autumno fere exacerbans, nisi conuenientibus auxiliis præuertatur paroxysmus. Cui terminum integræ solutionis, quadragesimum diem statuit Hippocrates, *aph.* 46. *l.* 6. Licet enim quæ carnosas partes occupat phlegmone, acutorum morborum termino subiecta, diebus quatuordecim finiatur, quoniam carnis substantia mollis est atque rara: quæ tamen circa ligamenta, tendones ac neruos gignitur

c. 15. *d* 1. *t.* 1. *l.* 1. & *c.* 10. *d.* 1. *app.*

c. 7. & 9. *d.* 1 *app.*

c. 2. *d.* 2. *app.*

c 10. *d.* 2. *app.*

inflammatio, vt tardius & incipit, & ad vigorem peruenit, ita & diutius ſanatur, quia ad moliendam curationem quicquid ſuperuacanei humoris articulationibus, vinculis: cæteriſq; particulis naturæ duris ac denſis in pactum eſt, atmoidôs euacuari oportet, quod non niſi longo tempore perfici poteſt. Verum quæ à calida materia eſt, multo citius curatur, quàm quæ à frigida ortum habet. Nam quod in articulos influxit, ſi tenuem habuerit ſyſtaſin, breuiori tempore diſcutitur, quam ſi craſſam, atque lentam.

Sed de arthritidis ſubiectæ diagnoſi, ac prognoſi quidem ſatis: nunc ad therapiam tranſeamus. Cum morbus ex ſanguinis copia, & articulorum imbecillitate naſcatur, duplex nobis proponitur curationis ſcopus, redundantis ſucci vacuatio, ac debilitarum partium corroboratio. Ad vacuandam ſanguinis pleonexiam, ſecanda protinus baſilica, quia *fluxio* fit ab hepate. Eligenda autem interna cubiti vena quæ è directo eſt pedis magis dolentis, vt non modo morbificæ materiæ prohibeatur generatio, verum etiam fluentis fiat reuulſio. Nec ſemel duntaxat, ſed iterum atque iterum pro viribus ægrotantis mittendus erit ſanguis, detractione paulatim repetita. Poſtea ad vacuationẽ ſimul & corroborationẽ adhibenda parti dolenti topica ſunt, initio quidem repellentia & anodyna quæ reprimant & dolorem leniant, qualia ſunt oxyrrhodinum oxycratum ex *aqua plantaginis vel ſolani, & aceto*: *mucago ſeminum pſyllij & cydoniorum in aqua roſarum* extracta; vnguentum populeum; cataplaſma ex medulla panis ſiliginei in *aqua roſarum* prius macerata, deinde *in lacte vaccino* cocta, additis *oleo roſato*, *vitellis ouorum*, *ac croci* momento. Quod etiam parari poterit ex *foliis hyoſcyami* in lacte bubulo coctis: necnon & ex *verbaſci foliis ac floribus*, *lenticula paluſtri*, *nymphæa*, *violaria*, *portulaca*, & ſimilibus per ſe vel cum roſaceo tritis. A quibus leuiter digerentia ex vſu erunt, vt ceratum ex *oleo chamamelino*, *anethino*, *liliaceo* & ſimilibus; Vnguentum *ex muccagine ſeminum lini*, *& fœnigræc. in aqua chamæmel.* extracta, adipe *anatis & gallin.* cum pauca cera; cataplaſma *ex radic. & foliis althææ*, *abſinthio*, *maiorana*, *floribus chamæmeli & meliloti*, *roſis rubris*, *farina lini & fœnigr.* additis diſcutientibus oleis; emplaſtrum Vigonium. Interim victu parciore actenuiore vtatur. Cibis veſcatur parum nutrientibus, & aliquantulum refrigerantibus, vt oleribus boni ſucci. Vinum penitus circuncidatur, cui calore & vapore ſuo noxia vis eſt proritandi fluxiones, &

c.2.d.3. app.

c.3.& 6. d.3.app.

c.9. d.3. app.

c.14 d.3.

nes, & dolores exaſperandi. Vice vini aqua detur ſaccharata, vel cereuiſia tenuis, vel alius potus qui citra offenſionem palato arrideat. Salſa omnia, & aromatica, & quæcunque ſanguinem excalfaciunt, caputque tentant, vt allium, cæpam, ſinapi, naſturtium vitet. Vt iam incipiente, ita & deinceps vigente acceſſione quieſcat, cum vero inclinauerit, exercitationem ſubeat mediocrem. Somnus longior ac diurnus, venuſque imprimis fugiatur. Aluus quoties pigrior fuerit, leni clyſtere ſollicitetur. Hæc ſunt præſidia, quibus articulares cruciatus profligari debent. Ne vero poſthac malum redeat, quot- c.5.d.3.app.
annis Galeni conſilio, ineunte Vere & Autumno ſanguis large detrahatur, ad conſuetum inuaſionis tempus inuertendum. Nec protinus æger ad intemperatiorem viuendi formam redeat, ſed moderatiorem victum deinceps obſeruet. Hocque ſaluberrimum Hippocratis præceptum ſecum reputet, ἄσκησις ὑγίης, ἀνωφελὴ τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, ſanitaris ſtudium eſt; non ſatiari cibo, & impigrum eſſe ac labores. Et quoniam Arthritis Bacchi ac Veneris filia perhibetur, ab vtriuſque vſu præſertim immoderatiori ac intempeſtiuo ſibi caueat, beneque monenti Poëtæ pareat.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina Venuſque nocent.
Vt venus eneruat vires, ſic copia Bacchi
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.

Sal minutim in oleo tritus, mane & veſperi per totum vitæ curriculum imbecillioribus articulis affrictus, ad illos firmandos & exiccandos plurimum commendatur. *Dixi.*

Conſultabat Frambeſarius cum pluribus Medicis Pariſienſibus, pro generoſo adoleſcente Veromanduo Lutetiæ laborante anno 1595. menſe Maio.

CONSVLTATIO II.

De Chiragra bilioſa.

CVm varia ſit arthritidis curatio inſtituenda, pro varietate cauſæ & originis, (Med. clariſſ.) Chiragræ huius cauſa & origo accura- c.3.d.3.app.

te nobis perueſtiganda. Vos (vt audio) à frigida cerebri deſtillatione
c.5.& 6.d. 1.app. profectam eſſe cenſetis, Fernelij fortaſſis authoritate ducti, qui omnis arthritidis materiam pituitoſam eſſe, & à pericranio ſub cute deorſum decurrere contra omnem antiquitatem acerrime decertat. Sed veſtra ſententia nequaquam mihi arridet, vt quæ nullis rationum momentis
c.9.d.1.app fulta videatur. Siquidem hunc articularem propoſitum dolorem ex bilioſo humore, non à cerebro, ſed ab hepate per venas in carpũ, digitorumque articulos influente ortum eſſe conſtat, tum ex cauſis flauæ bilis copiam exaggerantibus, nempe è temperamẽto ægrotantis calido & ſicco, ætate florida, æſtiuo tempore, ſicca cœli conſtitutione, conſueta victus ratione calidiore & tenuiore, ac immoderatis exercitationibus: tum ſignis flauæ bilis in corpore dominantis, vt ſubflauo cutis colore, habitu ſicco & macilento, pilis ſubflauis, venis amplis, magna corporis inquietudine, vigiliis, exacerbationib. tertianis, cũ febre, pulſu veloci & frequenti, ſiti, vrina flaua flammea & ſine ſedimento, vomitione deiectioneque bilioſa, & aliis id genus. Id præterea apertiſſime comprobatur eryſipelate externam manus partem ardore vehementi infeſtante, nec tumore manifeſto extuberante, nec partem attollente aut diſtendente, & colore ex rubro flaueſcente qui preſſu ſubterfugit, moxque redit, & dolore acri & mordicante, qui & calfacientibus adhibitis excandeſcit, & refrigerantibus remittitur, cæteriſque bilioſi humoris affecta parte contenti notis. Hæc ſubiectæ chiragræ diagno-
c.5. & 9.d. 2.t.1.l.1. ſis. Quod ad *prognoſim* ſpectat, vt acerbum malum eſt, ita nec diuturnũ mihi videtur futurum, quia à bilioſo excitatur humore, qu facile præ tenuitate diſcutitur, æſtiuoque prehendit tempore, quod corporis partium ſpiracula reſerando, via morbificæ materiæ atmoidos euacu-
c.5.d.2 app. andæ patefacta, morbi curationem accelerabit. Qui etiam laborans ſemel priſtinæ ſanitati reſtitutus, perpetuo ab hac affectione (vt ſpero) vindicabitur, ſi noſtris pareat conſiliis, cum illa præſertim nec hæ-
c.5.d.3.t.de tum.prat. nat. reditaria ſit, nec nodoſa, nec altis iam defixa radicibus. Curatio molienda remediis morbificam materiam vacuantibus & re-
c.5 6.& 7. d.3.app. frigerantibus. Aluo leni clyſtere ſubducta, ſecanda quamprimum brachij oppoſiti vena, ad bilis cum ſanguine affluentis reuulſionem. Sed ſanguis, cum bilis frenum perhibeatur, parca manu detrahendus erit. Deinde blanda purgatio *è caſſia, manna, catholico, rheo, myrobalanis citrinis, ſaccharo violato, ſyrupo roſarum pallidarum,*

aut

aut alio simili cholagogo pharmaco, nedum semel, sed sæpius (si opus sit) ex interuallis decernenda, ad exuperantem materiam non repente vniuersam, sed paulatim per vices subtrahendum. Acrimonia nauseabundus sit æger, ad iuuandum naturæ motum prouocandus erit vomitus exhibita aqua tepida exiguo aceto, syrupo ve acetoso permixta. Nec c.8.d 3.app. prætereunda tandem ea quæ vrinam cient, quæ bilem per lotium euacuare consueuerunt. Quod reliquum est, sudoribus excludendum, adhibitis corporis frictionibus, sed intacta parte affecta, vt monet Aëtius. Ad retundendam bilis acrimoniam, contemperandumque feruorem, vtatur *syrupis rosato, violato, nymphæato, de cichorio*, & aliis id genus, alias per se ex cochleari, nonnunquam conuenienti liquore solutis, iulepi forma datis. Quin & syrupo papauerino aqua lactucæ diluto, somnus plærumque conciliandus. Posthæc ad topica veniendum, quæ ardo- c.9 d.3.app. rem extinguant, doloris acerbitatem mitigent, affectamque partem corroborent, qualia erunt linimenta ex *rosaceo, vitellis ouorum & aceti* momento parata, vel ex *mucagine seminum psyllij & cydoniorum in aqua solani* extracta, vel ex æquis partibus populei & nutriti vnguenti: Cataplasmata ex *semperuiuo, solano, poligono, plantagine, rosis violis*, & aliis id genus herbis viridibus, refrigerandi & adstringendi facultate præditis, per se contusis, vel additis *farina hordeacea, & oleo rosato* confecta. Ac si doloris vehementia vrgeat, narcoticis vtendum erit medicamentis, vt cataplasmate ex *hyoscyami, papaueris mandragoræ*, vel cicutæ foliis viridibus per se contusis, vel cum ouorum luteis & rosaceo permistis apparato: vel ex medulla panis *in lacte* cocta, additis *ouorum vitellis, & opij drachma, cum croci scrupulo*. Simul ac sedatus fuerit cruciatus, *thymi origani, calaminthæ, satureiæ, saluiæ* & similium calfacientium decocto in æquis partibus aquæ & vini, pars affecta refouenda erit, ne insertus humor stupefacientium vsu in tophaceam duritiem occalescat, ac manus præcontraria intemperie imbecillior reddita, perpetuo fluori sit obnoxia, & ad motum prorsus inepta. Victus ratio insuper illi instituatur refri- c.4.d.3 ap. gerans & humectans. Vitet omnia calfacientia, & quæ flauæ bilis prouentum faciunt. Vtatur hordei cremore. Ex oleribus, lactuca & intybo, ex fructibus, pyris, pomis adstringentibus, mespylis. Viuat frugaliter. Sed famem minime toloret, quia bilem reddit acriorem. A vino prorsus abstineat. Potus sit ptisana, vel aqua hordei. Veneris vsu interdicatur. Si laborans non à præsenti modo dolore liberari, verum etiam

ab arthritide perpetuo immunis esse cupiat, à præscripta viuendi nor-
c.5.d.3 ap. ma nunquam desciscat, ac bis in anno, Vere & Autumno purgatione paroxysmum anteuertat. Dixi.

Consultabat Frambesarius Niuernis, pro nobili viro Borbonensi, cum pluribus celeberimis medicis ad aquas Poganas congressis, anno 1595.

CONSVLTATIO III.

De Podagra melancholica.

c.3 d.3 t.1. l.1. VT quilibet alius morbus, D. M. ita & podagra curari non potest, nisi sublata eius causa. Hęc vero auferri nequit, nisi penitus dignoscatur. Quocirca huius diagnosi consequendæ diligenter incumbendum. Duplex statuitur arthritidis causa, articulorum asthenia, & humoris pleonexia. Atram vero bilem in corpore exuperare indicant tũ procreatrices eius causæ, nempe temperamentum tuum siccum & calidum quidem à principio, per metaptosim autem frigidum, ætas inclinans, autumnus ingruens, praua victus ratio antegressa, vitæ conditio tristis, multis curis, vigiliis, literarum studiis implicita, nulla interposita animi hilaritate: tum propriæ eius notæ, color plumbeus, frigoris sensus, dolor profundus scapelli perforantis instar, ac exacerbationes quartanæ. Quod ad *prognosim* spectat, morbus hic nequaquam lethalis, sed quoniam ab humore gignitur melancholico, omnium crassissimo viscociſſimo, solutu difficillimus est, nec nisi longo tempore curationem admissurus. Ad hanc moliendam, materia reuellenda, vacuanda, repellenda, discutienda, parique affecta corroboranda. Ad sanguinis atra bile perfusi affluentis reuulsionem, secanda, meo iudicio, basilica à directo pedis laborantis. Ad vacuationem atrabilarius humor præparandus *syrupis de pomis redolentibus, de fumaria, de cortice citri, violato in aquis stillatitiis melissophylli, lupili, bugłoßi dilutis, iulepi forma exhibitis.* Rite vero præparatus, melanogogis pharmacis, vt *senna, epithymo, myrobalanis Indis, cassia fistulari, catholico, confectione hamech*, semel atque iterum purgandus est. Præterea topicis vtendum, initio apocrysticis ad repellendam irruentem materiam, tum diaphoreticis ad eam quæ influxit discutiendam, admixtis perpetuo stypticis, ad imbecilliorem partem corroborandam. Ad tophaceam duritiem, laudo em-

l.1. c.9.d.2.t.1. c.5.6.& 7. d 3.app. c.9 d.3.ap.

do emplastra *ex gummi ammoniaco, opopanace, bdellio*, cum mucaginibus *seminum althææ, lini & fœnigraci* extractis in aqua vitæ, adiectis medullis, adipibus, pulueribus, *saluiæ, cyperi, ireos, hermodactylorum*, cera & oleo sufficienti. Sed præfatis remediis addenda victus ratio, quæ meliorem deinceps succum generet, ac hilara imprimis vita, quæ tristitiam deponat ex animo, circumcisa omni negotiosa cogitatione, & actione. Sũma diagnoseôs, prognoseos ac therapiæ capita tantum tetigi, nec animus fuit singula latius persequi, ne γλαῦκα εἰς ἀθήνας mittere videar. Siquidem dictum sapienti sat est. Tu interim *Medice cura* teipsum. Sed suspicor in mentem tibi venire illud Charini ad Bitriam, apud Terentium: *Facile cum valemus, recta consilia ægrotis damus, tu si hic sis, aliter sentias.* c. 4. d. 3. ap.

Hæc obiter consulebat Frambesarius pro D. Mercerio, cum eodem, & D. Pignio Medicis Bituricensibus, 10. Calend. Sept. anno 1595.

CONSVLTATIO IIII.

De Gonagra pituitosa.

PRæclare Hippocrates libros de locis in homine *scriptum reliquit:* φύσις τῦ σώματος ἀρχὴ τῦ ἐν ἰατρικῇ λόγυ, Natura corporis principiũ est considerationis Medicæ. Cognita quippe corporis natura, quis in eo humor exuperet, facile est dignoscere. Quo percepto, morbi causa & species haud difficulter internoscuntur. Quibus intellectis, idonea remedia protinus occurrunt. Ægrotam natura frigidam ac pituitosam esse indicant, tum corporis moles ampla & obæsa, (Nam ex Gal. 2. de temp. crassi & pingues frigidi pituitosique sunt, quia pinguedo ex habitus refrigeratione perpetuo gignitur;) tum venarum angustia. Quibuscumque enim latiores venæ sunt, hi calidiores natura sunt, quibus angustiores contra, frigidiores, quia caloris opus est has dilatare atque inflare: vt frigoris densare ac constringere. Quod cum ita sit, constat phlegmaticum humorem in corpore potissimum redundare. Id quod etiam confirmant causæ reliquæ, pituitæ prouentum facientes, ætas senilis, antecedens tempus hybernum, prægressa cæli c. 18. d. 1. t. 1 l. 1. c. 10. d. 1. ap.

cœli constitutio humida, victus plenior & liberalior, vita sedentaria, & in otio deses, ac somnus longior. Adhæc color albidus, tumor œdematosus, dolor exiguus, & quotidianæ exacerbationes, pituitæ dominantis indicia sunt. Quocirca nemini dubium esse potest, quin proposita Gonagra à pituita superuacanea partem affectam occupante, sit orta. Vnde (quod ad prognosim attinet) affectio chronica exi-

c.9.d.2.t.1. l.1. stit, ac solum difficilis. Curatio ab humoris pituitosi vacuatione in-

c.3.d.3.t.1. l.1. eunda. Quoniam vero venæ omnes delitescunt, sanguis nequaquam

c.7.d.3. app. mitti potest. Reliquum est igitur vt corpus per epicrasim modo potionibus, modo catapotiis phlegmagogis repurgetur. In morbo articulari peculiariter laudatur purgatio ex hermodactylis, quæ tamen Paulo, Matthiolo, Altomario, & aliis nonnullis suspecta est, quod stomacho negotium faceſſet, quodque veris careamus hermodactylis: Adeo vt illis authoribus, nec pilulis ex hermodactylis, vt nec arthriticis, nec fœtidis, quod hermodactylos recipiant, vtendum sit, sed *agarico, myrobalanis cepulis, diaphœnico*, catapotiis *ex agarico, cocciis* & similibus. Quibus præmittendum apozema, ex aperientibus, incidentibus & attenuantibus constans, ad humoris pituitosi præparationem. In quem finem, oxymeli simplex & scyllinum, vt & hydromeli vinosum, mihi videtur profuturum. Paulus & Alexander theriacam, mithridatium, & alia id genus antidota à catharticis adhibenda censent. Diæta ægrotanti instituenda calida & sicca, eademq; tenuissima, *quia ex Hippocrate*, corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit. Fames enim corpora siccat. Quod ad topica spectat, adhibendi fotus ex *saluia, maiorana, origano, serpyllo, calamintha, mentha, ruta floribus chamæmeli, meliloti, anethi, rosis rubris*, & aliis id genus calfacientibus, discutientibus & roborantibus in vino decoctis: deinde litus ex oleo irino, nardino, sampsucino, vel rutaceo: tum emplastrum diachylum ireatum, vel è meliloto, vel ex sola pice nauali, vel ceratum ex *castoreo, thuro, medulla ceruina, & adipe anserino, oleo anethino & nardino, bdellio & galbano* in aceto dissolutis, farina seminis lin. & fœnigr. & cera. Hæc mea est de propositi affectus diagnosi, prognosi, ac curatione sententia.

c.9.d.3. app.

c.21.d.3.t.1.l.1. & c.4.d.3.app.

c.9.d.3. app.

Consultabat Frambesarius cum DD. Dambraneo, Bleucorteo & Viscotio, pro D. Andra, anno 1594. Non. Mart. Rhemis apud sanctum Petrum laborante.

CON-

CONSVLTATIO V.

De Iſchiade.

ATrox coxendicis dolor qui laborantem excruciat, ad ſummam na- *c. 1. d. 1. app.*
tem, lumboſque pertingens, ac in femur, ſuram, extremumque pedem exporrectus, Græcis ac Latinis Iſchias dicitur, Barbaris ſciarica, quæ arthritidis ſpecies eſt omnium vehementiſſima. Gignitur à pituitoſis humoribus ratione humidioris temperamenti, ſenilis ætatis, pluuioſi cæli, plenioris victus rationis, ac neglecti exercitij, in corpore redundantibus & in imbecilliorem coxendicem decumbentibus. Quod ad *Prognoſim* attinet, id malum curatu difficile ac polychronion, quod autumnali tempore, à frigida cauſa, in cacochymum corpus, iam ſenio confectum inciderit. Curatio in cauſarum aphæreſi conſiſtit. Sunt autem duæ iſchiadis cauſæ, humoris pleonexia, & coxendicis aſthenia. Quocirca ſummus curandi ſcopus eo dirigi debet, vt humoris redundantia dematur, ac debilior pars roboretur. Ad demendum humorem morbificum, reuellentia, vacuantia & deriuantia ex vſu erunt. Ad reuulſionem aperienda quam primum baſilica è directo partis dolentis, cum præſertim corpus pituitoſo ſcateat ſanguine. Vomitus Galeno au- *c. 10. d. 1. app.* thore iſchiadicis ſaluberimus, quod ſummam reuellendi vim habeat. *c. 4. 5. & 9. d. 2. t. 1. l. 1.* Quocirca prouocandus erit oxymelitis vnc. duabus in decocto drach. *c. 2. d. 3. ap.* ij. ſeminis raphani dilutis, tepide exhibitis. Quinetiam aluus frequenter acribus proritanda clyſteribus, ex *pulegij, origani, calaminthæ, centaurij minoris, verbaſculi, chamæpytios, ſaluiæ, rutæ, ſtœchados, ſeminum aniſi & fæniculi*, & ſimilium decocto, in quo hiera diacolocynth. vel benedicta laxat. *c. 6. d. 3. ap.* mel mercuriale, vel anthoſatum oleum anethinum, vel rutaceum cum ſale diſſoluta ſint. Ad pituitoſæ materiæ vacuationem purgatio phlegmagoga per epicraſim decernenda, modo per potiõnem ex diluto agarici & myrobalanorum cepularum, addito diacarthamo, cum ſyrupo de ſtœchade: modo per catapotia fœtida, vel de hermodactylis. Dein- *c. 7. d. 3. ap.* de diæta tenuis & exiccans inſtituenda, cum decocto palmæ ſanctæ, vt humor in corpore redundans per ſudores euocetur, malique ſcaturigo exhauſta exicetur. Ad deriuationem ſecanda malleoli exterioris vena, è regione iſchij laborantis. Cucurbitulæ parti dolenti affligendæ. Poſtea ſinapiſmus ex ſemine *ſinapis, pulpa caricarum*, fermento, & ſtercore *c. 8. d. 3. ap.* columbino confectus, vel phœnigmus è cantharidibus apponendus, *c. 10. d. 3. app.*

vt excitatis veſicis, humor è profundo iſchio foras attrahatur. Perſeuerante malo pyroticum extremo ſuræ quæ dolenti coxæ reſpondet admouendum cenſeo. Ad corroborandum imbecilliorem articulum paretur fotus, ex *ſaluia, ruta, calamintha, chamæpyti, verbaſculo, ebulo, floribus chamameli, meliloti*, & aliis nerualibus in vino decoctis. A fotu fiat litus ex vnguento Martiato, Arragonio, Agrippino, de altæa, *ex oleo rutaceo, vulpino, nardino, de caſtoreo aut petroleo*, & ſimilibus, quæ partem non modo roborabunt, verumetiam impactum illi humorem potentiſſime diſcutient. Poſt hæc emplaſtrum ex pice nauali adhibeatur, ad natiuum calorem cohibendum & augendum, vnaque humorem impactum foras ſtrenue attrahendum. Præterea ægrotantem in vinacea mittendum eſſe duco, quia hæc maximam calfaciendi, diſcutiendi ac roborandi vim obtinent. Hæc mea eſt de propoſiti doloris diagnoſi, prognoſi & curatione ſententia.

Conſultabat Frambeſarius cum DD. Dambraneo & Herneto, pro D. Burgeo Argentario Dominæ D. Petri, anno 1588. 8. *Id. Octobris.*

CONSVLTATIO VI.

De Arthritide à frigida cerebri deſtillatione orta.

ETſi *non omnes* arthritides à cerebro ducunt originem, vt placet *Fernelio: nonnullas tamen à frigida* capitis deſtillatione ortas, nedum ratio, verumetiam *quotidiana* docet experientia. Cuius quidem
1.9 d.2. generis eſt, quæ iam *D. laborantem diſcrutiat. Cum enim* ſomnolentus primum fuerit, ac capitis grauitatem *externumque* dolorem, contactu, vel inuerſis duntaxat capillis exacerbantem ſenſerit, cutemque denſam, œdematoſo ad occipitium tumore vt cera molli diſtentam, nec caluæ propius adhærentem deprehenderit, ac deinceps frigido aquæ inſtar deorſum decurrente ſubter cutem humore, ſentientes partes vellicante horrorem perceperit: nemini dubium eſſe poteſt quin articularis hic morbus ex ſuperuacanea pituita tenui, ab externis partibus capitis, per ſumma corporis ſub cute in articulos imbecilliores influente genitus ſit. Adde quod in pedum, genuum, manuum, ac cubitorum articulis tumor conſpiciatur magnus, laxus ac mollis, prementi digi-

ti digito cedens, nec insignis calor, nec rubor, sed albidus color insit, ac mediocris dolor. Hæc morbi diagnosis, iam ad *prognosim* venio. Quamuis hæreditarium vitium sit, audeam tamen non solum perfectam paroxysmi huius curationem, sed perpetuam deinceps arthritici doloris immunitatem polliceri, si præscripta nostra laborans ad vnguem exquatur. Quoniam enim duæ arthritidis causæ existunt, humoris in corpore redundantia, & articulorum imbecillitas, quarum neutra seorsum arthritim facit, sed necessarius ambarum concursus: etiamsi arthron asthenia ex imbecillo parentum semine contracta emendari nullo modo possit, (quod negamus) nunquam excitabitur τὸ πάθος, nisi vt inquit Galenus. ὁ περιττὸς χυμὸς influat: Non influet autem si semper ἀπέριττον corpus extiterit. At possumus arte nostra aperîtton corpus reddere, superuacanei humoris vacuationem moliendo, nouamque eius generationem prohibendo; necnon & articulos natura imbecillos corroborare adstringendo, ne fluxionibus suscipiendis adeo sint opportuni. Age igitur, quibus remediis id præstari possit, nunc explicare aggredior. Imprimis consueti cibi & potus dimidium circuncidendum, victusque tenuior & purior instituendus, quo corporis & humoris moles immodica concidat. Vino interdicendum, quod fluxiones proritet. Danda pro potu aqua saccharo & cinamomo condita, vel in qua anisi vel coriandri semen fuerit decoctum, vel quidpiã quod citra noxam palato arrideat. Sorbitionibus & *iusculis* parcissime vtendum, & assis potius quam elixis, vt omni ratione corpus siccescat, & superuacuorum humorum non exigua portio absumatur. Vescendum euchymis carnibus. Abstinendum à piscibus, à caseo, pisis & fabis, à fructibus omnibus, maxime horariis. Nullum alimentum nisi priore concocta assumendum. Exercitatio mediocris imperanda. Sõnus longior ac diurnus omnino fugiendus. Hæc præcipuo sunt viuẽdi præcepta, accuratissime obseruanda. Quoniam autem sola dicta ratione nequit tam atrox malum omnino profligari; accedant & hæc remedia quibus solemus breui dolorem finire. Aluo remolliente clysteres soluta, corpus exquisite purgetur medicamento cui non infirmior vis sit, ne forte humores exagitet potius quam vacuet, hincque fluxionem geminet: Sed valido satis, & φ à summis extremisq; partibus exuperãtes humores proliceat; Vt potione ex diluto *scrup. iiij. agarici recenter*

c. 2. d. 1. ap.

c. 5. d. 2. ap.

c. 4. d. 3. ap.

c. 7. d. 3. ap.

trochiſcati, & ſcrup ij. rhei el. cum cinam ſcrup. j. in quo diſſolutæ ſint elect. *diacarthami ʒ ij, ac ſyrupi capill. ven. ʒ j.* Electuarium quippe diacarthami ob hermodactylos ac turpetum, arthritidi eſt accommodatum, quamuis nonnulli reclament. Nulla huic purgationi præmittenda erit præparatio, quod initio profluens humor tenuis ſit & aquoſus, facileque obſequatur trahenti medicamento. Si forte purgatione vna ſatis detractum non videatur, doloreſque iidem perſeuerent, aut noua concitata fluxione exaſperantur, ſecundo haud abſimili pharmaco purgandum, atque etiam tertio ſi res expoſtulet: ſed interpoſita quiete, vt viribus prouideatur. Dolores vero ipſo ſtatim initio leniendi ſunt, hoc inducto præſidio, quod etiam blande refrigerando fluxionem arcet, nec tamen humorem in articulum impingit: *℞. aquarum ſtillatit. ſolani & plantag ʒ iij. in quibus macera ſeminis althææ & cydonij an. ʒ ß. fiat mucilago*, quæ tepida inducatur locis dolentibus, obducaturque ſtuppa cannabina, vel linteis mundis. Cum areſcere incipiet, alia imponatur, vt pars ſæpe madeat, dum calor quantuluſcumque fuerit, cruciatuſque omnis ſublatus ſit. Quicquid doloris reliquum fuerit, exigetur hoc illitu: *℞. mucilaginis ſeminis lini, & fœnigraci extractæ in aqua ſaluiæ ʒ iij. oleorum lumbricorum, chamæmel. & lilior. an. ʒ j. axungiæ vulpis & anſer. an. ʒ ß. hermodactylorum tenuiter pulueriz atorum ʒ ij. medullæ cerui aut vituli, & ceræ q. ſ. fiat vnguentum*, quo pars dolens & tumida bis terve in die vngatur, & *calidis* linteis obuoluatur. Conducet & parti affectæ mox ab illitu hoc emplaſtrum inducere: *℞. vnguenti præſcript. ʒ* v. *radic. ariſtolochiæ rotundæ, thuris, myrrhæ, galbani, opopanacis ana ʒ ß. terebenthinæ, ʒ iij. ceræ quod ſatis eſt, fiat emplaſtrum* per magdalias. Si tenacior doloris materia fuerit, quam vt hi ce remediis molliri poſſit aut euelli, hoc tandem imponatur emplaſtrum, *℞. gummi pini vnc. j. picis nigræ vnc. ij. ceræ vnc. j. ß. axungiæ veteris vnc. ß. hermodactylorum pulueriz atorũ, ſulphuris viui an. drach. vj. fiat emplaſtrum*, quotidie renouandum & continuandũ dum tumor omnis ſublatus videatur, & dum articuli ſit liberior motus. Hæc ſunt præſidia quibus podagra, & cæteri articulorũ dolores abigi debent. Cum vero ſedatis doloribus, firmatiſq; partibus æger iam ſibi reſtitutus erit, menſe vno aut altero antequã conſueti dolores redeant, tentanda ſunt remedia, quibus hi præcaueri poſſint.

c. 9. d. 3. app.

possint. In id autem si impurum corpus, & superuacuis humoribus cō- c.4.& 5.
fectum fuerit, parciore victu vtendum eoque sicco & attenuante. Vi- app.
no si per vires & ventriculi imbecillitatem licet interd cendum, efficiendumque omnino, vt absumpta humorum noxiorum portione corpus gracilescat. Cum vero vna victus ratio non satis id præstare poterit, adhibendæ quoque purgationes erunt septimo vel octauo quoque die, modo per potionem ex diluro agarici, & diaphœnico; modo per catapotia coccia & de agarico. Diebus interiectis, clysteribus quoque aluus sollicitabitur, si pigrior adstrictiorve fuerit. A secunda tertiave c.8.d.3 app.
purgatione, si corpus satis exinanitum erit, sudores tempestiue mouebuntur gaiaco, vel aliis quibuslibet calorificis, vt humores quibus præter naturam tum nerui, tum articuli imbuti sunt attenuati prorsus dissi- c. 9.d.3.ap.
pentur. Tum temporis adhibenda quoque erunt capiti sua remedia, quæ ipsum tonus mali fontem exhauriant. Detersis ergo sudoribus quotidie ante cœnam, attonso capiti inducantur ij pulueres quam calidissimi, vt humores discutiant, tum caput siccatū firment atque corroborent: ℞. *fol. salu maioran. stœchad. an. M. ß semin. anis fœnicul. & cumin. an. vnc. ij. baccarum lauri contusarum vnc. ß. milij* ℔ *j. sal. com. lib. ß.* torrefiant omnia in sartagine, reponantur in sacculis, qui calidissimi adhibeantur capiti & ceruici, dum sponte refrigescant. Caput deinde muniatur tegumentis quæ vaporentur hoc suffitu: ℞. *nigellæ Rom. styracis calamitæ, benioini, carabes, masticis an. vnc. ß. caryophyllorum drach. ij fiat puluis crassus*, pro suffimento capitis. Et quoniam conspicuus est in occipite tumor à pituitoso humore sub cute capitis delitescente natus, sæpius lauandum & fouendum erit caput lixiuio, in quo cephalicæ herbæ incoxerint. Aut si ne id quidem humores capitis superuacuos absorbeat, caput radetur, eique emplastrum hoc imponetur, cui eximia vis discutiendi est. ℞. *pulparum ficuum, fermenti veteris an. vnc. ij. seminis sinapi contusi vnc. iij emplastri de mucilaginibus vnc. iiij.* malaxentur, & incorporentur addendo terebinthinæ parum, si opus sit. Hoc emplastro caput integatur, contineaturque dum omnem euacuauerit humorem superuacuum. Valentiora emplastra non æque tuto adhiberi possunt. In eo ergo subsistendum est. Exhausto mali fonte cum iam caput excrementis prorsus vacabit, & confirmatum erit, postrema curationis parte, artus omnes & articuli laxiores adstringentur, & firmabuntur balneo eiusmodi: ℞. *fol. myrtini, balaustiorum, rosarum rubearum, plantagi-*

nis, verbasci, laûri, origani, calamenti, pulegij, thymi, saluiæ, florum rorismarini an. M.ij. baccar, iuniperi vnc. iij. aluminis rochæ ℔. iiij. bulliant omnia in aqua sufficienti pro Balneo. In hoc diutius immorandum ad duas treſve horas, neque sudores mouendi sint, vt artus melius firmentur. Continuetur autem triduum, aut quatriduum, mane, ieiuno ventriculo. Hæc certa & minime fallax curatio vtramque arthritidis causam, tum eam quæ excrementum facit, tum ipsam articulorum imbecillitatem ita radicitus euellit, vt exin laborans ab ea immunis & tutus euadat. Atnihilominus ne sic quidem ei confidendum, vt protinus ad intemperatiorem viuendi formam redire liceat. Sed moderatiore victu deinceps obseruato, quotannis Vere & Autumno purgatio decernenda, quæ consuetum inuasionis tempus interuertat. Postridie caput præscripto lixiuio lauandum, atq; etiam tertio quartoque die, ac balneum postea imperandum. Hęc curandi ratio à Fernelio olim pro Marchione Brandemburgensi instituta, mihi videtur ad propositum arthritidis genus accommodatissima.

c.5.d.3.app.

Consultabat Frambesarius cum pluribus Medicis pro nobili viro, Aurelijs, Anno 1595. mense Octob.

MEDICAMENTA AD ARTHRITIDEM A VETERIBVS AC RECENTIORIBVS commendata.

Medicamenta arthritica.

MVLTA à veteribus ac recentioribus medicamenta Arthritidi peculiariter conferre traduntur, quorum alia morbi materiam detrahunt, vel alui deiectione, vel vomitu, vel vrinis, vel sudoribus, vel menstruis, vel alio vacuationis genere: alia ardorem extinguunt, & fluxionem arcent, alia dolorem qui citra inflammationem fuerit compescunt: alia dolore sedato impactum humorem attenuant, & digerunt, ne tempore obdurescens in tophum concrescat, articulumq; imbecilliorem confirmant & corroborant. Ego singula ordine breuiter enarraturus, ducam à Kenoticis exordium,

Agari-

Agaricus trium obolorum pondere ex oxymelite potus, ad articulorum & coxendicum dolores facit. *Dioſc.* Pituitam quippe craſſam & lentam, ac bilem flauam & atram purgat Galeno, à iuncturis, cerebro, hepate, cæteriſq; partibus ſuperuacaneum humorem ad articulos mittentibus. Vrinam quoq; mouet, *Meſu.* 1. *Claſſis.*

Hermodactylus pituitam craſſam ex articulis trahit & expurgat: propterea podagræ, ac cæteris arthritidis differentiis confert, non ſumptus modo, ſed etiam in cataplaſmate admotus. *Meſue. & Fernel.* Animaduerte tamen quæ prodita ſunt *can.* 7. *diſt.* 3. *app.*

Elleborus niger purgat ventrem, detrahit bilem, pituitamque: hinc prodeſt articulariis doloribus. *Dioſc.* Sed ſolis robuſtis & animoſis dandus, arte caſtigatus. *Meſue.*

Ius è vetere gallinaceo aluum deiicit, crudos humores craſſoſque, atram bilem & ſtrigmenta elicit, ideo prodeſt articulariis morbis. *Dioſcor.*

Ricinus deiectione ac vomitione ſeroſos articulorum humores expurgat, ſimulq; craſſam pituitam ac bilem. Dantur eius grana in iure galli antiqui cocta, ad podagram & iſchiadem. *Meſue. Fernel.*

Aſarum purgat vomitu & deiectione & vrinis bilem, ſed pituitam manifeſtius, etiam ex coxendice & aliis articulis; ob id arthriticos & iſchiaticos dolores mitigat infuſum vel aliter exhibitum. *Dioſc. Meſue.*

Spartum geniſta appellatum, ſecunda claſſe calidorum & ſiccorum, perturbat, prouocat, incidit, attenuat. Eius flores cum melicrato poti per ſuperiora vehementer purgant ellebori vice, idq; citra periculum. Hinc iſchiadicis & podagricis proſunt, ſi poſtquam illos ſumpſerint, ſubinde frequenter euomant. Semen epotum pituitam valentiſſime vomitu & deiectione etiam purgat & ab articulis trahit, vrinamque efficaciſſime ducit. Quinetiam ſuccus ex ramis in aqua maceratis mox tuſis extractus, iſchiadicis auxiliatur, ſi cyathi modum ieiuni bibant. Quidam marina aqua macerare malunt, & infundere iſchiadicis clyſtere: ſtrigmenta autem elicit, atque cruenta. *Ex Dioſc. & Meſue.*

Colocynthis clyſtere infuſa coxendicum doloribus prodeſt, vt quæ bilem, pituitam & ſtrigmenta, interdum etiam cruorem eliciat. *Dioſcor.*

Cucu-

Cucumer agreſtis purgat potenter pituitam vomitu & deiectione, ac interdum bilem ſeroſumque excrementum etiam euulſi contumax à iuncturis mirifice trahit, ſucco & radice: hinc articulorum dolores ſanat; iſchiadem etiam iuuat cataplaſmate impoſitus, vel clyſtere iniectus. *Dioſcor. & Meſue.*

Iridis ſuccus ex radice recenti expreſſus, in coxendicum dolore, vtiliter clyſteribus infunditur. Pituitam ſiquidem craſſam, & miſtam illi bilem, ac præter hæc aquas ſeroſas purgat, idq; clementer. *Meſue.*

Centaurij minoris decocti ius clyſtere ſæpe infuſum iſchiadis mirificum auxilium præſtat: humorem quippe morbificum elicit, doloremque leuat. *Dioſc. Meſue.*

Ebuli ſemen ex decocto chamæpytios podagricis & iſchiadicis datur vtiliter drachmæ pondere. Nam deiectoria vi eorum dolores eximie mulcet, quod tuentes in partes affectas humores cum reuocet, tum excludat. *Matthiol.*

Aſcyri ſemen in hydromelitis ſextario potum valet ad iſchiadicos. Nam bilioſa excrementa ampliſſime detrahit. *Dioſc.*

Androſæmi ſemen tritum drachmis duabus potum, bilioſa alui excrementa pellit: quocirca iſchiadicis maxime medetur. *Dioſc.*

Hyperici ſemen cum diureticum ſit, quadraginta diebus hauſtum, iſchiadicis auxiliatur. *Dioſco.*

Smyrnii ſemen excalfactoriam vim habet, ſudores ciet, menſes ducit; propterea commode datur iſchiadicis in vino. *Dioſcor.*

Abrotoni ſemen ex aqua potum iſchiadicis opitulatur. Siquidem vrinam mouet, & ſuppreſſos menſes prouocat. *Dioſc.*

Cardamomum excalfactoriam vim habet, vrinæ difficultati medetur, facit ad iſchiadicos ex aqua potum. *Dioſc.*

Capparis fructus in coxarum doloribus vtiliſſime bibitur. Etenim vrinam cruentumque excrementum emittit, ac menſes ciet. *Dioſcor.*

Ruta calfacit, vrinam mouet, menſtrua ducit; hinc facit ad coxendicum, articulorumq; cruciatus ex vino pota. *Dioſc.*

Betonica vrinam ciet, aluum ſubducit; propterea iſchiadicis vtiliter ex aqua datur. *Dioſc.*

Chamæpytios folia quadraginta diebus ex hydromelite pota iſchiadicos ſanant. *Dioſc.*

Eiuſdem

Eiusdem puluis terebinthinæ semuncia exceptus frequentet deuoratus, ad omne genus arthritidis efficacissimus. *Matthiol.*

Siquidem effectu purgat chamæpytis, stergitq; viscera plus quam calfacit, vrinas mouet, menses ducit. *Galen.*

Thymi aridi semuncia cum oxymelitis cyatho data ieiunis, articulari morbo laborantibus opitulatur. Bilem enim reliquosque humores atque acres saniem vacuat. *Ætius.*

Erythrodani radix vrinam ciet, qua de causa ischiadicis opitulatur pota cum aqua mulsa. *Dioscor.*

Polemoniæ radix eadem de causa bibitur ex aqua aduersus coxendicum cruciatus. *Dioscor.*

Asparagi radix cum ficis aut ciceribus sumpta, coxendicum cruciatus lenat, quia mouet vrinas. *Dioscor.*

Altheæ radicis decoctum cum vino potum, vt vrinæ difficultati & calculosorum cruditati, ita & ischiadicis succurrit. *Dioscor.* emolliendo, laxando, leniendo, digerendo. *Frambesar.*

Populi albæ cortex potus vnciæ vnius pondere, ischiadicis prodest, vt & vrinæ stillicidio. *Dioscor.* Siquidē populus alba mistæ quodammodo temperaturæ, abstergentis facultatis est particeps. *Gal.*

Ligni guaiaci, radicis Chynæ & Zarzæ parillæ decoctum diebus quadraginta potum, ad diuturnos articulorum dolores vtilissimum, quia morbi materiam per sudores educit. *Matthiol.*

Oxymeli ischiadicis & podagricis prodesse creditur, quia extenuando & detergendo crassos & lentos qui ad articulorum compagines defluxerunt humores extrahit. *Dioscor.*

Propositis vniuersalibus, ad topica veniendum. Cum chiragræ aut podagræ initio dolor, ardorq; articulos obsidet, ex calidi humoris fluxione, hæc ex vsu erunt: 2. *Classis.*

Rosarum, plantaginis & solani aqua stillatitia cum aceti quadrante, fotu calido inflammationes arthriticas sedat, reprimitque fluxiones. Ex *Fernel.*

Psyllij & cydoniorum semen in aqua plantaginis vel solani maceratum, mucaginem edit ad omnes inflammationes, sed propriæ ad calidos articulorum dolores imprimis salutarem. *Ex Dioscor. Fernel. &c.*

Helxine refrigerandi spissandiq; naturam habet, qua ex causa sanat illitu inflammationes, imponitur podagris cum hircino adipe, *Dios.*

Apuleius aduerſus podagram decoquit in aqua parietariam,& ea partes affectas fouet, herbamque ipſam cum axungia tuſam cataplaſmatis modo imponit.

Lenticula paluſtris frigida & humida ordine ſecundo, podagris, omnibuſque collectionibus calidis commode illinitur cum polenta. *Fernel.*

Intybus per ſe,aut cum polenta podagris vtiliter illinitur. *Dioſc.*

Sunt qui oxalide efficaciter vtantur cum polenta aduerſus calidas podagras. *Mizald.*

Hyoſcyami & ſemperuiui folia recentia per ſe, aut cum polenta calidas, acreſque fluxiones ſiſtunt, omneſque dolores mitigant, propterea podagris vtiliſſime adhibentur. Eadem vis cicutæ & mandragoræ. *Ex Dioſc. Fernel. &c.*

Cucurbitæ crudæ ramenta illita podagras refrigerant. *Dioſc.*

Opium cum lacte muliebri & croco adhibitum, podagras proficit. *Dioſc.* Nam ſenſus torpore inducto in calidis præſertim affectibus dolorem ſedat atque conſopit.

Cochleæ crudæ tum tegumentis impoſitæ, podagricas inflammationes leniunt. *Dioſc.*

Limacum teſta carentium aquæ per ſeptem vel octo dies illitæ iſchiadicos dolores ſedaſſe, cum nullis aliis remediis ceſſiſſent, multorum experimentis compertum eſt. Cape limaces rubros quinquaginta aut ſexaginta, pone in olla cuprea & ſale communi conſperge, illicque contine per diem integrum, mox per cilicium exprime, in expreſſa colatura lintea demerge, imbutaque illo liquore dolenti loco impone ſæpius renouanda. Cæterum ſi magna ſubeſt inflammatio, incoquendi erunt limaces in aceto & aqua roſarum. *Par. Alij ex limacibus rubris* cum ſale & lauendula in ſtillatorium vas coniectis aquam eliciunt, hac imbuta lintea articulis dolentibus admouent. *Frambeſ.*

Amurca (expreſſæ oliuæ recrementum) decocta in cupreo vaſe mellis craſſitudinem adſtringit. Cruda & recens podagricos & arthriticos dolores fotu iuuat. *Dioſc.* Oliuæ fructus immaturus magis tum refrigerat; vbi autem ad vnguem maturuit, moderate calidus eſt. *Gal.*

3. Claſſis. Dolores vero quacumque ex cauſa ortus demulcent anodyna quæ ſequuntur:

Lac vaccinum acres fluxiones, partiumque omnium inflammationes

tiones fotu mitigat, quod & polentæ forma permiſtis paregoricis euidentius præſtat. *Fernel.*

Stercus vaccinum cum præſertim depaſcuntur herbas impoſitum emollit & reſoluit, ardores doloreſque mitigat, & addito aceto tumores digerit. *Fernel.*

Oeſypus calfacit & emollit, paululumque digerit, doloris quacumque ex cauſa compeſcit: quod & lana ſuccida eo imbuta præſtat. *Dioſc. Fernel.*

Thus calidum ordine ſecundo, ſiccum primo, anodynum quoque eſt, & ex oui candido ſubactum impoſitumque omnem dolorem lenit. *Fernel.*

Dolorum autem humorumque reliquias hæc impoſita digerunt & euocant debilioreſque articulos corroborant. 4. *Claſſis.*

Verbaſculum quod officinis primula Veris dicitur, calidum & ſiccum, manifeſte adſtringit atque digerit: foliaque tuſa vtiliter imponuntur articulorum doloribus. *Fernel.*

Chamæpytis quæ lua arthritica, citra inſignem calorem aut acrimoniam latentes in alto & in flaccidis partibus humores impoſita abſorbet & exſiccat, parteſque firmando roborat. *Fernel.*

Sambuci & ebuli folia recentia exiccandi ac digerendi vim habent, podagricis cum ſeuo taurino, aut hircino proſunt illita. *Dioſc. Plinius.*

Meliſſophylli folia cum ſale illita, articularios dolores ſedant. *Dioſc.* vt quæ calfaciendi & exiccandi vim habeant. *Frambeſ.*

Salicis folia & cortex exiccant & adſtringunt, eorum decocto podagras foueri optimum. *Dioſc.*

Populi nigræ folia cum aceto illita, magna vtilitate podagricis doloribus illinuntur. *Dioſc.*

Calida enim ſunt primo gradu, & aliquantulum ſicca. Verum & ſubtiliorum potius quam craſſiorum ſunt partium. *Gal.*

Pentaphyllon vehementer deſiccat & aſtringit. *Gal.*

Impoſitum articulis vtiliſſimum. *Plin.*

Quin & radicis decoctæ ius arthriticis & iſchiadicis auxiliatur potum. *Dioſc.*

Amomum vim habet calfaciendi, adſtringendi, exiccandi; ex ocimo illitum podagricis confert. *Dioſc.*

Bellis calida & ſicca, laudatur ad podagram & iſchiadem. *Fuchſ.*

Braſſica exiccandi, abſtergendi ac digerendi vi prædita, cum fœnigræci farina & aceto vtiliter podagris, & aliorum articulorum vitiis illinitur. *Dioſc.*

Calamintha iſchiadicis imponitur vt ex alto humores euocet, ſummam cutem exurens. *Dioſc.*

Scordium vim excalfactoriam habet, cum aceto acri, aut aqua podagris conuenienter illinitur. *Dioſc.*

Puleglum calfacit, extenuat, coquit, podagris per ſe ſubuenit impoſitum vſque dum rubeſcat locus. *Dioſc.*

Thymus cũ vino & polenta impoſitus iſchiadicis ſubuenit. *Dioſc.*

Roſmarinus podagris cum loliacea farina & aceto tritus, vtiliter illinitur. *Dioſc.*

Iberis quam alij lepidium vocant, acris & exulcerantis facultatis particeps, ad coxendicum dolores, emplaſtri modo impoſita, à Dioſcoride, Damocrate & Galeno celebratur. *Frambeſ.*

Naſturtij quemadmodum & vrticæ ſemen adurentis particeps eſt facultatis, & idcirco fixos peruicaceſque coxendicis dolores enellit. *Fernel.*

Sinapi cum ficis admiſtum, donec rubeſcat locus, ad coxendicum cruciatus impoſitum, & omne genus doloris confert, cum permutandæ valetudinis cauſa ex alto vitia extrahenda ſunt. *Dioſc.*

Tapſiæ ſuccus in diuturnis articulorum doloribus vtiliter illinitur. Vim quippe habet extractoriam ex alto, vbi ex imo aliquid euocandum eſt. *Dioſc.*

Iuniperus calida & ſicca tertij ordinis. *Gal.*

Paratur ex iunipero ligno balneum admirabilis facultatis ad podagricos, hoc modo: Sumito ligni iuniperini conciſi lib. xij. coquito in aqua in cortina magna, quouſque tertia tantum pars ſuperſit. Deinde decoctum vna cum ligno in labrum proiicito. In hoc vbi deſcenderit æger ante perpurgatus, ſedeat vmbilico tenus, & membra languida foueat. Hoc balneo nonnullos podagricos in Boëmia vidimus in lectulo iacentes, perpetuoque dolore vexatos, qui adeo reualuerunt, vt expeditiores facti, ad negotia redierint, quoquolibet ambulantes. *Matthiol.*

Cyclamini decocto podagras foueri congruum eſt. *Dioſc.* quia attra-

attrahit & digerit. *Gal.*

Bryonia cum caprino ſtercore cataplaſmatis addita, ad arthritidem efficaciſſima, ob amaritudinem ac mediocrem adſtrictionem quã poſſidet. *Ex Matthiol.*

Helenij radix calfaciendi, exiccandique vi quam in vniuerſum habet, frigidos diuturnoſque coxendicum dolores, & articulos humore nimio luxatos ſanat. Eiuſdem folia ex vino cocta vtiliter iſchiadicis illinuntur. *Ex Dioſc. Gal. Fernel.*

Cannabis ſylueſtris radix decocta, illitu inflammationes mulcet, tumores diſcutit, tophos articulorum diſſipat. *Dioſc.* quia calfacit & exiccat. *Frambeſ.*

Leucoij lutei radix cum aceto illita podagricos iuuat. *Dioſc.* Vniuerſus Leucoij frutex præ amaritudine extergentem facultatem poſſidet, ac tenuium partium eſt. *Gal.*

Bulbi omnes acrimoniam habent, excalfaciunt, articulorum doloribus efficaciter illinuntur. *Dioſc.*

Narciſſi radix diuturnis articulorum doloribus trita ex melle, & impoſita ſubuenit. *Dioſc.*

Exiccandi quippe facultate pollet, habet & quiddam abſterſorium & attractorium. *Gal.*

Rapi radicis decocto podagræ fouentur, contritoque rapo atque impoſito iuuantur. *Dioſc.*

Ari radix ex fimo bubulo podagris illinitur. *Dioſc.* Habet enim calfaciendi & exiccandi vim. *Gal.*

Lolium decoctum ex aqua mulſa, vtiliſſime iſchiadicis illinitur. *Dioſc.*

Quia deſiccat & excalfacit efficaciter, vt propinquum ſit acribus. *Gal.*

Lupinorum farina inflammationes cum polenta & aqua mitigat, coxendicum cruciatus ex aceto lenit. *Dioſc.*

Quia ſine mordicatione digerit. *Gal.*

Adeps hircinus, podagricis auxiliatur cum fimo capræ & croco impoſitus, vt qui validiſſime diſcutit. Huic proportione reſpondet ouillus. *Dioſc.*

Opopanax, bdellium, ammoniacum, ſagapenum & galbanum, excalfaciendi, emolliendi & digerendi vi, iſchiadicis & podagricis opitulan-

tulantur, articulorum tophos dissoluunt, neruorumq; nodulos ac duritias discutiunt. *Ex Gal. & Fernel.*

Castorium calidum, tenuiumque partium, neruis accommodatum, omnibus scirrhosis & contumacibus eorum affectibus prodest potum illitumve. *Ex Fernel.*

Euphorbium omnium calidissimum causticæ facultatis, tenuium partium, crassos & lentos humores quocumq; sint loco, incidendo digerit, coxendicos & paralyticos iuuat. *Fernel.*

Sulphur podagricis cum aqua & nitro illitum, conducit. *Dioscor.* Est enim temperamenti calidi, atque essentiæ tenuis, vnde trahendi vim possidet. *Galen.*

Sal quilibet vim habet vehementer siccam & adstringentem, vnde quicquid in corporibus humidum est, id omne depascit, reliquum adstrictione leuiter contrahit. *Paul.* Hinc podagricis imponitur cum aceto. *Dioscor.*

Ex his varia in rem præsentem medicamenta componuntur, vt apozemata, fomenta, linimenta, cataplasmata, cerata: Multæ etiam compositiones extant, aliæ purgantes, vt pilulæ de agarico, de hermodactylis, arthriticæ fœtidæ, electuarium diacarthamum, benedicta laxatiua: aliæ refrigerantes, vt oleum rosatum, vnguentum populeum, diachalciteos: aliæ anodynæ, vt oleum chamæmelinum, anethinum, liliorum, lumbricorum, vulpinum, keirinum: aliæ valentius discutientes, vt oleum irinum, è castoreo, ex euphorbio; vnguentum Martiatum, aregon; emplastrum è mucilaginibus, è meliloto, oxycroceum. Præfatis autem medicamentis non vtendum, nisi adhibitis diuturnis supra comprehensis.

TETRA-

ΤΕΤΡΑΣΤΙΧΟΝ.

Τ' ἄλλα μὲν ἐκπρύσας καὶ Φραμβησάρεος ἴσῃ,
Ἔμμενε δ' ἀρθῖτις κέντρον ἔχουσα μόνη.
Τήνδ' ἄϊδι πρόϊαψε, λέγων, σὺ δ' ἐκείπεο τ' ἄλλοις,
Ἠελίῳ ϕάος λεῖπεν ἐμῷ βιβλίοις.

I. G. R.

IDEM LATINE.

CAEtera Pæoniis mala Frambeſarius armis
Fuderat, Arthritis caſtra tenebat adhuc.
Hanc perimens, alias, inquit, comitabere peſtes:
Orcum habeas, noſtris aera cede libris.

Eiuſdem.

Arthritidis conqueſtus.

HEu me; quæ cunctos ridebam ſola medentes
Arthritis, venit nunc mihi ſumma dies.
Frambeſarius in Medicum Coryphæus aceruo
Depulit è caſtris, proh dolor! arte meis,
Amphitryoniades ſic quondam contulit Hydram
Ferro, ſed peior ſors mea ſorte ſua:
Spumoſam tantum cognouerat illa paludem,
Me Venus & Bachus continuere ſinu.

H. Bollanus Rethel.

N. ABRA.

N. ABRAHAMI FRAMBESARII ORATIO QVOTIDIANA AD DEVM.

DEVS OPTIME MAXIME, quiad artem Medicam excolendam, docendam, & exercendam me vocasti, cum persuasissimum habeam omnes labores meos sine tuo auxilio irritos esse, à te supplex oro, vt mentem meam clarissima Sancti Spiritus luce illumines ad institutam Medendi Methodum luculenter in dies præceptis & exemplis illustrandam, eleganter interpretandam, & in praxim fœliciter traducendam, ad omnium morborum mihi propositorum diagnosim perfecte consequendam, prognosim certo præsagiendam, ac therapiam recte moliendam, vt quæcumque ægrotis suam mihi salutem credentibus remedia ipse præscripturus sum, tua benedictione salutaria sint, quo mei conatus ad tui nominis gloriam tandem referantur. AMEN.

N. ABRAHAMI FRAMBESARII IN SVAS CONSVLTATIONES SINGVLIS Legum Medicinalium titulis subnexas Peroratio.

Ad Ornatissimum Præsulem

D. IOANNEM REGIVM, DOMINVM DAMASSANctæum, Abbatem Spernacensem, Regisque in supremo Senatu Consiliarium.

BENE (Antistes dignissime) Græcorum illo prouerbio præcipitur, Ἔρδοι τὶς ἣν ἔκαστος εἰδείη τέχνην. Quam quisque norit artem, in hoc

hoc ſe exerceat. Itaque cum in Medicinæ ſtudium diu incubuiſſem, clariſſimamque medendi methodum Catholicis canonibus ex Archiatrôn decretis conſtitutam literis mandaſſem: operæ pretium me facturum eſſe duxi, ſi ad eam modis omnibus exercendam totum me conferrem, quo publicæ mortalium omnium ſaluti conſulerem. Quamobrem in eo enixe operam dedi, vt non modo, de morbis quibuſque medendis conſultationes pro ijs omnibus, qui meam ſententiam precibus efflagitarunt, exortis legibus inſtituerem, ſed & ſingulas (vbi otium fuit) accuratius politiuſque exaratas, & ordine ſuo digeſtas, ſingulis legum Medicinalium promulgatarum titulis ſubnecterem, vt nec præſentibus modo hominibus, ſed & abſentibus ac poſteris, ſimilibus morbis laborantibus, conſuluiſſe videar: nec viuus tantum, verum etiam vita functus, apud omnes Medicus haberi poſſim, de philiatris in perpetuum bene meritus. Eoque ardentius hic elaborandum eſſe mihi propoſui, quod pauciſſimi hactenus Medici methodicas conſultationes monumentis tradiderint, quamuis vt præclare ſcriptum reliquit Argenterius, Medicus hac noſtra tempeſtate longe ingenioſiſſimus ac doctiſſimus, nihil recta conſultandi ratione aptius in noſtra facultate queat inueniri ad honorem comparandum, cum quiſque in conſultationibus poſſit oſtendere, quantum litterarum ſtudio profecerit, quidque medendi vſu ſit conſequutus. Quod fit vt ſæpius videamus inſcitiam multorum, qui pro doctis diu ſunt habiti, aſtutiamque pro virtute, ſimulata eruditione, ignaris venditarunt, in conſultationibus perinde deiectam, vt poſtea famam omnem, quam immerito ſibi parauerant, amiſerint: aliorum vere virtutem, quæ antea ſuis ſtudiis contenta, multis haud quaquam perſpecta fuerat, aut fauore vel inuidia aliorum obruta delituerat, ſtatim emerſiſſe, ac dignas ſuas laudes recepiſſe. Neque id quidem mirum, cum Medici ingenium, doctrina, prudentia, modeſtia, aliæque virtutes quæ beneuolentiam hominibus conciliare ſolent, in conſultando maxime eluceant. Lucubrationes haſce meas multo quam ante hac illuſtriores & ad communem vſum aptiores tibi offero (Præſul ornatiſſime) ad meum pro tua ſingulari in me beneuolentia animum teſtatiorem apud te relinquendum. Quocirca ego te non minus virtute quam genere præclarum, indeque ad dignitates euectum pro tua in Apollinis cultores propenſa voluntate, vt

hoc munuſculum meæ perpetuæ in te obſeruantiæ teſtimonium, hilari fronte accipias ſupplex rogo. Vale.

AVTHOR AD CENSOREM.

Cum tua non edas, carpis mea pragmata Cenſor
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.
Candidus imperti meliora, vel vtere noſtris.
Aut alios noſtro mitte labore frui.

AD ZOILVM.

Tentas Frambeſarii in caſſum extinguere nomen,
Liuide, præclarum iam ſuper aſtra volat.
Cum ſua ſcripta videt cœli de vertice Phœbus,
Laurum deponens, his ego vincor, ait.

M. Literatus.

RENATI CARTONIS REMI CARmen ad Lectorem.

Quid molem ſpectas? radio qui gentibus orbem
Deſcribit, Paucis grande recondit opus:
Multa ſimul facili ſic FRAMBESARIVS arte
Contrahit, exiguis conſpicienda libris.
Quippe Machaonia myſteria totius artis
Antiquis longè ſplendidiora refert.
Ergo ſuum Coum ceſſet iactare medentem,
Ceſſet Arabs, noſtri gloria maior erit.

N. ABRA.

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTATIONUM Medicinalium

LIBER SEPTIMVS.

Complectens Methodum in curationibus Tumorum contra Naturam obseruandam.

AD LECTOREM.

COmmonstrata sufficienter Methodo, quæ in ea parte Medicinæ, Therapeutica appellatur eiusque praxi obseruandæ venit, & non minus præceptis quam exemplis illustrata: ne quid ad perfectionem operis nostri desideraretur, visum est eodem tractu eas persequi Leges, quæ ad faciendam Methodice Chirurgiam spectant, cum hæc non ignobilem Medicinæ partem constituat. Sicut enim corpus integrum dici non potest, cui præcipuum aliquod membrum deest, ita Medicina defectus nomine iure arguetur, cui Chirurgia defuerit. Ad hanc autem recte ac Methodice faciendam, non minus quam in Therapeutica requiritur, vt qui offertur morbus aut ægritudo probe consideretur, imprimis eius causa & locus affectus. Deinde vt hinc prudens fiat coniectura, sitne inde aliquid periculi vel non expectandum? vt satis mature id ægrotantis amicis significari possit: Si enim incurabilis deprehendatur, manus ei adhibenda non erit. Tertio, si recipere curam Medicam videatur, vt adhibeantur conuenienti modo remedia. Et hæc est causa, ob quam primo libro ostendi Canones Diagnosticos Chirurgis adeo necessarios ad cognoscendum præsentem morbum: deinde Prognosticos ad iudicandum de illius euentu: Tertio partem Therapeuticam, ad curam illius. Has autem Regulas nostras illustrauimus Lectionibus superiori tempore ad studiosos Chirurgiæ habitis, vt probe & ex fundamẽto perciperent partem Theoricam: hinc eos deducimus ad Praxin adiunctis ad præcepta notabilibus curationum exemplis non paucis, quæ olim adolescens vidi patrare Hectorem Abrahamum patrem meum, virum magnæ eruditionis

tionis & experientiæ, qui imitatus in eo Hippocratem, Medicinã cum Chirurgica magna cum laude coniungens, vtramque feliciter per quinquaginta annos exercuit in Veromanduis. Cæterum in hoc opere, omnia morborum externorum genera, in tres *libros distinximus, in quibus morbis ad Chirurgorum consilia confugi solet:* Primus *tractabit de* TVMORIBVS *contra naturam.* Secundus *de* PLAGIS *&* VLCERIBVS. Postremus *de* FRACTVRIS *&* LVXATIONIBVS. *Hæc autem omnia, Lector Beneuole, non minus tuis consecramus commodis atque emolumentis, quam superiora omnia, è quibus, vt quamplurimum ad te redeat vtilitatis, vouemus.*

SEQVVNTVR NVNC REGVLÆ siue Leges.

I.

Quid sit Tumor cõtra naturam.

TVMOR contra naturam est solutio continuitatis, proueniens ab aliquo humore in certo loco corporis collecto, qui disiungit partis vnitas, interque eas se insinuat, alterato earum temperamento impressoque qualitatis suæ vitio, vnde partes illas reddit deformes, dum naturalem suam quantitatem egrediuntur. Adest igitur intemperatura & mala conformatio cum solutione continui. Præbuit hæc res occasionem Arabibus, vt definirent Tumorem contra naturam Dispositionem compositam ex tribus morbi generibus in vnam magnitudinem collectis, eumque appellauerunt APOSTEMA.

NOTÆ.

Ratio definitionis.

TVMOR.] In definitione Tumoris contra naturam Genus constituimus *Solutionem continuitatis.* Paulo post dicimus, *prouenire eam ab aliquo humore in certo corporis loco collecto*, ad differentiam tumorum contra naturam, qui apparent in dislocationibus & fracturis, vbi non sunt humores, sed os eleuatum. Quæ sequuntur in definitione, adiecta sunt, vt melius exprimeretur, quomodo humor producat solutionem continui, cum intemperatura & deformitate. Gal. ad Glauc.

Origo nominis Apostematis.

APOSTEMA] Origo huius vocis est à Græco ἀφίστημι, quod Latinis est *abscedere*, cum quidpiam ab vno loco abscedit & in alium se recipit. Nam humores qui Apostema faciunt, è venis prodeunt, procul

cul à ſua maſſa, omiſſoque loco ſuo & gubernatione naturæ, recipiunt ſe in alium aliquem locum ſiue partem corporis, eamque obſident, conſtituentes ibi ſibi ſedem, adhibentes vim repugnanti naturæ. Vnde patet, Græcum nomen ἀπόστημα, & Latinam vocem *abſceſſus* ſignificare collectionem humorum è proprio naturalique ſuo loco ſeorſim digreſſorum. Et hæc eſt cauſa, quare Arabes voce Apoſtematis generatim vtuntur, adducti ratione etymi, pro quouis Tumore contra naturam. Idem vero & Græci aliquando faciunt; ſed hi ſæpius id vocabulum ſumunt in ſpecie pro Tumore orto à materia aliqua extranea, membrana quadam concluſa, non diſſimili ſeuo, aut pappæ, vel melli, vnde hæc nomina: *Steatoma, Atheroma, Meliceris.* Vtuntur & aliquando pro *Phlegmone* vergente ad ſuppurationem, vel quouis alio tumore, cuius materia in pus conuertitur. Vnde vulgus Chirurgorum etiam apud alias nationes hanc loquendi formulam traxit, vt dicant, Tumor ille in Apoſtema degenerat, id eſt, ad ſuppurationem peruenit.

Eius vſus duplex, generalis & ſpecialis.

II.

Fit autem Tumor contra naturam duobus modis: Per Fluxionem vel per Congeſtionem. Fluxio fit ſubito, cum humor peccans vel in quantitate vel qualitate, ſimul ac ſemel & cum quadam violentia irruit in aliquod membrum, ob plenitudinem vel cacochymiam totius corporis, vel vi partis expellentis, vel ob debilitatem, raritatem, laxitatem, decliuem ſitum, calorem vel dolorem recipientis. Congeſtio vero paulatim fit, cum ſuccedente tempore humor quiſpiam excrementoſus ſe colligit in parte aliqua corporis, ob imbecillitatem facultatis concoctricis & expultricis.

Tumor alius à congeſtione, alius à fluxione.

NOTÆ.

Fluxio] Fernelius cap. 1. lib. VII. Pathologiæ ſuæ definit Fluxionem impetuoſam & ſubitam effuſionem humoris in maiore quantitate, quã ad nutritionem illius partis requiratur. Procedunt autem cauſæ Fluxionis à vicio totius corporis, vel partis mandantis aut recipientis. A toto corpore, cum id eſt Plethoricum, vel Cacochymicum, vt ſic vel abundantia vel malitia materiæ irritet naturam ad excretionem. A parte mandante, quod hæc vtitur virtute ſua expultrice ad eiiciendum foras aut alio amandandum humores peccantes, qui ei vel quantitate ſua vel qualitate moleſti ſunt, vt iis ſe exoneret. A recipiente, propter eius debili-

Fluxio quid ſit & vnde.

litatem, raritatem, laxitatem, ſitum decliuem, vel calorem aut dolorem à cauſis internis vel externis prouocatum.

Congeſtio quid ſit & vnde.

Congeſtio vero] Congeſtio eſt cumulus excrementorum tertiæ concoctionis, qui paulatim aggeritur in parte aliqua corporis ob impotentiam virtutis digeſtiuæ vel expulſiuę, ſic, vt debilitas facultatis cõcoctricis in illa parte impedimento ſit ne fiat aſſimilatio humorum & aliméti deprauati eo miſſi. Imbecillitas vero virtutis expultricis reijcere ſuperfluũ nõ poteſt. Nam (vt ait Fernelius) poſtquam pars tam imbecilla eſt, vt nutrimentũ ad ſe tranſmiſſum in propriam ſuam ſubſtantiã conuertere non poſſit, vel ſi adeo corrupta eſt, vt idem quoq; nutrimentũ corrumpat, neq; ſuperfluitates ibi genitas reiicere & exonerare queat, neceſſario ſequitur, vt congeſtio quædã contra naturam fiat, & per conſequens Tumor. Porro, cum materia congeſtionem faciens non emittatur, ſed multiplicetur & accumuletur per imbecillitatẽ partis, certũ eſt, Tumorem, qui per congeſtionem fit, non generari à cauſa antecedente (vt in Fluxione accidit) ſed ſolummodo à cauſa coniuncta.

III.

Tot genera tumorum quot humores.

Cum autem quatuor ſint Humores Principes: Sanguis, Bilis, Pituita, Melancholia; generantur quoque quatuor Tumores principales: Phlegmone, Eryſipelas, Oedema, Scirrhus, ad quas quatuor ſpeces cæteræ omnes reduci poſſunt.

NOTÆ.

Tumorum differentiæ vnde ſumantur.

Sumuntur differentiæ Tumorum contra naturam aliquando à quãtitate, vnde & appellantur Magni, Mediocres vel Parui: aliquãdo ab accidẽtibus, puta à primis vel ſecundis qualitatibus, quarum reſpectu vocantur calidi & frigidi, molles ſiue duri: interdum dicũtur à calore albi, flaui, rubicundi, liuidi. Ratione doloris, cum is eſt vel intenſior vel remiſſior. Ratione partium affectarum; vt in oculo eſt Ophthalmia, in auribus Pareotis, in digitis & radicibus vnguium Paronychia: inprimis autem deſumuntur à materia, è qua generantur: adeo, vt teſte Galeno *cap.* IV. *lib.* XIII. *Methodi*, diuerſitas omnium Tumorum contra naturam proueniat à natura illius quod fluit, id eſt, à diuerſitate materiæ quæ producit Tumorem: & hinc quidem ſunt diuerſa genera Tumorum. Cum autem materia vniuſcuiuſque Tumoris ad vnum ex illis quatuor principibus Humoribus referri poſſit, ideo veteres Medici omnes Tumores ad vnum genus è quatuor illis principalibus referre voluerunt.

IV.

IV.

Phlegmone eſt Tumor generatus à ſanguine laudabili in qualitate, proſiliente ſemel ac ſimul extra venas maiore quantitate, q̃ pars illa ad nutrimentum ſui opus habeat, inducẽs calorem, ruborem, tenſionem, renitentiam, pulſationẽ cum magno dolore, vt manifeſtum eſt ex ophthalmia, Parotide, Synanche, aliiſq; Phlegmones ſpeciebus, q̃ ſpecies omnes à partib. in quas incũbunt, trahunt denominationẽ. Eſt a. Phlegmone tanto exquiſitior, quãto ſanguis, vnde genita eſt, melius eſt temperatus. Quod ſi ſanguis ille participet de cholera, Pituita vel Melancholia plus iuſto, retinet quoq; Phlegmone aliquid de eadẽ natura, quã habet Eryſipelas, Oedema aut Scirrhus. Poſſunt a. ad Phlegmonen reduci omnes ſpecies Tumorũ, q̃ ꝓducuntur à ſanguine, cuiuſmodi ſunt Phygethlõ, Bubo, Carbunculus, Furũculus, & alia eiuſmodi tubercula. *Quid ſit Phlegmone*

NOTÆ.

Phlegmone eſt Tumor generatus à ſanguine] Apud Galenum libro de differentiis morborũ, Phlegmone duob. modis capitur: generatim, ex cõſuetudine antiquorũ, q̃ ante eũ vixerũt, ꝓ omni inflãmatione & ardore partiũ, etiã cum illa ſiue Tumore, id eſt, ꝓ omni diſpoſitione calida & vrente, quas Græci vſitato vocabulo appellãt *Phlogoſes*: deinde ꝓprie, more recentiũ medicorũ, quib. eſt Tumor à puro veroq; ſanguine generatus, id eſt, laudabili in qualitate. Ipſum nomẽ Phlegmones venit à Græco φλεγμαίνειν, quod deſcendit à primitiuo ſuo φλέγειν, ſignificãte ardere, vrere, inflammare: vt ita φλεγμονὴ aliud non ſit quã inflammatio. *Phlegmones vocabulum non vno modo ſumitur.* *Ratio Etymi.*

Laudabili in qualitate] Hic nobis forte quis non iniuria obiicere poſſet, in omni Phlegmone ad vitium quantitatis accedere malum quoq; temperamentum. Nam à ſuperflua quãtitate, quam natura regere amplius non poteſt, introducitur calor alienus, qui neceſſario cauſatur putrefactionem materiæ, vnde ſequitur, in Phlegmone ſanguinem non in quantitate duntaxat peccare, ſed etiam in qualitate. Huic obiectioni reſpondeo: ſanguinem, vnde generatur Phlegmone, bonum & laudabilem eſſe in qualitate, dum adhuc continetur intra venas, & eſſe ſolummodo cauſam antecedentem eius affectus: quando autem ad partem recipientem deſcendit, ſimul fit cauſa coniuncta Phlegmones, peccatq; tunc non minus qualitate quam quantitate. *Obiectio & eius ſolutio.*

Proſiliente ſimul ac ſemel] Generatur Phlegmone ad hũc modũ. Quãdo Venæ & Arteriæ maiores inflãtur & grauãtur nimia sãguinis quãtitate, dep- *Generatio propria Phlegmones.*

deponunt eum velut oneroſam ſarcinam, remittuntq; ad mediocres, & hæ rurſum ad minores. Tunc ſanguis, qui retineri non potuit neq; per oſcula venarum, neque per poros & ſuſpiracula tunicarum, exundat & deſidet in concauitatem illam, quæ eſt inter fibras primarium & fundamētalium partium corporis, inprimis inter muſculos, neruos, tēdones, ligamenta & membranas: eo pacto, vt partes illæ velut inebriatæ & turgidæ fluxione illa, crepent quaſi, adeo inflantur materia illa.

Calor. *Inducens calorem*] Quia ſanguis per ſe naturæ calidæ defluens ad partē maiorem quantitate, quam neceſſe erat, ibiq; accumulatus, gignit obſtructiones, à quibus euacuatio in partibus vacuis impeditur, cumque refrigerari non poſſit, putreſcit atque inflammatur, accedente etiam extraneo calore.

Rubor. *Ruborem*] Ratione ſanguinis, qui ruber eſt. Is enim humor qui prędominatur, ſuo colore tingit cutem & partem, in qua ipſe abundat.

Tenſio & renitentia. *Tenſionem & Renitentiam*] Quia tunc cum ſanguis fluit in aliquam partem quo nō debet, primo replentur Venæ & arteriæ maiores, deinde & conſequenter minores, poſtea pori partium ſimilarium, vnde deinceps omnes partes vicinæ inebriantur. hinc ſequitur neceſſario tumor cum tenſione & renitentia, cum nimia repletio vt vltra menſuram adſit.

Pulſatio. *Pulſationem*] propter pulſum arteriarum, qui excitatur verſus partem affectam & inflammatam, vnde oritur dolor pulſatis. Hinc fit, vt illi qui à Phlegmone obtinentur dicant, ſentire ſe in affecta parte pulſum velut incuſſum malleoli.

Dolor. *Cum magno dolore*] Ob nimium & inſuetū calorem, tenſionē, pulſum.

Ophthalmia. *Ophthalmia*] Vide *titulum primum libri tertij*, vbi de eius notis, cauſis, præſagiis & cura.

Parotis. *Parotide*] Parotis eſt ſpecies Phlegmones, occupans glandulas quæ ſunt circa aures, & emunctoria cerebri dicuntur: quæ glandulæ, cum ſint laxæ & raræ, facile ſuſcipiunt illius ſuperfluitates.

Synanche. *Synanche*) de huius ſpeciebus, cauſis, notis, præſagiis & cura vide titulum VII. lib. III.

Aliisq; Phlegmones ſpeciebus:] verbi gratia, Pleureſi, Peripneumonia, & Inflammatione gingiuarum.

Phlegmones differentiæ variæ. *Eſt autem Phlegmone tanto exquiſitior*] In Phlegmones genere aliæ quidem ſunt veræ & exquiſitæ, aliæ non. Voco autem Phlegmonen veram & legitimam, quæ oritur à ſanguine bene temperato, nec niſi in quantitate

te delinquente, vnde Phlegmone ſpuria ſiue Notha erit, quæ oritur quidem à ſanguine, ſed cum bile, vel pituita, vel Melancholia vltra mẽſuram mixto. Sic cũ maſſa ſanguinis bene temperati amplificatur & augetur, vt excedat fines à natura cõſtitutos, tunc peccat in quantitate, facitque Phlegmonen veram. Si vero maſſa ſanguinis eſt intemperata, vt commutatione quadam ſubſtantiæ vel alteratione qualitatis ſucci abiiciant deſerantue naturalem ſuam proportionem, tunc eſt vitium in ſanguine ratione qualitatis, gigniturq; Phlegmone non vera, q̃ ab humore, de quo magis participat, denominatur, vt Phlegmone Eryſipelatoſa, cũ plus ſatis choleræ miſcetur ſanguini; Oedematoſa, cum abũdat pituita: Scirrhoſa, cum ſuperat melancholia. Cæterũ, vt de me profitear nõ poſſum probare opinionem quorũdam, qui definiunt veram & legitimam Phlegmonen eam q̃ fit ex ſanguine puro, & nõ veram, quę generatur ex ſanguine non puro, cum conſtet, Phlegmonen gigni non poſſe ex puro ſanguine ſine admixtione aliorum humorũ, ſiue fiat per congeſtionem ſiue fluxionẽ. Quamuis enim cõgeſtio facere Phlegmonen ſoleat (quod tamen raro admodum cõtingit) materia multiplicata ob imbecillitatem mẽbri nihil aliud eſt quã id q̃ commutari debuit in eius ſubſtãtiam, eiq; aſſimilari. Hic autẽ nõ eſt ſanguis pure acceptus, quamuis n. membrum illud teneat quatuor humores, neceſſarium eſt vt participet de eo vnde nutritur. Phlegmone igitur per congeſtionẽ facta illius materiæ, q̃ deſtinata eſt ad nutritionẽ membri, nõ ſeorſim à ſanguine proficiſcitur & ſine admixtione aliorum humorũ. Si vero Phlegmone per viã fluxionis fieret, tunc ſanguis, cauſa illius efficiens, qui ſubitanea & impetuoſa effuſione mittitur ad partem, non poſſet tum prompte ſequeſtrari. Sequitur ergo, Phlegmonen generari non poſſe à ſolo ſanguine & ſeparatim ſumpto, ſine participatione aliorum humorum.

Opinio eorũ qui aliter definiunt reiicitur.

Phygethlon] Phygethlon (ait Fernelius *cap.* II. *lib.* VII. *Pathol.*) eſt Phlegmone egerminans in partib. glanduloſis, inprimis in collo, ſub axillis, & inguinibus. Galenus *cap.* I. *lib.* II. *ad Glauc.* Vbi definit Phygethlon, non ait ſimpliciter eſſe Phlegmonen, ſed addit Eryſipelatoſam; vbi inquit, Eryſipelas cum inflammatione *Celſus lib.* V. *ca.* XXVIII. ſcribit eſſe Tumorem non eleuatum, largum, qui habeat aliquam conformitatem cum puſtulis, ipſe vocat Panum.

Phygethlon quid ſit Fernelio Galeno & Celſo.

Bubo] Phygethlon in inguinibus ſpeciatim à Fernelio appellatur Bubo: quanquã Galenus Bubonem generalius ſumat pro omni Phlegmo-

Bubonis ſpecies varia.

ne, quæ accidit glandulis: ſeruitq; ei Bubonis vocabulum ad omnes fluxiones, q̃ deſidunt in emunctoria, cuiuſcunq; generis illæ ſint. Accidit (inquit ille *lib.* XIII. *Methodi*) vt partes emungentes, quæ valde imbecillæ ſunt, infeſtentur à Tumoribus, quos nos appellamus Bubones. Præter autem cõmunes illos adhuc duo deprehendo Bubonum genera: vnum q̃ congeneratur Morbo Venereo, vel potius cum præcedit, oriturq; ſæpius à pituita vel cholera. Alterum & Peſtilentiale, quod non in inguinibus ſolum erumpit, ſed etiam ſub alis, & in emunctoriis colli, quo ipſo quidem à priori differt. Interdum eſt nuncium peſtilentiæ: aliquando vel antecedit febrem vel ſequitur.

Bubones Venerei & Peſtilentiales.

Carbunculus quid ſit.

Carbunculus] Carbunculus eſt Tumor genitus è ſanguine craſſo; nigro, & bulliẽte, qui ſe in partem aliquam corporis coniicit, vbi ſtatim ardorẽ excitat, vnde oritur abſceſſus, deinde vlcus concauum & ſordidum, cum inflãmatione dolorosa circum id, accedente frequẽtius acuta febri. Græcis dicitur ἀνθραξ. Eſt autem Carbunculus alius ſimplex procedens à calore & ſimplici putrefactione: alius eſt malignus, ad quem accedit qualitas venenata, vnde Peſtilentialis ob ſimilitudinem dici poteſt. Oritur tantum ex putrefactione, ſed & ex contagione aeris, imprimitq; corpori præparato characterem veneni ſui.

Quotuplex

Furunculus quid ſit

Furunculus] Græci, quem nos Furunculum dicimus, vocant φῦμα. eſtq; tuberculum acutum ac velut mucronatum cum inflãmatione & dolore, neq;, vt Phlegmone, prouenit à bono ſanguine, violenter in partem aliquam præcipitato, ſed à ſanguine craſſo & vicioſo, nec tamen adeo ebulliente, qualis eſt qui Carbunculum excitat.

Phyma qualis tumor.

Et alia eiuſmodi tubercula] in quo genere eſt Phyma, Tumor inguinum (definiẽte Fernelio) humilior paulo atq; minor quam Phlegmone, minus habens ruboris minuſq; doloris. nõ enim à ſanguine puro generatur, ſed multum habet pituitæ, vt dici poſſit Phlegmone habens aliquid Oedematis. Galeno tamen *lib.* II. *ad Glauc. cap.* I. Phyma eſt Tumor qui celeriter creſcit, & ſubito ad ſuppurationem perducitur: quo tamen ipſo, cum tam prompte generetur & tam celeriter expiret, naturæ pituitæ & Oedematis aduerſari videtur.

V.

Eryſipelas & eius definitio.

ERYSIPELAS eſt inflammatio valdè ardens, occupans cum primis cutem, & aliquando portionem ſubiectæ carnis, proueniens à ſanguine bilioſo & ebulliente, qui propter ſubtilitatẽ ſuam in Tumorẽ manifeſtè appa-

apparentem non attollitur, sed se dilatat in longum & latum, nunc hac nunc illac, neq; in vllo certo loco consistens. Repit autem Erysipelas in modũ Herpetis, omissoq; priore loco paulatim proserpit ad vicinas & contiguas partes, excitato dolore pungente & morsicante, sine tamen tensione. Color ei ex flauo & rubro mixtus est, qui contactus euanescit, sed amota manu velociter redit. Estq; Erysipelas tanto exquisitius, quo purior & (sic dicam) meracior est Cholera, vnde generatur. Quod si ei multum sanguinis mixtum, vel pituitæ, vel atræ bilis, Erysipelas fit Phlegmonosum, vel Oedematosum, vel Scirrhosum. Comprehenduntur autem sub Erysipelate pustulæ biliosæ, Herpetes, & quæ Græcis dicuntur Phlyctenæ & Phlyctides, vulgo sacer ignis.

NOTÆ.

Erysipelas est inflammatio] Maluimus vocabulo inflammationis vti in definitione Erysipelatis potius quã Tumoris, ea de causa, q̃ sanguis biliosus, qui gignit Erysipelas, ob sui subtilitatem in tumorem manifestũ non eleuetur, sed in lõgitudinem aut latitudinem diducatur, modo hac modo illac, non obtento certo loco vel spacio. Facillime autẽ cognoscitur Erysipelas inter quatuor illos Tumores, partim q̃ semper coniunctũ sit cum ardore partis, partim q̃ prorepat in modum Herpetis, omissoq; priore loco suo, paulatim ad vicinas partes serpat. Excitat præterea dolorem punctiuum & morsicantẽ sine vlla tẽsione, quoniã humor biliosus, è quo generatur, acris est & delicatus. Color illi est subflauus & subrubicundus, quia bilis flaua est; & sanguis, quo cũ illa miscetur, ruber. Euanescit si prematur digito, ob subtilitatem materiæ, quæ non latet in profundo, sed potius in cute consistit, quam vlla alia parte: vnde Galeno dicitur Erysipelas Affectio Cutis. Ipsum vocabulum deriuatur ab ἐρύθρας & πέλας, quod per cutem tractim repat ad partes vicinas.

Explicatio superioris definitionis.

Etymon vocabuli.

Estq; Erysipelas tanto exquisitius] Erysipelas non est vnius generis: aliud n. est exquisitum aliud non. Exquisitum voco, q̃ è cholera pura oritur, qua cũ parum sanguinis mixtũ est. Nõ exquisitum, q̃ è cholera cũ multo sãguine, vel pituita, vel atra bile mixto generatur. Hinc fit, vt triplex sit. Erysipelas nõ exquisitũ; Phlegmonosũ, Oedematosũ, & Scirrhosũ. Galenus, Celsus, Ferneli⁹ & alij duo genera illius cõstituunt: simplex vnũ, alterũ cũ vlceratione. Cũ n. bilis separata est à sãguine ob subtilitatẽ suã, veniẽs in cutẽ facit vlc⁹: cũ v. miscetur sãguini, q̃ Cholerã, velut frenum, coherceat, tumorẽ potius gignit q̃ vlc⁹. Nõ igitur credendũ

Erysipelas quotuplex.

eſt, ſimplex Eryſipelas creari ex ſola puraq; bile, vt non pauci ſentiunt, cum conſtet, ſi cholera pura eſſet, neceſſario fieret vlcus in parte affecta, ſimulac ea contingeretur, neq; eleuaretur vnquam tumor. Quod ſi aliquando contra naturam retineatur intra cutem & carnem, excitatur Herpes, & non Eryſipelas.

Herpes quid ſit. *Herpetes*] Herpes eſt ardor afferens cuti aſperitatem cum multis paruis puſtulis ambulantib. longo ordine, cutim rodentib. atq; exedentib. Eſt a. Herpes duplex: vnus dicitur *Miliaris*, alter *Exedens*. Ille oritur è pura flaua bile ſeparata ab aliis humorib. Hic aliquid admiſtæ pituitæ habet cũ paruis puſtulis protuberãtibus, q̃ nõ niſi tractu temporis curari poſsũt. Herpes *Miliaris* ideo dicitur, q̃ in epidermide appareãt perexiguę puſtulæ ſiue gẽmulæ, parum aut omnino nihil eleuatę, magnitudine ſimiles grano milij. *Corroſiuus* dicitur Herpes, q̃ incidat & exulceret veram cutẽ, quando rũpuntur puſtulæ, & q̃ lõge lateq; ꝓſerpat cũ penetratione. Vtrumq; genus procurrit ſpargiturq; ab omni latere, velut in orbẽ vſq; ad vicinią, ita, vt mediũ interdũ cõualeſcat, proferentib. ſe extremitatib. Deriuatur Herpes à Græco verbo ἕρπω, *ſerpo, repo, paulatim gradior.*

Quotuplex *Miliaris.* *Corroſiuus* *Etymon.*

Phlyctænæ & Phlyctides] φλύκταινα & φλυκτίδες Græcis ſunt veſiculæ & puſtulæ quæ nonnunquam erumpunt, plenæ humore flaueſcente, claræ & pellucidæ, quales enaſcuntur in iis, qui igne vel feruente aqua adusti fuerunt. doloris aliquid creant, ſed parui & obtuſi. Cum lacerata cuticula aperiuntur, effluit humor, cruſta vero duriuſcula manet vſq; ad finem curationis. Certum eſt, eas generari à bile valde ebulliente, quæ feruore & vehementia ipſi igni ſimilis eſt, vt non ſine ratione huic affectui vulgus nomen indidiſſe videatur, *Sacer ignis*. Germani vocant, Das wilde Fewer/ vt Gallis eſt *Feu ſauvage*: Græcæ appellationes deriuantur à verbo φλύω, quod eſt *ferueo, amburo*.

Phlyctænæ quid ſint.

VI.

Oedema quid ſit. OEDEMA eſt tumor frigidus, laxus, mollis, doloris expers, colore albicante, cedens impreſſo digito, relicto veſtigio preſſuræ, procedens ab humore phlegmatico magis per congeſtionem quam fluxionem. E pituita pura ſuperflua fit verum Oedema: ex pituita cum ſanguine, vel bile, vel melancholia, mixta generatur œdema Phlegmonoſum, Eryſipelatoſum vel Scirrhoſum. Comprehenduntur ſub Oedema is appellatione tumores aquoſi & ventoſi, omneſq; alij à Phlegmate non naturali producti.

Quotuplex

NOTÆ

NOTÆ.

Oedema] Descendit hæc vox œdema à verbo οἰδέειν, id est tumere, vt οἴδημα Latine *Inflatura* dicere possis. Hinc Hippocrati alijsq; veteribus vox illa quemuis tumorẽ significat, qualiscunq; ille sit. Galenus tamen, & cum eo recentiores magis speciatim eo vocabulo vtuntur, pro Tumore Phlegmatico. Definitur autem Oedema proprie à Galeno, Guidone, Fernelio, Paræo alijsque recentioribus *Tumor frigidus*, eo quod à materia frigida generetur, *mollis & laxus*, ob nimiam humiditatem, *sine dolore*, quia humor neque calidus est neque feruens, vt in Phlegmone, & quia paulatim colligitur per congestionem, *colore albicante*, ideo, quia humor albus est & prope similis colori culti, quam non multum mutat, *cedens impressioni digiti & relinquens concauum pressuræ illius vestigium*, quoniam humor crassus est & tarde mouetur. *Oedema apud veteres laxa significatione.* *Definitionis ratio.*

Per viam congestionis] Certum est, Oedema sæpius faciliusque generari per congestionem quam fluxionem. Præterquam enim, quod frigus pigrum lentumque reddit materiæ cursum, accedente ad tarditatis causam viscositate: certe pituita natura sua frigida & glutinosa non tam expedite currere solet, vt possit Oedema facere per viam fluxionis. Et posito, pituitam pure subtilem esse, eamque, non obstante frigiditate, posse celeriter currere, tamen ipsa priuatio doloris, quæ œdemati tribuitur, satis clare ostendit, magis per congestionem quam fluxionem Tumorem illum generari. Si enim œdema fieret per fluxionem, vtiq; non esset immunis à magno dolore, qui subito inuaderet partem recipientem ob solutionem continui. Cum autem Materia œdematis genitrix tractu temporis fluat, & paulatim colligatur, adsuescit ei natura, & velut habitum induit, vt sic consuetudo, quæ velut altera natura est, impediat sensum doloris. Natura enim seipsam non affligit, vt à Galeno scriptum est, *lib. 2. de temp.* nec non *libr. 2. de caus. sympt.* & *libro quinto de vsu partium*. *Cur per congestionem. 1.*

E pura pituita superflua] Oedema (vt & alii tumores) vel est verum vel non verum. Guido & alij multi, qui eum sequuntur, definiunt verum œdema, quod fit è Phlegmate Naturali, quod quidem aliud nihil est, quam sanguis crudus aut male coctus, contentus in massa sanguinaria, ad nutrienda membra phlegmatica. Cui omnino aduersatur Fernelius, qui illud verum & perfectum œdema appellat, quod generatur à *Differentia materiæ veri Oedematis.*

pituita ſuperflua & excrementoſa. In hac diuerſitate ego Fernelium quam Guidonem ſequi malim, quoniã (vt ſane recte diſtinguit idem) Tumor duplex eſt: vnus collectus, certis concluſus limitibus & menſuris, qui proprie & ſimpliciter nominatur œdema: alius latus & diffuſus, quem rectius Tumorem œdematoſum appellaueris. Hic procedit à ſanguine crudo & pituitoſo, producto à vitio epatis vel alimentorum, qui ſanguis pituitoſus, cum diſtribuitur in omnes partes corporis ad eorum nutritionem, neq; tamen eius cõditionis eſt, vt poſſit in earum conuerti ſubſtantiam, poſtremo congeritur paulatim & cumulatur in parte ea, quam nimia ſua quantitate onerat, donec craſſeſcat & infletur non ſine tenſione, fitq; fere in tali tumore, vt nota quædam & concauitas impreſſorum digitorum remaneat. Ita vides, quomodo eodem pacto Hectica,, Cachectica, Leucophlegmatias, alias quidem pedes, alias totum corpus inſufflatione tumefaciant.

Diſſenſus Fernelii & Guidonis.

Origo veri œdematis.

Cæterum œdema verum & exquiſitum nõ trahit originem ſuam à ſanguine pituitoſo, ſed à pituita excrementoſa, quæ ſolummodo aquoſa eſt vel mucoſa, vndecunq; ea ſe ſuper partem affectam effundere poſſit. Sæpius etiam procedit à Catarrho & defluxione capitis, qui catarrhus aliquando currit fluendo ſuper genua, aliquando ſuper humeros aut alia membra. Verum igitur œdema ideo appellatur, quod nullus alius humor admixtus ibi appareat: vnde ſequitur, non eſſe ſanguinem pituitoſum, è quo generetur verum œdema, proprie loquẽdo: vnde cum Galenus pituitam communem cauſam conſtituit œdematis & tumorum œdematoſorum, intelligitur pituitę vocabulũ in ampliore ſignificatione ſumere, tam pro ſanguine pituitoſo, quam pituita ſuperflua, quæ deſtillat vſitato modo à capite. Habet autem defluxio à capite duas vias, ſecundum Fernelium *libro quinto Pathologiæ cap.* IV. Illa eſt interior, hæc exterior. Cerebrum enim reijcit ſuperfluitates nutrimenti ſui in ventriculos ſuos, qui quodammodo ad hũc vſum deſtinati ſunt. Quod ſi onus nimium ſit, recipit partem aliquam illarum ſuperfluitatum circa menynges, quo oſtiola venarum eas euomunt. Hæc ipſa pituita aquoſa deſtillat per nares, palatum, oculos, ſæpe etiam deſcendit ad pulmones, in ipſum ventriculum & alias partes internas, pro quarum partium diuerſitate varij oriuntur morbi. Colligitur autem præterea etiam aliud excrementum ad partes externas capitis, inprimis verſus ſummitatem eius ſiue verticem, ſub cute, vbi venarum oſtiola per

Oedema quomodo generetur.

faciem

faciem & tempora repentium, pituitam vomunt ſuper dentes, oculos, iunacturas aliaſque partes. Notandum autem eſt, congeſtionem factam in partem aliquam per hanc vel illam viam, non dependere à materia deſtinata ad nutritionem membri. Cum enim per ſe excrementoſa ſit, cumprimis, ſi ſupponeremus virtutem totius membri, non poterit huic ſeruire pro nutritione: vnde pituita ſuperflua cum extra venas expulſa deſinat eſſe ſanguis in potentia, nec vnquã fiat ſanguis formaliter & actualiter. Stante hoc, nõ poterit dici congeſtio arcta ſignificatione, ſed per ſimilitudinem, accumulante ſe materia ad partem imbecilliorem. Ventoſiores n. & valentiores reiiciunt ſuperfluitates in debiliores, teſtante Galeno & ſubſcribente experientia. Hanc materiam cum expultrix virtus amoliri à ſe non poteſt, augetur & amplificatur ea magis ac magis, cum guttatim confluere ſoleat. *Methodii* 1. 13.

E pituita mixta] Guido definit œdema non verum, quod generatur è Phlegmate non naturali aitque Phlegmate fieri non naturale duobus modis, nempe per admixtionem aliorum humorum, puta ſanguinis qui illud reddit dulce: choleræ, quæ id ſalſum: & melancholiæ, quæ illud reddit acre: vnde oriũtur tria genera œdematis non veri, Plegmonoſum, Eryſipeloſum & Scirrhoſum: deinde per ſe, alteratione ſubſtantiæ ſuæ, quando mutatur in aquam, vel reſoluitur in vaporem & ventum, vnde proueniunt diuerſæ ſpecies œdematis non veri duæ: tumor aquoſus, & ventoſus: quando vero craſſeſcit & induratur, fit tumor gypſeus & vitroſus, vnde generantur Steatomata, Atheromata, Melicerides, Ganglia, Glandulæ, & eiuſmodi alij tumores, deniq; cum corrumpitur & putrefit, vt ſalſus euadat humor, nitroſus atque corroſiuus, generantur ſtrumæ. *Quid ſit œdema non verum & eius differentiæ.* 1. 2. 3. 4.

Tumores aquoſi] Tumor aquoſus eſt collectio humoris ſeroſi, in loco aliquo contra naturalẽ, vnde pars illa in quantitate ſuperat conſtitutionẽ ſuam naturalem. Huius ſunt plures ſpecies, à diuerſis ortæ cauſis, ac proinde varia ſortitæ nomina, pro differentia partiũ affectarum. Si n. in cauſa ſit ſanguificationis defectus, vnde omnes partes corporis nutriri debebant, conuertitur alimentũ in ſubſtantiam crudã, aquoſam & ſerosã, colligiturq; intra capacitatẽ Peritonæi, & tũ gignitur ea Hydropis ſpecies, quæ appellatur Aſcites. Si vero humor ille ſeroſus deſcẽdat in receptaculũ teſtiũ, quacũq; de cauſa id fiat orietur tumor Hydrocæle dictus. Si vero humor aquoſus ſe colligat in capite ſub cranio, peri- *Quid ſit Tumor aquoſus.* *Cauſa Hydropis Aſcites & Hydrocales.*

pericranio, aut cute exteriore, siue id fiat negligentia nutricis, vel causa aliqua occulta, vel ruptura, vel apertione vasorum, gignitur ea tumoris species, quam Hydrocephalen appellare solemus. Cognoscuntur autem tumores aquosi ex tensione partis & splendescentia eius, nec non ex fluctuatione, cum premuntur digitis.

Quid sit inflatio, & quæ eius species.

Et ventosi.] Inflatio est tumor qui gignitur à spiritibus vaporosis collectis intra cauitates sensibiles vel occultas, qui Spiritus vsitato more assurgunt ab humoribus Phlegmaticis ob debilitatem caloris naturalis. Videtur a. Galenus *lib.* II. *cap.* VII. *ad Glauc.* & *cap.* VII. *lib.* XIII. *Method.* facere duo genera tumorum ventosorum: vnum, cum ventositas inclusa est in spacio aliquo sensibili, exempli gratia, intra capacitatem ventriculi, intestinorum, peritonęi, subter cutem, in periostio aliisque membranis, quæ ventositas proprie appellatur inflatio, differtque ab œdemate in eo, quod illa aliquando dolorem creat, & quod depressa digitis, notam nullam seruat impressionis, quin potius aliquando sonum facit vt tympanum. Alterum genus, quod proxime accedet ad naturam œdematis, est, cum ventositas includitur intra spacia, quæ per rationem cognoscuntur, velut cum per substantiam musculorum diffunditur, vel aliarum partium.

Causa tumor ventosorum.

Causæ autem, quas præcipue in tumore ventoso considerare iuuat, sunt: primo Efficiens, nempe debilitas caloris naturalis: deinde Materialis, cibi nimis frigidi, eorumque humores crassi & frigidi, tam in ventriculo & intestinis, quam omnibus reliquis partibus: tertio adiuuans, quæ est densitas partium cum angustia & obstructione meatuum.

Omnesque alij] Tumores qui nominantur Steatoma, Atheroma, & Meliceris, omnesque illi qui vulgo appellantur *Lupi*, differunt ab alijs eo ipso, quod eorum materia est inuoluta in cystide siue tunica, estque inter illos ipsos non parua differentia ratione diuersitatis materiæ. Materia enim intra Steatoma contenta, similis est seuo siue sebo, aliquando inibi reperiũtur corpora dura & petrosa, parua ossa, & aliæ res illi loco peregrinæ. In Atheromate reperitur humor similis pappę infantum. Meliceris ostendit humorem similem melli tam in colore quam consistentia. Hinc apparet Steatoma durius esse, quam reliquæ duæ species sunt, neque prompte obedire digitis, cum deprimitur: Tumori color alius non est, quam qui cuti ipsi, dolor nullus. Et Ganglion tumor est colo-

Materia Steatomatis

Et Atheromatis.

Meliceris & Ganglion.

coloris vniformis durus renitensque, doloris expers, nisi cum validius premitur, tunc sentitur dolor quispiam obtusus. Germinat hic tumor circa neruos & iuncturas, sæpe etiam ad carpum, prouenitque à pituita crassa & viscida, vel à Melancholia naturali quæ concrescit in illam duritiem. Cum attollitur alibi quam in emunctorijs, iuncturis & neruis, appellatur *nodus*, vt ab alijs discerni possit. Glandulæ significant tumorem induratum in emunctorijs, qui à duobus præcedentibus nihil differt nisi ratione situs. *Nodus & Glandulæ.*

Strumæ sunt tumores duri, qui accidunt emunctoriis, teguntur- *Strumæ.*
que atque inuoluuntur propriis suis tuniculis, vt & glandulæ, ad extremum tamen, cum earum materia plus contraxit malignitatis & acrimoniæ, rodit emunctoria, quin & ipsam carnem qua circumdatur atque cutim, producto vlcere maligno, ambulatorio & corrosiuo. Ger- *Locus earum & ortus.*
minant hi tumores potissimum in collo, ibique aliquando ordine positi conspiciuntur vt glandes: porriguntur etiam aliquando vsque ad pectus, alas & mammas. Descendit materia earum ab externa parte capitis per tendines & emunctoria colli, sed guttatim & fluxu adeo lento, vt origo vix deprehendi possit. Caue autem ne talem materiam pro pituita pura capias, sed pro tali, quæ vi caloris accensa, ab ipsa putrefactione acquisiuit rodendi acrimoniam. Quod si pituita cum atra bile permixta eo furiosior euadat, sequentur strumæ hoc modo generatæ, qualitatem & malignitatem Cancri redolentes, vocabunturque *Strumæ cancrosæ*. Et hæc est causa, quod strumæ sæpe sunt valde dolorificæ, inprimis cum humor incalescit & putrefit. Latini Strumas alio nomine vocant Scrophulas à Scrophis, Græci χοιράδες à vocabulo χοῖρος, quod porcum sonat, siue quod porcus collum habet glandibus & strumulis coopertum, vt existimauit Ægineta: siue quod Scropha edit multos porcellos, sicq; strumæ internæ multas generent externas. *Aliud strumarum nomen.*

VII.

Scirrhvs est tumor durus & renitens, sine dolore & sensu, procedens ab atra bile, vel alio quopiam humore crasso & spisso atræbili non dissimili. Quod si forte aliquid sanguinis aut choleræ admixtum est, aut pituitæ naturalis, non habetur verus aut exquisitus Scirrhus, sed habet aliquid de natura Phlegmones, vel Erysipelatis, vel denique œdematis. Aliquando statim à principio fit Scirrhus, nõ præeunte *Scirrhi definitio.* *Scirrhus quotuplex.*

tumore aliquo cõtra naturã, quando humor Melancholicus collectus in aliqua parte vel per fluxionem vel congestionẽ induratur. Aliquãdo præcedit Phlegmone vel Erysipelas, vel œdema, cum eorum materia similis fit atræ bili, deinde in petrosam duritiem se conuertit, vel cum per remedia repercussiua extreme frigefit, vel per resolutiua subtilior eius pars indecenter digeritur, & nimis desiccatur. Continetur autem sub Scirrho etiam Cancer, tumor durus & inæqualis, cum dolore & inflammatione, genitus à Melancholia adusta.

NOTÆ.

Ratio definitionis Scirrhi.

Scirrhus est Tumor durus] Scirrhus secundum Galenum lib. 11. c. v. ad Glauc. vel est exquisitus vel non exquisitus. Amplius: Scirrhus vel est Primitiuus vel Consecutiuus. Scirrhus exquisitus est tumor contra naturam cum duritie & renitentia, doloris omnino expers, imo sensu destitutus. Quãquam ipsum nomen Exquisiti aliquem doloris sensum habeat, quod de Scirrho dicitur incipiente, qui nondum perfectus est nec confirmatus. Materia tam vnius quam alterius est humor crassus & viscosus, insertus parti affectæ, impactusq; illius spacijs, qui adeo indurescit, vt difficulter admodum consumi resoluiq; possit. Galenus *lib. v. simpl. cap.* VIII. ait humorem illum esse atrabilarem vel pituitosum, vel cum vtraque participantem.

Materia Scirrhi, qualis Galeno.

Scirrhus primitiuus. Consecutiuus.

Scirrhus primitiuus est qui fit à principio, non præcedente tumore aliquo contra naturam, quando humor melancholicus abundans in corpore ob malam viuendi rationem, vel vitio epatis aut lienis, aut suppressione hæmorrhoidum vel menstruorum, se cumulat in partem aliquam, per fluxionem vel congestionem, ibique induratur. Scirrhus consecutiuus est, quem præcessit Phlegmone, vel Erysipelas, vel œdema, cum horum materia errore aut defectu chirurgi similis euadit atræ bili, & postea se conuertit in lapidosam duritiem. Accidit autem hoc cum nimis refrigeratur illa & induratur per remedia repercussiua, aut si per inscitiam subtilior illius materiæ pars digeritur per resoluentia, & pars spissa nimis desiccatur. Vides, Lector, quomodo Galenus loquatur de Scirrho; à cuius sententia paulum diuertit Guido, definitque verum Scirrhum eum qui generatur à melancholia naturali, quæ nihil aliud est, quam fæx sanguinis, vel sane sanguis crassus & fœculentus, qui consistit in ipsa massa sanguinis, ad nutriendum partes corpo-

Guidonis definitio Scirrhi.

corporis melancholicas: color ei est subniger, gustus acidus. Scirrhus non verus eidem Guidoni est, qui producitur à melancholia non naturali. Constituit autem is tres melancholiæ non naturalis differentias: vnam per admixtionem alterius humoris, puta sanguinis, bilis, pituitæ, vnde scaturiunt tria genera Scirrhi non veri, Phlegmonosum, erysipelatosum, œdematosum: alteram per indurationē ob nimiam refrigerationem, aut inconuenientem resolutionem partis subtilioris Phlegmones, Erysipelatis vel œdematis, vnde prouenit Scirrhus consecutiuus: & tertiam per adustionem melancholiæ naturalis, vel choleræ, vel alij alicuius humoris, vnde generatur Cancer. Est autem *Scirrhus* vox Græca, significatque Latinis duritiem. Hinc est verbum σκιῤῥοῦν, quod est indurari. *Etymon nominis.*

Cancer] Græci hanc tumorem Carcinoma vocant, Latini Cancrum quod forma siue figura animali illi aquatico sit persimilis. Est autem Cancer secundum Galenum lib. de Tumoribus & cap. IX. libr. XIV. Method. Tumor calidus per accidens, subniger, immobilis, inæqualiter rotundus, interdum stupidus, sæpe cum dolore, circumdatus multis venis manifeste apparentibus, plenis sanguine fæculento, curuis in modum cancrini pedis, colore non rubicundo, sed liuido & plumbeo, qualis nimirum est humor, qui in ijs continetur. Causa coniuncta illius Tumoris est humor melancholicus impactus non solum porositati partis (quod & in Scirrho fit) sed & in venis quæ circum sunt, incipiens putrescere in earum cauitate. Quod si humor ille vlterius putrefiat, acquiratque plus malignitatis & acoris per adustionem, gignitur Cancer Vlcerosus. *Cancer vnde dicatur.* *Quid sit.*

Causa eius primitiua est victus crassior, qui sanguinem gignit spissum & fæculentum, cum aptitudine epatis ad creandum eiusmodi superfluitates, nec non impotentia splenis ad purgandum sanguinem, aliquando etiam suppressio menstruorum, hæmorrhoidum, aliarumq; euacuationum consuetarum, accedente debilitate partis affectæ. Accidit hoc malum vt plurimum oculis, naribus, auribus, labijs, palato faucibusque, ano, locis mulieribus, alijsque partibus corporis, inprimis vero mamillis fœminarum, quod hæ sint raræ substantiæ, madidæ & natura imbecilliores. *Causa cancri, & loca quæ obsidet.*

SEQVVNTVR LEGES PROGNOSTICÆ de euentibus horum Tumorum.

Prima Regula.

Petuntur prognoſes & præſagia de euentibus horum Tumorum inprimis ab eorum differentiis, per qualitatem materiæ vnde ſunt geniti, & per naturam partium quas occupant cum diſpoſitione totius corporis.

NOTÆ.

Vnde petantur prognoſes in morbis.

Quanquam ſigna morborum prognoſtica aliquando ſumuntur à rebus naturalibus & non naturalibus, inprimis tamen petuntur ab affectionibus contra naturam. Et hæc eſt cauſa, cur præſagia de euentibus Tumorum hauriantur ab eorum differentiis, cauſis atque ſitu. Ex magnitudine enim vel paruitate Tumoris, ex differentia benignitatis aut malitiæ, ſubtilitate vel craſſitie, calore vel frigore, ſimilibuſque alijs qualitatibus materiæ, accedente conditione, robore & debilitate partis tumefactæ, bonaque vel mala diſpoſitione totius corporis, fertur iudicium, qualis ſit futurus Tumoris exitus.

II.

Differentia à qualitate tumorum.

Apoſtemata magna, periculoſa ſunt, ob magnam reſolutionem quæ fit à ſpiritibus cum illa aperiuntur: parua autem, fere ſunt extra periculum. *Tumores* producti ab humore melancholico vel phlegmatico craſſo & *viſcoſo, longioris & difficilioris* ſunt curationis, quam illi, qui generantur è ſanguine vel *bile*. Rurſum, qui gignuntur ab humoribus naturalibus, faciliores ſunt *ad curandum*, quã qui ſunt ab humoribus non naturalibus geniti, qui facile conuertuntur in ſubſtantiam peregrinam. Qui accidunt partibus vitalibus, lethales ſunt: neque periculo vacant, qui fiunt iuxta magna vaſa. Qui in iuncturis, difficulter curantur: & qui in corporibus cacochymicis creãtur, ſæpe in malignum aliquod vlcus & cacoethes degenerant.

A locis affectis.

NOTÆ.

Explicatio & ratio definitionis.

Apoſtemata magna] Vides cauſam, ob quam Hydrops aliiq; omnes tumores exceſſiui in magnitudine, vt plurimum lethales ſunt, eo, quod facto exitu ad materiam, magna ſpirituum copia vna exit.

Tumores

Tumores producti ab humore.] Quoniam humor Melancholicus & Phlegmaticus craſſus eſt viſcidusque, ideoq; difficilis ad reſoluendum: humor vero ſanguineus & bilioſus multum ſubtilis & ad digerendum facilis.

Qui gignuntur ab humoribus naturalibus] Quoniam humores naturales non peccant niſi in quantitate : ſed non naturales peccant plus in qualitate, ita, vt ſe conuertant in diuerſas ſubſtantias, quibus nulla cum ipſis humoribus ſimilitudo, cuius generis ſunt, ſeuum, pappa, amurca, fæx vini, aliquando etiam corpora ſolida, lapides, arena, carbones: aliquando animalia , vermes, ſerpentes, inprimis quando materia longo tempore retenta non euacuatur.

Qui accidunt partibus vitalibus] Tumores qui accidunt partibus nobilibus , puta cordi, epati, & his ſimilibus, mortem afferunt, quia impediunt actiones facultatum à quibus dependet ipſa vita. Qui fiunt iuxta magna vaſa, cuiuſmodi ſunt venæ, arteriæ, nerui, periculoſi ſunt, ob hæmorrhagiam, reſolutionem ſpirituum & conuulſiones, quæ fere coincidere ſolent. Qui in iuncturis aut ſecundum illas, difficulter curantur, ob grauia ſymptomata , quæ eos fere comitantur. Qui naſcuntur in corporibus bene temperatis, facile admittunt remedium : qui vero in Cacochymicis, vt in hydropicis, leproſis, aliiſque mali habitus, longæ ac tædioſæ ſunt curationis , & frequenter in vlcera maligna degenerant.

III.

Finiuntur autem Tumores diuerſimode: quidam per reſolutionem, quæ quidem via eſt optima, fitque tunc, cum accidentia minuuntur, & malum ipſum leuatur, vnde ſentitur pruritus in parte affecta. Alias per ſuppurationem, quando dolores, febres, & periculoſa ſymptomata exaſperantur. Quidam degenerant in duritiem, ob craſſitudinem materię, vel vſum immoderatè repercutientium aut reſoluentium. Sunt & alij multo peiores, qui conuertuntur in Gangrænam, quæ eſt initium corruptionis & paulo poſt in Sphacelum, quæ eſt perfecta mortificatio affectæ partis: acciditque tunc, cum nimia quantitas humorum in membrum aliquod delapſorum ſuffocat extinguitque calorem, quo amiſſo nigreſcit vel liueſcit, inflatur laxaturque in ſpeciem cadaueris, non amplius pulſantibus arteriis, neq; ſuperſtite dolore vel ſenſu qualicunque.

Exitus tumorum varij.

Gangræna & Sphacelus, vnde.

Quidam poſtremo deterrimi omnium ſubito euaneſcunt & denuo ſubintrant corpus, tranſportata materia ſua & maligna qualitate ad partes nobiles interiores, vnde ſequuntur febris, deliquium animi, aliaque pernicioſa ſymptomata, vt experientia oſtendit.

NOTÆ.

Quatuor tempora tumorum.

Finiuntur Tumores] Habent tumores curabiles quatuor tempora: initium, incrementum, ſtatum, declinationem. Initium eſt cum pars incipit: incrementum, quando inflatura, dolor, & alia accidentia augentur ſenſibiliter: ſtatus, cum accidentia non amplius creſcunt, ſed in ſuo gradu permanent: declinatio, quando omnia accidentia notabiliter minuuntur, apparente manifeſte ipſius tumoris termino. Porro terminantur tumores non vno modo: quidam per reſolutionem, quando humor in partem affectam delapſus, per inſenſilem tranſpirationem omnino digeritur. alij per ſuppurationem, quorum materia concoquitur. alij, cum ſolummodo pars humoris ſubtilior reſoluitur, tranſeunt in diſpoſitionem ſcirrhoſam. Deteriores ſuperioribus ſunt, in quibus partes affectæ vincuntur à fluxione, vt in tantam veniant intemperaturam, vt omnes eius perdantur actiones; obrepente Gangræna: quibus tamen cunctis peiores ſunt, qui ſubito euaneſcunt, redeuntque in corpus, deportata maligna materia ad partes interiores & nobiliores: quæ quidem tranſportata maligna materia ad partes & nobiliores: quæ quidem *tranſportatio morborum à partibus ignobilibus & externis ad nobiliores & interiores eſt periculoſiſſima.*

1.
2.
3.
4.

Primus modus Reſolutio.

Reſolutionem.] Signum eſt finiri tumorem per reſolutionem, quando inflatura, calor, dolor aliaque *accidentia minuuntur*, apparetq; leuius malum non ſine pruritu & titillatione partis. Fit hoc communiter in tumoribus calidis, quoniam humor magis ſubtilis eſt & tenuis.

Secundus ſuppuratio.

Per ſuppurationem] Signum factæ ſuppurationis eſt quando tumor, pulſus, calor, dolor, febris augetur, vt Hippocrates docet Aphoriſmo XLVII. Libri II. quoniam materia quæ ſuppuratur ebullit, & occupat ſpatij, vnde maior ſequitur diſtenſio pulſatioque, & calor intenſior, & per conſequens dolor maior, ſicque ob communicationem caloris cum corde, febris vehementior.

Tertius induratio.

In duritiem.] Huius ſignum eſt (nempe quod Apoſtema transformetur in Scirrhum) quando tumor minuitur, manente tamen duritie in parte

parte affecta', ob imbecillitatem naturæ, vel crassos & glutinosos humores, vel propter ignorantiam Chirurgi, qui nimis vsus est medicamentis resoluentibus aut repercutientibus.

In Gangrænam] Cum pars aliqua corporis ob magnam inflammationem ad mortificationem tendit, neque tamen etiam dum mortua est, neque penitus priuata sensu, talis indispositio appellatur Gangræna, teste Galeno cap. x. lib. II. ad Glauc. Cum vero mortificatio perfecta est, nominatur à Græcis Σφάκελος, à Latinis *Syderatio*, ab Arabibus *Estiomenos*, à Gallis *Le feu sainct Antoine*, à Germanis Der kalte Brandt. *Varia nomina Sphaceli.*

Fit autem Gangræna secundum Auicennam capite decimoquinto, tractatus primi, vel ideo, quod temperamentum & spiritus qui id comitatur, corrumpantur, vel quod spiritus mouentes impediantur, ne ad partem affectam peruenire possint, aut propter vtrumque simul, idque tam ob causas exteriores quam interiores. Causæ externæ Gangrænæ sunt, combustiones ab igne factæ, vel per medicamenta acria & caustica, vel fit ob frigiditatem ab ambiente aere, siue ab applicatione remediorum frigidorum & stupefacientium; ob contusiones, ligaturas, qualitates venenosas & eiusmodi alias causas. *Causa Gangrænæ suid peruenientis.* *Causa Externa.*

Internæ possunt esse magnæ fluxiones humorum calidorum & frigidorum, quæ descendunt super aliquod membrum, ea quidem quantitate, vt alterari non possint, neque digeriant regi per suas facultates, vt ita extinguant suffocentque calorem naturalem cum spiritibus ob defectum transspirationis. Ob exiguum enim & angustum loci spacium arteriæ non possunt habere liberum suum motum, puta dilatationem, quam Græci appellant Διαστολὴν, per quam attrahitur aer exterior: & contractionem, quam iidem vocant συστολὴ per quam excrementa fuliginosa eiiciuntur foras per poros. Signa Gangrænæ sunt liuiditas & nigredo partis cum diminutione sensus per quendam veluti soporem aut veternum. *Causa interna.* *Systole & diastole, & earum vsus.* *Signa.*

Subito euanescunt.] Quando apparet subitanea diminutio & delitescentia Tumoris, cum augmentatione reliquorum accidentium: hoc est signum, fluxionem regressam fuisse ad interiora. Fit hoc aliquando per nimiam refrigerationem, sæpius tamen ob venenosam materiæ qualitatem, etiamsi foris nihil applicatum fuerit.

IV.

Phlegmone quomodo terminetur

Phlegmonæ exiguæ terminantur vt plurimum per resolutionem; maiores plerumque veniunt ad suppurationem,& degenerant in Apostemata. Consueuerunt autem etiam in Gangrænam vergere,quando abundantia sanguinis per consistentiam & obstructionem corrupti, suffocat & extinguit calorem partis naturalem.

ANNOTATIO.

Ratio superioris regulæ.

Quando materia Phlegmones est in exigua quantitate, facile resoluitur:Si vero abundat,natura eam totaliter resoluere non potest,sed conuertit in pus,idque ideo, ne vincatur aut superetur nimis magna quantitate aut malignitate eius. Et hæc est ratio, propter quam Phlegmonæ paruæ vsitato more per resolutionem terminantur, maiores per suppurationem,& enormes in Gangrænam degenerant. Quando Phygethlon,Bubo,Furunculus & Phyma non resoluuntur, nō minus suppurantur quam phlegmone. Sed materia carbunculi (vt Fernelius ait cap.11. libri VII. Patholog.) nunquam suppuratur, sed ad extremum, cum velut tosta est à calore,euadit in frustulum carnis, quod vbi excreuit,manet vlcus concauum sordidumque, in quo quidem differt à reliquis tuberculis. Et hæc est causa , ob quam Galenus cap. 1. lib. 2. ad Glauc.ait, Carbunculum semper malignum esse, vt qui à malignis humoribus producatur.Euadit autem multo etiam peior, cum ad naturalem eius malignitatem alia quædam extrinsecus accedit,à constitutione aëris profecta.

Carbunculi differentia à reliquis tumoribus.

V.

Quomodo terminetur Erysipelas.

Erysipelas communiter terminatur per resolutionem. Quod si aliquando ad suppurationem perueniat , admixtus est ei crassus aliquis humor non sine cholera. Cum ab interiore extrinsecus prodit, bonum id signum est;contra si intro repat, malum. Periculosum sane est, cum in magna quantitate faciem occupat. Si gignitur in vtero prægnantis mulieris,mortem affert. Si plagis & vlceribus superueniat, malum habetur præsagium.

NOTÆ.

Erysipelas communiter] Quod Erysipelas fere per resolutionem termine-

minetur, causa est, quod humor biliosus, vnde gignitur, admodum subtilis est & ad resoluendum facilis. quando suppuratur, apparet non fuisse verum aut legitimum Erysipelas, quia genitum est ab aliquo crasso humore cum bile mixto; vnde sequitur corrosio partium quæ cuti proximè subsunt, quapropter tale Erysipelas peius etiam habetur eo quod exquisitum appellatur. *Causa cur Erysipelas finatur resolutione.*

Cum ab interiore] vt ostendit Hippocrates aphorismo xxv. libri vi. vbi notandum est, sicut Galenus quoque in Comment. ait, bonum signum esse, si non Erysipelas duntaxat, sed & quoduis aliud vitium à partibus profundis & principalibus foras ad cutem expellatur: contra vero mali præsagij rem, si hæc talia partes interiores profundioresque repetant.

Periculosum sane est] Quamuis Erysipelas cuiuis corporis membro accidere potest, principaliter tamen faciem infestat ob eius raritatem & subtilitatem Choleræ. Estque periculosum ac noxium faciem occupans in magna quantitate, quod illa communicet cum membranis cerebri. *Cur faciem infestet Erysipelas.*

In vtero mulieris prægnantis mortem affert] vt euincit Hippocrates Aphorismo quadragesimo tertio libri quinti. Tunc enim necessarium est, vt Galenus ait, vt moriatur fœtus: cum constet quod aliquando acutæ febres etiam sine inflammatione illum extinguant. *Erysipelas vteri lethale.*

Si plagis & vlceribus superueniat] Hippocrates aphorismo xix. lib. vii. ait malum signum esse, si Erysipelas superueniat cum os apertum est: tunc enim proficiscitur à defluxione bilis vel bulliente sanguine, qui corrodit absumitque carnem quæ circum vlcus est per suam acrimoniam. *Cur malum in vlceribus.*

VI.

Oedema terminatur per resolutionem, vel sæpius per indurationem, raro per suppurationem, ob exiguum calorem qui ei inest. *Quomodo terminetur œdema.*

ANNOTATIO.

Oedema sæpius accidit hyeme quam æstate, quia hyberno tem- *Tempus œdematis.*

pore maior colligitur pituitæ copia. Partes neruosæ & glandulosæ magis subiectæ sunt Oedemati, quia sunt exsangues, minusque habent quam reliquæ caloris, suntque laxiores, & per consequens magis aptæ ad recipiendas fluxiones. Corpora cacochymica, crapulosa & senilia, quæ parum & raro exercentur, plerumque magis vexantur ab hoc tumore. Si Oedema non satis subito resoluitur, degenerat in tumorem scirrhosum, raroque ad suppurationem peruenit, quod humor vnde constat, frigidus sit.

Cur degeneret in Scirrhum.

VII.

Prognostica scirrhi.

Scirrhus confirmatus est incurabilis: ille vero, cui adhuc aliquis sensus ineſt, quamuis sit is obscurus, neque incurabilis est, neque difficulter sanatur. Cum venit ad suppurationem, sæpe degenerat in cancrum & fistulam.

ANNOTATIO.

Scirrhus quando & cur cancer fiat.

Ad suppurationem] Scirrhus ob frigiditatem materiæ suæ tarde ad suppurationem peruenit, nisi forte per accidens calefiat & corrumpatur, & hoc casu sæpe degenerat in Cancrum & Fistulam, quod fit ob aduſtionem & corrosionem materiæ. Cancer enim, secundum Aetium libro sexto non cessat rodere & exedere profunda partis cui inhæret, idque sine intermissione.

REGVLÆ

Ad curationem Tumorum.

I.

Methodus curandi tumores per fluxionem factos.

CVRATVRVS Chirurgus Tumores contra naturam, qui fiunt per viam fluxionis duos sibi scopos propositos habere debet. Prior est, vt sistat humorem adhuc florentem: posterior, vt euacuet materiam per fluxionem iam in partem affectam delapsam. Ad sistendum humorem fluentem, ante omnia amouenda est causa fluxionem mo-

uens

uens, nempe repletio totius corporis, per venæ sectionem & arctiorem dicetam: Cacochymia per purgationem; debilitas & laxitas partium recipientium per topica adstringentia & corroborantia: calor per refrigerantia: dolor per anodyna. Deinde omnibus modis danda est opera, vt diuertatur cursus humoris, modo retrahendo ad partem contrariam, per adminicula reuellentia, modo deriuando ad partes vicinas. Post hæc deueniendum est ad euacuationem illius, quod iam in partem affectam defluxit, quod fit duobus modis. Primo, per resoluentia & attrahentia, quorum beneficio humor transportetur & foras extrahatur, vel per emollientia & suppurantia, vt fiat tumoris apertio, etiam (si opus sit) ferro, aut per cauterium actuale vel potentiale. *Prior sequitur cura.* 2. *Deriuanda materia peccans.* 3. *Euacuandum.*

NOTÆ.

Ad curationem Tumorum] Galenus cap. LXXXVIII. Artis Med. 13. Methodi, & aliis locis multis, euincit, in omnibus morbis, qui adhuc fiunt, duo præcipue consideranda esse Medico ad curationem eorum progredienti. Prius, ait, consistere in præseruando: posterius, in Curando; horum illud respicit causam antecedentem, hoc coniunctam. Vides rationem, qua & nos moti, in tumoribus contra naturam, qui fiunt per fluxionem, curandis, duos medico proponamus scopos considerandos: quorum prior est, vt impediat fluxionem: posterior, vt euacuet humorem iam per fluxionem in partem delapsum, & infixum. His adiungit Guido tertium, nempe sedationem dolorum, vtque reprimatur omnis occasio mouens ad fluxionem vel attractionem ad partem, tribuitque huic rei secundum locum, vt Pareus tertium. Nos vero hoc aliter non consideramus quam dependens aliquid à primo, aut velut accessorium quippiam. Hinc quoque id sub priore curationis parte complexi sumus, assignantes ei primum locum, moti eo, quod ad sistendum fluxum necessarium sit mitigare dolorem, qui sit causa mouens illius fluxus. Manet ergo, in curatione tumorum, non nisi duos principales scopos considerandos esse, qui iam supra à nobis suis sunt descripti limitibus. *Confirmatio superiorum ex Galeno.* *Dolor sedandus.* 3. *Priori nostræ coincidit.* 3. *Guidonis pars.*

Vt sistat humorem fluentem] Omnis causa debet prius debellari destruique, antequam producat dispositionem ad quam tendit, cum constet, effectum perseuerare ob continuationem causæ. Vnde possibile *Sublata causa tollitur effectus.*

bile non est, vt indispositio aboleatur, non extirpata prius causa productrice illius, vt Galenus infinitis locis ostendit. Hinc ad sistendum vel diuertendum cursum fluxionis, ante omnia tollenda est causa quæ illam mouet, deinde diuertendus cursus humoris qui ad partem fluit: quærendus est enim ei alius transitus, vt mutet deferatque noxium canalem, quem hactenus obtinuit. Oritur autem causa fluxionis fere à repletione totius corporis, quam Græci Plethoram appellare solent, vel ex malitia humorum Cacochymicorum, vel ab imbecillitate & laxitate partis mittentis, vel robusta facultate expultrice partis nublentis vel propter humilem situm, vel denique ratione caloris aut doloris. Est ergo ante omnia amputanda causa omnis productrix fluxionis, per suum contrarium. Nam teste Galeno cap. XIII. lib. IX. Methodi, sicut dispositio naturalis conseruatur per res similes, sic omnis dispositio quæ est contra naturam aboletur per res contrarias.

Causa fluxionis.

Plethorica corpora vt curanda.

Nempe repletio totius corporis] Galenus capite sexto, libro decimotertio Methodi ait, repletionem totius corporis minui Phlebotomia, frequentibus balneis, exercitiis, frictionibus, vnctionibus resolutiuis & ieiunio, quia repletio tollitur per contrarium suum, nempe inanitionem, quæ procuratur per omnia vacuantia remedia, quæ Græci vocant κενωτικὰ. Ego tamen nullius alius mentionem feci, præter Phlebotomiæ & tenuis dictæ, quod sciam hæc esse duo præcipua remedia euacuantia, quodque alia illa proprie non conueniant impediendæ fluxioni. *Si igitur corpus repletione grauatione grauatum est*, minuendus erit sanguis, quantum satis sit, facto initio à partibus remotioribus, vt rectitudo fibrarum & communitas partium religiose conseruetur; & hoc sub initium & incrementum Tumoris. Præscribetur deinde languenti victus ratio admodum tenuis, vt pars mandans egens alimento retineat secum humorem superfluum à nutritione, & sic sistatur fluxio.

Cautio in Phlebotomia.

Cacochymia per purgationem] Galenus lib. V. cap. XIII. Methodi inquit, Cacochymiam curari per purgationem appropriatam ad vnumquemq; humorem peccantē. Est autē Cacochymia (ait is loco allegato) abundantia humoris cholerici, vel phlegmatici, vel melancholici. Ex quo sequitur, purgationem, quæ nihil aliud est quam euacuatio malo-

Cacochymia quid sit, & quotuplex.

malorum humorum, triplicem esse, itidem vt cacochymia triplex est: *Cholagogam*, quæ conuenit purgando humori Cholerico: *Plegmagogam*, ad humorem phlegmaticam: & *Melanagogam* ad euacuandum humorem melancholicum aptam. Si igitur corpus abundet prauis humoribus, adhibenda erunt medicamenta purgantia, vt corpus ab impuritate (quam humoralem vocant) repurgetur. Eligenda autem erunt eiusmodi, quibus inest proprietas euacuandi humores vitiosos qui fluunt, vel in via fluxionis sunt. Præterea non omittenda est ratio viuendi, quæ requiritur ad generandum bonum sanguinem, malosque & corpori noxios succos corrigendos. *Cacochymia cura.*

Per topica adstringentia & corroborantia] Talia sunt repercussiua terrestria frigida in materia calida, & calida in materia frigida, de quibus paulo post agemus. Quapropter, si causa fluxionis est imbecillitas & laxitas partis recipientis, roboranda illa est & contrahenda horum vsu. Si hoc accidit ob humilem situm, corpus ægri artificiose ita collocandum erit, vt pars affecta, si fieri possit, altiorem locum obtineat. *Quæ sint topica adstringentia.*

Calor per refrigerantia] Talia sunt repercussiua frigida, tam aquea quam terrestria, de quibus mox loquemur. *Quæ Calorem mitigantia.*

Dolor per anodyna] Dolor est sensus tristis & molestus, factus per subitam alterationem, vel solutionem continui: Mitigatur dolor sublata causa illius efficiente, vel rursum corroborando calorem naturalem, aut hebetando sensum partis. Vnde sequitur, tria genera esse remediorum anodynorum: primum est curatiuum morbi, oppugnans directe morbum, & ad hoc referuntur generaliter dicta anodyna: huic succedunt mitigantia dolorem, quæ non obstante continuatione causæ, alleuant dolorem per temperatum calorem, qui primum gradum non transiliat, & hæc sunt proprie anodyna, alias paregorica dicta. Vltimum locum obtinent stupefacientia, quæ narcotica dicuntur, improprie anodyna. In primo genere sunt omnia medicamenta contraria causis morbi, vt in intemperie calida oleum rosatum, oxycratum. In intemperie frigida oleum laurinum, nardinum, oleum de castoreo. In intemperatura sicca, mixtiones aquæ vt olei, balnea aquæ dulcis. Breuiter, omnia remedia, quæ tollunt causam doloris sunt anodyna, largiter capto vocabulo, cuiusmodi sunt venæ sectio, purgatio, cucurbitulæ, cauteria actualia & potentialia, Clysteres, & id genus alia, quæ euacuant abundantiam materiæ, tolluntque ac delent dolorem. Anodyna *Quid sit dolor & tres modi illius mitigandi.* 1. 2. 3. *Anodyna primi modi.* *Anodyna duplicia.*

propria temperata ſunt, aut moderate calida & humida, ad temperata quam proxime accidentia, quæ, quia reſpondent aliquo modo calori naturali, habentque familiaritatem aliquam & amicitiam cum noſtra natura, multum leniunt dolorem. Temperata voco ea, quæ cum non conſtent qualitatibus modum excedentibus, calorem naturalem integrum conſeruant, qualia ſunt oleum ſimplex, oleum amygdalarum dulcium, vitellum ouorum. Calida & humida in primo gradu ſunt, quæ roborant calorem naturalem, rarefaciunt cutim, ſubtiles reddunt digeruntque humores & ventoſitates, quibus non patet exitus: huiuſmodi ſunt flores chamomillæ, meliloti, anethi, crocus, oleum chamomillæ & anethi, oleum lini, vermium, ouorum, frumenti, lac muliebre & vaccinum, butyrum, axungia porci, vituli, pulli gallinacei, anſeris, cuniculi, anguillæ, pinguedo humana, mucilago ſeminis lini, fænugræci, bis maluæ: decoctiones liliorum, violarum, teſtium & pedum & omenti veruecini. Narcotica ſunt frigida vſque ad quartum gradum, faciuntque extrema ſua frigidate, ne Spiritus animalis in affecta parte ſe excrere poſſit, vnde auferunt ſenſum obſtupefacto membro cui applicantur. Huius generis ſunt Hyoſcyamus, cicuta, papauer, mandragora, opium & Philonium. Non eſt vtendum Narcoticis, niſi ſumma neceſſitate vrgente, puta cum dolor nimis eſt vehemens, & nullis cedere vult remedijs. Admiſcendus autem eſt ſemper narcoticis, antequam applicentur crocus, vel caſtoreum, vel myrrha, & eiuſmodi calida, quod verendum ſit, ne ſtupefaciendo ſenſus eos omnino extinguant, aut introducendo ſpiſſitudinem materiæ denſitatemque cuti, malum reddant minus curabile.

Anodyna temperata quæ ſint.

Calida & humida in primo gradu.

Stupefacientia anodyna.

Cautela in Narcoticis.

Quando ſit locus reuulſioni.

Deinde omnibus modis] Galenus cap. vi. libri iv. Methodi, ſecutus doctrinam Hippocratis oſtendit, ad ſiſtendam omnem fluxionem violentam neceſſarium eſſe, vt deriuetur impetuoſus curſus humoris fluentis per reuulſionem verſus partem contrariam, & per deriuationem ad partes vicinas, vbi primum fluxio ceſſare incipit, antequam humor fortius adhæreat aut firmius affigatur.

Reuellentia remedia quæ ſint.

Per adminicula reuerentia] Qualia ſunt venæ ſectio, ſcarificatio, applicatio cucurbitularum, hirudinum, ligaturæ, frictiones.

Modo deriuando] Intellige per venas communes.

Poſt hæc deueniendum eſt] Quod attinet ad materiam in parte contentam,

tentam, cum illa sit naturæ contraria, quærit euacuationem: quæ duobus modis fieri potest: cum alio transfertur per remedia repercutientia, & foras extrahitur per resoluentia vel attrahentia postquam emollientia iam ante adhibita sunt, (si nimis sit indurata) aut aperiendo tumorem, facta coctione materiæ per suppurantia.

Per repercutientia] Medicamenta, quæ Græci vocant ἀποπυητικὰ, nos Latine *Repercussiua* dicimus, suntque ea quæ seruiunt ad sistendum humorem fluentem, & repellendum id quod nuper in partem affectam delapsum est. Inter repercutientia alia sunt aquosa, sine vlla adstrictione, alia sunt terrestria & adstringentia: horum rursus alia sunt calida, alia frigida. Medicamenta repercutientia aquea, quæ tantum repellunt ob qualitatem frigidam sunt: lactuca, rumex, Portulaca, Cichoreum, Centinodia, Trifolium, Solanum, Lentes aquaticæ, Vmbilicus Veneris, Psyllium, Cucurbitæ, Cucumeres, Melopepones, Rosæ, albumen oui. Fortiora sunt Hyoscyamus, Papauer, Boleti, Mandragora. Repercutientia terrestria & adstringentia calida sunt inter herbas, Absynthium, Centaurium, Agrimonia, mentha, laurus, Gentiana, coriandrum: inter aromata Cinnamomum, Nux myristica, Spica nardi, Crocus, Calamus Aromaticus, Cardamomum, Myrrha, Lignum Aloes. Inter Mineralia, Chalcanthum, Sulphur, Alumen, Sal. Inter composita oleum de Absynthio, de Mastiche, de Nardo, de Costo, Ceratum stomachicum Galeni, Diasantalorum, Emplastrum diacalciteos. Terrestria adstringentia frigida sunt, quæ proprie repercutientia appellantur, inter herbas Plantago, folia vitium, quercus, cupressi, Rubi, Oxyacanthi, Cauda equina, folia & fructus Sorbi arboris, Mespila, Pyra syluestria, poma Cydonia, Myrtus, grossularia, capita & pediculi rosarum, Nuces viridis, Cupressi, glandes, gallæ, Sumach & eiusmodi fructus immaturi. Inter poculenta, Acetum, Agrestæ (vt vocant) succus granatorum acidorum, cydoniorum, de Berberibus, Acacia. Inter cortices, de quercu, malicorio. Inter flores, Balaustia. Inter farinas, de hordeo, panico, auena, milio, orobo. Inter mineralia, Antimonium, Tutia, Pompholyx, Spodium, Plumbum, Lithargyrum, Cerussa, Terra Lemnia, Bolus Armena, præte-

Quæ sint repercutientia.

Repercutientia Aquosa.

Terrestria calida & adstringentia.

Terrestria adstringentia frigida.

præterea Corallium & Sanguis Draconis. Inter olea, de Roſis, oliuarum viridium, myrtillorum, ol. papaueris, cydoniorum, Nenuphar. Inter vnguenta Album Rhaſis, Roſatum, Camphoratum, Comitiſſæ, Diapalma diſſolutum in oleo roſato & aceto, deſiccatiuum rubeum, Diapompholygos, Populeum. Inter Emplaſtra Triapharmacon Gal., Contra rupturam, de Ceruſſa. In compoſitione repercutientium craſſæ ſubſtantiæ ſæpe additur acetum, camphora & alia ingredientia partium ſubtilium, vt melius penetrent, & ſeruiant pro vehiculo, quo deportetur ſubſtantia terreſtris & adſtringens, vt ad interiora penetrare poſſit. Ligaturæ debito modo factæ & intortæ, referuntur in numerum repercutientium, quia impediunt affluxum humorum, & ſic repellunt per accidens.

Ligatura & earum vſus.

Per reſoluentia] Medicamenta reſoluentia ſunt, quæ calore & tenuitate ſubſtantiæ ſuæ poros aperiunt, attenuant, diſſipant, faciuntque vt euaporent & exhalent per inſenſilem tranſpirationem humores aliæque materiæ inutiles & ſuperfluæ in partibus vbi hærent. Sunt autem hæc in duplici differentia. Quædam enim ſunt debiliora, quæ Græci vocant ἀραιοτικὰ, id eſt rarefacientia: alia ſunt fortiora, proprie dicta Diaphoretica. Quæ rarefaciunt, aperiunt emolliuntque cutim mediocri ſuo calore, cum ſint parum ſicca, ſubtiliſque ſubſtantiæ, & ſic materiæ contentæ præbent exitum. Diaphoretica aliquantum calidiora ſunt quam araeotica, vnde diſſipant inſenſibiliter id quod eſt impactum infixumque partibus. Araeotica præcipua ſunt, bismalua, parietaria, adiantum, *Mercurialis*, ebulus, valeriana, roſmarinum, ſaluia, thymus, flores chamomillæ, meliloti, anethum, farina hordeacea, triticea, ſemen lini, fænugræci, ſem. nigellæ, mica panis, furfur, butyrum, pinguedo gallinacea, anſerina, anatum, cuniculorum, vitulina. Amygdalæ dulces, oleum chamomillæ, anethi, liliorum, lumbricorum, vitelli ouorum, tritici, amygdalarum dulcium, keirinum vuguentum altheæ, emplaſtrum diachylon ireatum.

Que ſint reſoluentia.

Duplicia, rarefacientia & Diaphoretica.

Araeotica.

Diaphoretica rurſum ſunt vel ſimplicia vel compoſita. Simplicia ſunt Ariſtolochia, Enula campana, Iris, Cæpæ, Squilla, Polygonatum, Bryonia, Panis porcinus, Acorus, Aſphodelus, Dracunculus Mentha, Origanum, Pulegium, Serpillum, Sabina, Calamintha, Hyſſopus, Vrtica, Artemiſia, Lauendula, Caulis, Chamæpytis: Semina, Aniſi, Fæniculi, Cumini, Piper, Nux myriſtica, Coriandrum, Baccæ Lauri,

Diaphoretica. Simplicia.

Lauri, Iuniperi: Farina fabacea, de Lupinis, de Orobo & Milio: Mel, Vinum vetus, Aqua vitæ, Muria, Adeps taurinus, equinus, leoninus, caninus, hircinus, medullæ cerui & arietis. Ammoniacum, Galbanum, Opopanax, Sagapenum, Bdellium, Ladanum, Styrax, Laserpitium: Stercus caprinum, columbinum, bubulum. Composita: oleum amygdalarum amararum, iuniperinum, de Scorpionibus, de costo, nardo, lauris baccis, iridem rutæ, de euphorbio, tartaro, latere cocto. Petroleum. Vnguentum Agrippæ, Martiatum, Aragonis & Enulatum. Emplastrum de Vigo, Oxycroceum, & diacalciteos dissolutum in oleo digerente. *Composita.*

Attrahentia] Medicamenta quæ Græci appellant Helctica & Epispastica, & nos Attrahentia vocamus, contraria sunt repercussiuis. Sunt autem calidæ subtilisque substantiæ, cuius vi foras extrahunt inque circumferentiam id, quod profundius latet in corpore. Est autem virtus attrahendi duplex: Vel naturalis vel accidentalis. Illa sequitur qualitatem manifestam, vel proprietatem occultam & familiarem naturæ. Medicamenta attractiua per qualitatem manifestam sunt, inter simplicia, Allium, Bryonia, Cæpæ, Porrum, Aristolochia, Hermodactyli, Cyclaminus, Sigillum Mariæ, Aron, Asarum, Alphodelus, Gentiana, Pyrethrum, Sauina, Anagallis, Vrtica, Tithymalus, aliæque plantæ acres. Gummata Ammoniacum, Bdellium, Galbanum, Opopanax, Sagapenum, Euphorbium. Sulphur, Sal Ammoniacum, Auripigmentum, Calx viua; Pinguedo vrsi, viperæ, anseris, canis, axungia vetus. Inter composita oleum Scorpionum, Spicæ, *Philosophorum*, Vnguentum Agrippæ, Martiatum, Enulatum, Aragon. Emplastra: de Meliloto, Diachylon magnum, Oxycroceum, Diuinum. Quæ attrahunt familiaritate quadam substantiæ sunt, Magnes, Mercurius, Carabe, Pœonia, omnes confectiones Alexipharmacæ magnæ, Theriaca, Mithridaticum, & omnia medicamenta catarctica. Attrahentia per qualitatem accidentalem: stercus columbinum, caprinum, vaccinum, fermentum, caseus vetus, & id genus alia, quibus attractiua facultas inest per acrimoniam qualitatum à vi putrefactionis excitata. Ventosæ, sanguisugæ, cucurbitulæ, factiones, dolores, ligaturæ, frictiones & cauteria pertinent ad catalogum attrahentium per accidens. *Attrahentia medicamenta.* *Duplicia.* *Per se.* 1. 2. *Per accidens.* *Quæ sint Medicamenta emollientia.*

Emollientia] Hæc à Græcis vocantur Μαλακτικὰ, emolliuntque indurata corpora moderato suo calore sine vlla humiditate aut siccita-

te apparente. Huius census sunt inter simplicia, Radices liliorum, Bismaluæ, folia maluæ, bismaluæ & violaceæ, herbæ, semen maluæ & bismaluæ, lini, fænugræci, grossi, vuæ passæ, decoctum testium, pedum & omenti arietum: pinguedo porcina, vitulina, caprina, vulpina, vrsina, gallinacea, anserina, humana, butyrum, lana succida, medulla cerui, cera pinguis, vitellus oui, bdellium, Ammoniacum, galbanum, ladanum, styrax, opopanax, oleum oliuæ & amygdalarum dulcium. Inter composita oleum liliorum, vnguentum de Althæa, emplastrum diachylon, oxycroceum, ceroneum & de mucilaginibus.

Qua sint suppurantia.

Suppurantia] Medicamenta suppurantia sunt, quæ claudunt poros, & impediunt transpirationem, atque sic augent calorem naturalem, vt conuertant putridum sanguinem in pus. Sunt autem natura calida & humida, similia temperaturæ partis cui applicantur, consistentia est illis qualis est emplastris, vt conseruare calorem naturalem possint, ne exhaletur & dissipetur. Huius generis sunt, adeps animalium domesticorum, butyrum, farina tritici cribrati & à furfuribus purgati, in hydrelæo cocta, grossi, pix, thus, radices bismaluæ, liliorum, cæparum, cum folijs lapathi. Inter vnguenta Basilicum & Diachylon.

Cauterium duplex.

Ferro aut per cauterium.] Cum apostema venit ad suppurationem, si pus gignatur, non rumpitur sua sponte: aperiendum igitur est vel scalpello vel nouacula, vel cauterio actuali aut potentiali. Sunt autem Cauteria potentialia medicamenta, quæ virtute sua causticа vrunt & escharam inducunt. Applicantur hæc ad faciendam aperturam partis alicuius, vt fieri possit euacuatio, deriuatio, reuulsio & attractio humorum. Conueniunt hæc proprie Apostematibus plegmaticis, quod calidate sua humores frigidos crudosque coquant, qui difficulter suppurantur, vt & illis, in quibus fluxus sanguinis metuendus est. Faciunt & ad Apostemata Venerea, bubones & carbones pestilentiales, nisi magna adsit inflammatio, quia attrahunt venenum è profundo in superficiem, præbentque amplum materiæ exitum. Eadem de causa prosunt ad puncturas & morsus bestiarum venenatarum, suntque apta ad consumendum carnes superfluas putridasque, vtque cadant crustæ callosæ à labijs vlcerum. Fiunt autem cauteria eiusmodi è cineribus quernis, siculneis è sarmentis vitium, de tithymallo, de trunco caulis & fabarum, è cinere de fæce

Potentiale ad quæ sit vtile.

Vnde fiant cauteria potentialia.

vini

vini combuſta, aliiſque ſimilibus. Sunt & certa mineralia, quæ materiam illis præbent, Chalcanthum, Alumen, Nitrum. Conficitur inſuper ſal ex omnibus rebus, qui calore ſuo cauſtico eſcharam facit velut ferrum aut viuus carbo, vnde fit apertura tumoris, conſumta corroſaque cute & carne cui applicantur.

Cauteria ſerica Parei.

Laudantur à Pareo valde Cauteria Serica, quæ ipſe ita appellat, cum quia artem conficiendi illa mercatus eſt à Chymicæ artis & extrahendi quintam eſſentiam homine peritiſſimo, exhibita ei materia ſerica heteromalla: tum quod mitiſſima ſint, nec quicquam doloris pariant: ſi imponantur partibus nondum inflammatis. Deſcribit autem cauteria illa ad hunc modum. Accipe cineres de ſiliquis fabarum, (quorum loco potes etiam earum truncis vti) cineres de lignis quernis bene coctis, vtriuſque generis ternas libras. Cinerum è fæce vini aduſta libram vnam: Aluminis glaciati in puluerem redacti vncias quatuor, aquæ fluuiatilis quartulas ſex, mitte hæc omnia in Caldarium & confunde diligenter. Poſtmodum adde lapidem vnum calcis viuæ, ad pondus quatuor librarum, miſce omnia aliquoties, & ſine vt ita macerentur per bidui ſpacium, commouendo ea interim ſubinde, vtfiat inde lixiuium valde forte. Hoc exemptum coctumque ad ignem cola per linteam craſſioris fili. Hanc colaturam rurſus bis terue infunde denuo ſuper eoſdem cineres, vt acquirat virtutem igneam deinde ſine vt bulliat in pelui, qua barbitonſores vtuntur, vel in vaſe figulino plumbato, ſubiectis affatim viuis carbonibus, donec omne redigatur in materiam terreſtrem inſtar ſalis. Non eſt autem ſal iſte tam diu relinquendus ſupra ignem, donec omnis eius humiditas ſiccetur aut conſumatur, ſed auferendus eſt ab igne, cum aliquid humoris ei ſupereſt, vt inde quot velis cauteria fingere poſſis, magna, parua, longa, rotunda: quæ ita effecta ſtatim indes vni pluribuſque vaſis vitreis ſiue phialis, probe obturatis eorum orificijs, ne admiſſo aere in aquam diffluant, ſicque conſeruabis in loco calido ſiccoque, minimeque humido, ne liqueſcant, ſed vt illis vti poſſis cum opus eſt.

Eorum deſcriptio.

Quid ſint veſicatoria.

Veſicatoria vel Ruborem inducentia, quæ Græci vocant *Phœnigmata*, multum familiaritatis habent cum cauterijs potentialibus. Sunt autem medicamenta acria, quibus ineſt virtus faciendi veſicas & vlcerandi cutem, extrahendique foras humores impactos parti affectæ, qui digeri per reſoluentia, emollientia & attractiua

Materia eorum. non potuerunt. Sumitur autem materia eorum à medicamentis septicis, cuius generis sunt Sinapi, Anacarda, Cantharides, Euphorbium, Squillæ, radix Bryoniæ, aliæque similes res, quæ incorporantur cum melle vel therebintina aut fermento, aut gummi aliquo vel resina, vt inde fiat vnguentum, Emplastrum vel Cataplasma. Exempli gratia.

℞. Canthar.
Euphor.
Sinap. ana ʒ. ß.
Mellis anacardini, ʒ. j.
Aceti modicum.

Excipiantur fermento, & fiat vesicatorium. Huius ope extrahuntur foras aquæ hydropicorum & serosus humor, ex quacunque parte, auferturque contumax dolor capitis, coxarum & iuncturarum. Hinc remediorum istorum vsus est, in dispositionibus longis, cũ cætera nihil profecerint, in Hemicrania, Epilepsia, morbo Ischiatico & Podagra. Adhibentur etiam in Carbunculis Pestiferis.

II.

Quando sint applicanda repercutientia. Varia cautiones. Cauendum est etiã atq; etiam, ne applicentur repercutientia tunc, cum materia continetur in glandulis, post aures, in inguinibus vel iuxta partes nobiles, vel cum ipsa est critica, vel venenosa & maligna, vel etiam crassa & viscida. Resoluentia conueniunt materiæ subtili. Attrahentia locum habent, cum iam in eo est, vt humor redeat interius ad partes nobiles & principes. Cum materia indurata est, vtile erit applicare emollientia, antequam vtaris resoluentibus. Quod si materia ob crassitiem suam omnino & penitus resolui non possit, veniendum est ad suppurantia. Tumore iam suppurato, nisi per se rumpatur, necesse est facere apertionem in loco molliori, vbi cedit digito relicto vestigio impressionis, in parte humiliore, qua pus commodius exire possit, obseruata rectitudine Abrarum, & longitudine venarum, neruorum & arteriarum. Neque vero omnis materia simul ac semel euacuanda est, si abscessus sit grandior. Tandem mundandum, incarnandum & ad cicatricem perducendum est vlcus.

Quomodo sint curanda vlcera.

NOTÆ.

Cauendum est autem] Guidonis, vt & omnium antiquorum pertinax

nax ſententia eſt, ſub initium Tumorum Phlegmonoſorum aliorumque omnium, qui per viam fluxionis producuntur, vtendum eſſe repercutientibus, præterquam in caſibus exceptis. Notauitque idem Guido, Galenum ſingulariter excipere quatuor caſus. 1. Cum tumor eſt in emunctoriis. 2. Cum conſtat è materia venenoſa. 3. Cum materia craſſa eſt & viſcida. 4. Cum nimis impacta eſt affectæ parti. Auicennas duos tantum caſus excipit; quando tumor eſt in emunctoriis, vel in tali loco, vnde periculum ſit, ne redeat materia peccans ad partes principes. Alij denique vnum duntaxat excipiunt: rurſum alij ſex, decem, nouendecim, viginti tres. Sed de his dicere nihil attinet. *Caſus excepti quatuor.*

Reſoluentia conueniunt] Cum optima ſit via terminandi tumores, quæ fit per reſolutionem, vt breuiore inſiſtamus via, conandum eſt, an aliquid profici poſſet per remedia reſoluentia, antequam ſuppuratio tentetur, inprimis autem tunc, cum materia ſubtilis eſt & tenuis, quod hæc ſit facilis ad digerendum. *Primò vtendum reſoluentibus*

Attrahentia locum habent] Si metus ſit, ne materia redeat interius ad partes nobiles, impedienda eſt per medicamenta attrahentia tumori impoſita: his enim ineſt virtus extrahendi foras materiam, quæ iam in eo erat, vt penitiora repeteret. Seruiunt inſuper ad reuellendum quod reſiduum eſt à Phlegmone indurata, ad maturandum abſceſſus Criticos, ad extrahendum feſtucas fractorum oſſium, clauos, ſpinas, ſagittas, ad eliciendum venenum in extimam pellem, adeoq; ad curandos morſus tam animalium quam hominum, ad exhauriendam vitioſam ſaniem in plagis partium neruoſarum & malignorum vlcerum, adque reddendam vitam partibus tabidis & macie confectis; poſtremo ad calefaciendа frigida membra. *Attrahentia quando adhibenda.*

Vtile erit applicare emollientia] Quando humor affectæ parti impactus valde induratus eſt, applicanda erunt medicamenta emollientia antequam vtaris reſoluentibus, quod talis materia reſolui nullo modo poſſit, niſi prius emolliatur. Et hæc eſt cauſa, cur vtamur medicamentis emollientibus in tumoribus Scirrhoſis, qui aliquando ad extremum gignuntur in mediis muſculis, in glandibus, viſceribus, labiis vlcerum è materia craſſa frigida & viſcoſa, qualis eſt pituita & atra bilis. Sunt tamen tumores ex hoc humore geni- *Cur emollientia aliquando præcedant reſoluentibus.*

ti vt plurimum cancrosi, ideoq; maligniores fiunt per vsum emollientium: qui vero generantur è pituita, magis indigent emollientibus.

Quando sit ad suppurantia recurrendum.

Veniendum est ad suppurantia. Cum materia nimis crassa est, quam vt totaliter digeri per remedia resoluentia possit, tunc necesse est, vt ad suppurantia confugiamus, vt pori, crassitie illa obturati, contineant intra se naturalem calorem, qui eo pacto plus habet vigoris virtutisque, ad maturandam coctionem materiæ, vt sic ista materia in pus conuersa, ad extremum euacuari possit, facta apertione vel à natura vel ab artificio.

Abscessus quando sit aperiendus

Tumore iam suppurato] Antequam fiat apertio, maturanda prius perfectè est materia, vt totus tumor suppuretur, alioquin quod superest, manebit crudum, & per consequens longæ ac difficilis curationis. Vnde præcipitanda nequaquam est apertura tumoris, neque tunc facienda, cum pars quædam materiæ suppurata apparuerit. Facto enim initio, id quod iam concoctum est, celeriter residuum quoque in pus rediget. Videmus hoc in corporibus inanimatis, exempli gratia in pomo, quod putrescere incipit, vbi sublata putrida parte, reliquum quoque celeriter putrefit, quod vt impediatur, adscinditur pars iam corrupta. Sic quoq; comparatum est cum humoribus contentis in tumoribus præter naturam. Diligenter igitur chirurgus obseruabit hoc præceptum, quod ita intelligendum est, si pars à tumore obsessa non sit subiecta corruptioni, aut si materia contenta non sit venenosa aut critica. *Sed si tumor omnino fuerit suppuratus*, nisi sponte sua rumpatur, necesse erit, *vt paulo post aperiatur*, nec pus amplius putrefiat vicinasque partes corrodat, nato maligno vlcere aut fistula interius.

In aperiëdo abscessu sex sunt considerãda.

I.
II.
III.
IV.
V.

Facere apertionem] In Apostematis alicuius apertione sex res considerari solent, vt tam veteres quam recentiores medici obseruauerunt. Primo, vt apertio fiat in loco molliori, & qui cedit impressioni digiti, & vbi acuminatur, quia constat, ibi materiam magis quam alibi suppuratam esse, & cutem tenuiorem. Secundo vt fiat in loco humiliori, quo pus expeditius effluere possit, neque fœtorem contrahat. Tertio, vt fiat secundum rugas cutis & rectitudinem musculorum. Quarto, vt vitentur maiora vasa, qualia sunt Venæ, arteriæ, nerui. Quinto, ne materia semel ac vna vice euacuetur, ne sequatur debilitatio virium, ob nimiam euacuationem spirituum

exeun-

excuntium cum materia. Sexto vt post aperturam locus mundetur, carne repleatur, & ad cicatricem perducatur. Facta apertione si quædam pars tumoris superfit, quæ nondum omnino suppurata fuerit, cogitare debet Chirurgus, duplicem sibi restare curam, tumoris videlicet & vlceris, exigente ordine medicinæ, vt prius curetur tumor, deinde vlcus, cum hoc curationem recipere non possit, nisi prius pars tumefacta ad naturalem habitum redacta fuerit. Continuabit igitur vsum medicamentorum suppurantium, tractabitque vlcus duorum triumue dierum spacio cum tali digestiuo. ℞. Vitellum vnius oui, therebint. Venet. & olei rosati ana vnc. ß. misce. Hinc mundabis tali medicamẽto. ℞. Mellis rosati vnc. j. syrupi rosat. & therebint. Venet. an. vnc. i. ß. farinæ hordei ʒ ij. fiat medicamentum ad vsum. Vel sane mundificatiuo de apio, cuius hæc est confectio. VI.

℞. *Suc. apij,*
absynth.
beton.
plantag. an. ʒ. j.
mel. commu. vnc. v.
therebint. Venet. vnc. iiij.
far: hordei,
Orobi an. ʒ. ij.
pulu. aloes,
Myrrhæ.
rad. ireos Florent. an. ʒ. j.

Descriptio Mundificatiui de apio.

Coquatur mel cum succis, quibus consumptis addantur farinæ & puluores, misceantur omnia ad formam vnguenti. Si opus fuerit vlteriore mundificatione, vteris vnguent. Apostol. vel Aureo & Ægyptiaco, mistis simul, vt ars postulat. Emundato ad hunc modum vlcere incarnetur, & ad cicatricem perducatur.

III.

In curatione Tumorum, consideranda est illorum essentia, qualitas materiæ, & natura partium in quibus illi hærent. Pro magnitudine enim eorum vel paruitate oportet augere, minuere vel mutare medicamenta. Pro ratione Tumorum consideranda est eorum qualitas, & hic adhibenda propria remedia; postremo secundum naturam partium affectarum varianda est cura.

In morbis curandis tria consideranda.

ANNO.

ANNOTATIO.

Cura Tumorum quot modis differat.

I. In cura Apoſtematum tria obſeruanda ſunt: primo eſſentia Tumoris: ſecundo qualitas humoris qui tumorem facit: tertio natura partis in qua tumor reſidet. Primum indicium ſumptum ab eſſentia tumoris variat curam. Vt enim tumor magnus eſt ſiue paruus, ita adhibentur remedia. Idem facit ſecundum indicium ſumptum à qualitate humoris, qui cauſatur illam Tumoris ſpeciem, cum aliter tractandus ſit Tumor ſanguineus, quam is qui à flaua vel atra bile genitus eſt, vel alia materia: Sic etiam aliter curandum eſt Oedema quam Scirrhus, phlegmone quam Eryſipelas. Sic & cura Tumoris à naturali humore orti diſſimilis eſt illi, qua vtimur in humore non naturali: poſtremo tumores facti per congeſtionem aliam exiguunt curam, quam qui fiunt per viam fluxionis. Tertium indicium ſumitur à natura partis tumore obſeſſi, nec minus quam ſuperiora variat tractationem. Per naturam enim partis intelligimus eius temperamentum, formationem, ſitum & facultatem. Ex his omnibus ſumitur indicium. Temperamentum enim monſtrat nobis, alia conuenire remedia partibus carnoſis, quæ ſunt humidiores, alia neruoſis quæ ſicciores ſunt. Sic quoque vt remittantur omnes cæteræ partes in temperamentum ſuum naturale, diuerſa requiruntur remedia. Conformatio etiam partis nos docet, partes quaſdam interius habere cauitates & ſpacia, alias vero non. Adde quod aliæ ſint raræ, aliæ ſolidæ, vnde & aliæ magis obnoxiæ ſunt fluxionibus, aliæ minus. Aliter igitur procedendum eſt Medico in cura vnius quam alterius. Nec parum momenti habet conſideratio ſitus, propter connexionem, quam pars affecta quandoque habet cum magnis vaſis, & commoditatem ductuum ad faciliorem euacuationem humoris ibi contenti. Pariter & facultas partis (ad quam Galenus reducit vſum eius atque ſenſum) non parum mutat curationem. Inter partes enim corporis noſtri quædam ſunt principales, vt cerebrum, cor, epar, à quibus virtus per totum corpus diſtribuitur, per neruos, arterias & venas. aliæ ſunt ita neceſſariæ, vt homo diu viuere non poſſit ſine eorum actione, in quo genere eſt ventriculus, quibus ſollicitè & cum cura applicanda ſunt medicamenta, qui laxant & reſoluunt immoderatè, aut qui vltra modum refrigerant; aliis ineſt ſenſus exquiſitus, puta oculo, neruis, membranis, & tendinibus, quæ ob ſubtilem ſenſum acria ac mordicantia medicamenta perferre non poſſunt.

II.

III.

IV. Duo

IV.

Duo præcipue conſiderantur in cura Phlegmones: prius eſt, vt amputetur via ſanguini confluenti ad partem; poſterius, vt euacuetur ille, qui iam affluxit. Ad obtinendum prius, oportet ab ipſa ſcaturigine tollere nimiam ſanguinis quantitatem per Phlebotomiam: impedire incrementum eius atque impetum arctiore victu & refrigerante: curſum ſanguinis alio diuertere, & ad partes contrarias reuocare per reuellentia, & antequam infigatur illum deriuare, aliumque oſtendere tranſitum: inſuper extinguere calorem, mitigare dolorem, & amputare omnem occaſionem, qua fit attractio ad partem affectam. Ad euacuandum autem ſanguinem, qui iam confluxit ad partem, vtendum eſt medicamentis repercutientibus durante fluxione, vt repellatur id quod inceſſanter adfluit, dum nondum infixum eſt. Reſoluentibus vtendum eſt medicamentis repercutientibus durante fluxione, vt repellatur id quod inceſſanter adfluit, dum nondum infixum eſt. Reſoluentibus vtendum eſt, ad extrahendum per inſenſilem transſpirationem id quod iam firmiter affixum eſt & inhæret. Et hæc eſt cauſa, ob quam pura repercutientia locum habere debeant initio, in augmento vero reſoluentia in parua quantitate cum illis coniungi: in vigore denique æqualiter miſceri; poſtremo in declinatione pura reſoluentia adhibenda. Quod ſi humor taliter impactus eſt parti, vt repercuti reſoluiq; non poſſit, & tumor ad apoſtema deueniat, recurrendum eſt ad ſuppurantia, quæ dum occludunt perſpiracula cutis, perficiunt concoctionem auxilio caloris naturalis. Quod ſi apoſtema ſua ſponte non aperiatur, aperiendum eſt, ne pus putreſcat amplius, & rodat exedatque partes vicinas. Si Gangræna ſuperueniret, quieſcendum eſſet: ſi vero ne Sphacelus quidem impediri poſſet, neceſſario abſcindendum foret membrum mortificatum, quo ſeruaretur reſiduum corpus.

Qua conſideranda in cura phlegmones.

I.

II.

NOTÆ.

Duo conſiderantur in cura Phlegmones,] Guido, Gormelenius, Pareus aliique recentiores in cura Phlegmones quatuor ſibi puncta proponunt: Rationem viuendi, impedimentum humoris fluentis, euacuationem eius qui iam affluxit, & correctionem accidentium. Mihi vero placuit cum Galeno cap. 2. lib. 3. Methodi omnem curationem Phlegmones, vt & Eryſipelatis, Oedematis & Scirrhi, ad duo principalia puncta reducere, quorum prius reſpicit cauſam antecedentem, poſterius

Ratio cur Auctor duobus capitibus cõplectatur curam Tumorum.

coniunctam, vt eo pacto Methodus generalis curandi Tumores, ad hos velut duos scopos collineans, obseruetur in omnibus speciebus. Accedit, quod victus ratio ideo instituatur, vt sisteretur fluxio. Quod ad accidentia attinet, si ea leuia sunt, non desiderant singularem curam, cum constet, sublata causa coniuncta, illa euanescere: si grauia sunt, puta vehemens calor & dolor, fiunt causæ mouentes fluxionem: sic sequetur, primum & vltimum eorum intentionis caput, appendices esse illius, quod ipsi secundum constituunt. Habes, Lector causam, cur omnem curam Phlegmones duobus complectar capitibus, comprehendens sub prima victus rationem, extinctionem caloris, & mitigationem doloris.

Cur necessaria sit venæ sectio.

Vt intercidatur via sanguini] Ad amputandum affluxum, tollenda est causa illius: est autem hæc præcipue abundantia sanguinis. Vides rationem, propter quam initium in cura phlegmones à Venæ sectione sit faciendum. Extrahendum autem est tantum sanguinis, quantum requiritur ad diminutionem plenitudinis. Etsi autem forte corpus plethoricum non esset, & inflammatio nulla alia occasione prouocaretur, quam calore & dolore partis affectæ; non tamen esset intermittenda sectio Venæ, morbi magnitudine id exigente, vt Galenus monet 13. Methodi, ita tamen, vt habeatur respectus ad naturam & ætatem languentis, nec non ad constitutionem temporis & regionis.

Cur victus tenuis esse debeat.

Arctiore victu & refrigerante] Sicut larga & affluens victus ratio multum *gignit sanguinis*, sic dicta angusta & tenuis minuit nimiam eius quantitatem, & impedit illius incrementum. Sicut etiam vsus ciborum calefacientium prouocat augetque fluxionem sanguinis: sic & refrigerantes cibi refrænant sistuntq; impetuosum eius cursum.

In quo consistat recta victus ratio.

Hæc est causa cur victus ratio tendere debeat ad frigiditatem, & (si adsit febris) ad moderatam humiditatem. Intelligo autem per victus rationem cum Galeno, vsum sex rerum non naturalium (vt vocantur) Locum igitur æger sibi deliget in quo habitet, vbi aër purus sit & clarus simulque frigidiusculus. Cibus eius potusque sit moderatè frigidus & humidus, abstineat à cibis multum nutrientibus, vtatur iusculentis decoctisque de lapatho, lactuca, spinachia, buglossa, borragine, cichoreo. Vitet omnia aromata, allium, cœpas, & omnino omnes cibos qui calefaciunt sanguinem: nec non pinguia

& dul-

& dulcia edulia, cum hæc celeriter inflammare queant. Vinum bibat tenue & dilutum: quod si febris adsit, abstineat omnino, bibatque aquam hordeaceam vel decoctum. Studeat esse quietus, quod omnis motus calefaciat, inprimis vero ne exerceat partem affectam, quocunque modo id fiat. In dormiendo seruet mediocritatem. Venter vt liber sit à constipatione, det operam, quod si sponte aluus non fluat vtatur Clysteribus & suppositoriis per interualla. Caueat ab omnibus vehementioribus animi affectionibus, ab ira, tristitia, vitetq; inprimis consortia fœminarum.

Per remedia reuellentia] Qualis est venæ sectio directe contraria parti ægræ; & applicatio cucurbitularum; nec non frictiones & ligaturæ partis oppositæ. Itaque si Ophthalmia fuerit in parte dextra, vel synanche in parte dextra gutturis, statim & sub ipsum fluxionis initium, aperienda est cephalica in brachio dextro. Quod si humor fluat in genu, secunda est basilica brachij in eodem latere, obseruata semper rectitudine, quod Græci vocant κατ' ἴξιν. Similiter si sit Phlegmone in brachio sinistro, fricandæ sunt & ligandæ coxæ, si sit in ipsis coxis, facienda frictio & ligatura in brachio. *Quæ sint remedia reuellentia*

Antequam infigatur] Post reuulsionem locus dandus est deriuationi, quæ abstrahat humorem adhuc fluentem nec fortiter adhærentem. Si enim quæstio est de deriuando & aperiendo vel euacuando vas propinquum, necessarium est, vt deriuatio proueniat à reuulsione, vacuetur q; semper humor, nondum firmiter infixus. *Quando locus deriuantibus.*

Extinguere calorem, mitigare dolorem.] Necesse est, vt ante omnia sedulus sit Chirurgus in temperando calore & mitigando dolore, quod tam hic, quam ille, causa sit nouæ fluxionis, attrahendo nimirum sanguinem & spiritus ad affectam partem. Hinc opus est vt applicentur continuo remedia refrigerantia & mitigantia, quale est linimentum olei rosati cum pauxillo cæræ circumpositum: Cataplasma de mica panis triticei in lacte madefacti cum vitellis ouorum, oleo rosato & pauxillo croci: vel de malua in aqua cocta, admistis furfuribus, oleo rosato vel violaceo, & croco. *Causa refrigerantium & mitigantium.*

Vel, ℞. *Flor. Chamæm. Melilot. an. p. ij. far. sem. lini, Fœnugræci an.* ℥ *j. Mucilag. sem. psyllij Cydoniorum an.* ℥ ß. *Ol. Chamæm. Viol. an. q. s.*

Fiat cataplasma ad formam pultis satis liquidæ. vel ℞. *Mucilag. sem. Althææ Fœnugræci, an. vnc. iij. Ol. rosat. aneth. an. vnc.* ij & ß. *Far. sem. lini q. s.*

Quando sint adhibenda narcotica.

Formetur inde cataplasma satis molle. Quod si dolor adeo sit vehemens, vt his remediis mitigari non possit, prudenter vtendum erit Narcoticis præparatis & accommodatis ad hunc modum. ℞. *fol. Hyoscyami, Papa. sub cineribus coct. an. vnc. iij. Adip. suilli, ol. rosat. an. vnc. ij. Croci* ʒß. fiat cataplasma. Vel ℞. *fol. recent. Mandragoræ, semperui. Oxal. an. M. ij.* terantur & colo transmittantur, addendo *ol. viola. vnc. ij. fiat* cataplasma. Vel, ℞. *foliorum Cicutæ & Solani an. vnc. iij.* coquantur sub cineribus, terantur & colo transmittantur, addendo *Vnguenti populei & olei rosati an. vnc. i. farinæ fœnugræci q. s.* vt inde formari possit cataplasma ad formam pultis satis liquidæ.

Topica euacuantia variare debent,

Ad euacuandum sanguinem qui iam affluxit.] Fit euacuatio, per quam curamus propriè Phlegmonem, pro temporum diuersitate, per medicamenta diuersarum facultatum, vt Galenus non vno loco monet. A principio enim opus est vt reiiciatur materia Phlegmones per repercutientia, vt sunt spongiæ madefactæ oxycrato, lintea intincta albuminibus ouorum, oleum rosatum cum aqua vel succo plantaginis vel rosarum. fit & cataplasma de Sedo minore, de cortice granati, de sumach, de cerasis acidis. Vel ℞. *suc. semperviui, Plantag. an. vnc. iij. far. hordei vnc. ij. pulu. malicorij, balaustiæ, ros. an. ʒ. ij. Ol. ros. myrtill. an. ʒ. i.* fiat Cataplasma. Vel ℞ *fol. plantag. Solani, Hyoscy. ana. M. ij. caudæ equin. Tapsi. barbat. Centinodij an. M. i.* Coquantur perfecte in oxycrato, terantur & colo transmittantur, addendo *pulv. myrtill. nuc. cupres. & ros. rub. an. ʒ. iij. far. fabar. vnc. ij. ol. rosat. & Cydoniorum ana vnc. i.* ß. fiat cataplasma ad formam pultis satis liquidæ. Vtimur & cum vnguento ros. albo Rhasis camphor. pop. Empl. diachalci. dissoluto in aceto & ol. rosat.

In incremento morbi.

In augmento affectus, cum non solum sit repellenda materia quæ fluit, sed & ea quæ iam est impacta parti, aliquo modo resoluenda, coniungendum est aliquid resoluentis, cum repercutientibus in hunc modum. ℞. *fol. maluæ, plantag. absynthij an. M. ij.* coquantur in oxycrato terantur & colo transmittantur, adde *far. fabar. & hordei an. vnc. i. rosar. rubr. & absynthii an. ʒ. ij. ol. rosat. & Chamomill. an. vnc. i.* fiat cataplasma ad formam pultis. vel. ℞. *far. hordei vnc. iij. far. sem. lini & fœnugræci an. vnc. ij. axung. anser. & ol. rosati an. vnc. ij.* fiat cataplasma.

In vigore mali.

In statu siue vigore mali, cũ non minus sit habẽdus respectus ad materiã impactã, q̃ ad eam, q̃ adhuc ad partẽ fluit, vtile erit vti resoluẽtibus

in pari quantitate cum repercutientibus, &, si adsit dolor, miscere mitigantia, in hunc aut similem modum.

℞. *Rad. althææ* ℥. iij. *Maluæ, parietariæ an. M.* ij. Coquantur sub cineribus, addendo *farin. fabarum & lentium an.* ℥. ij. *Pulu. Chamomill. melil. an.* ℥. ß. *Ol. Chamomill. Rosa. an.* ℥. j. *Axung. gallin.* ℥. ij. fiat cataplasma.

Vel. ℞. *Micæ panis triticei in aqua calidæ maceratæ* ℔. ß. *pulu. rosarum & absynthij an.* ℥. ß. *ol. anethi & mellis communis an.* ℥. ij. fiat cataplasma ad formam pultis.

Declinante malo, cum alium scopum propositum habere non debeamus quam vt sensibiliter resoluamus materiam impactam, necesse erit vti puris solisque resoluentibus, cuius generis sunt hæc. *In declinatione.*

℞. *Maluæ, bis maluæ an. M.* ij. *coquantur, addendo far. hord.* ℥. ij. *mellis communis* ℥. j. *Ol. Chamæmeli, anethi an.* ℥. j. ß. fiat cataplasma.

Vel. ℞. *Rad. Bryoniæ. Cucumeris agrestis an. vnc.* ij. *florum Chamæmeli, meliloti. an. p.* ij. coquantur in hydromelite addendo *farin. sem. lini, fœnugræci an.* ℥. ij. *Ol. anethi, axung. anseris, anatis an.* ℥. j. fiat cataplasma.

Vel ℞. *Empl. diachyl. magni* ℥. ij. *emplast. de meliloto* ℥. j. *Ol. anethi & chamæmeli an.* ℥. ß. liquefiant omnia simul. Vel, ℞. *Emplast. de mucilag. oxicroceo an.* ℥. ij. *emplast. diachyl. ireat.* ℥. j. *Ol. lilior. aut chamæmeli q. s.* fiat emplast. satis molle.

Ad suppurantia] cum nulla spes est resolutionis, transeundum est à resoluentibus ad suppurantia. Conueniunt huc proprie Basilicon & Diachylon magnum. Galenus vtitur hydrelæo in fomentationibus, deinde applicat cataplasma de farina triticea, mediocriter bulliente in hydrelæo, aut mica panis mediocriter cocta in aqua & oleo. Poteris etiam vti hoc. *Quando recurrendum ad suppurantia.*

℞. *Rad. liliorum, altheæ. an.* ℥. ij. *foli. parietar, senec. an. M.* I.

Coquantur in hydromelite, terantur & colo transmittantur, *addendo farinæ sem. lini.* ℥. ij. *adip. suilli & ol. liliorum an.* ℥. j. ß. fiat cataplasma. Vel. ℞. *maluæ, althææ, an. M.* j. *caric. ping. num.* x. *passularum* ℥. ij. coquantur in aq. q. s. terantur & colo transmittantur, addendo *mellis communis* ℥. ij. *Vnguent. basilic. & butyr. recent. an.* ℥. j. fiat cataplasma.

Si forte Gangræna superueniat.] ad sistendam Gangrænam, vbi ægro præscripta fuit ratio viuendi tenuis & refrigerans, & medicamenta cordialia exhibita, qualia sunt theriaca dissoluta in aqua oxalidis vel cardui bene- *Remedia ad sistendam Gangrænam.*

benedicti; opiatum compositum de conseruis rosarum & buglossa cum Mithridatio, impositoque epithemate in regione cordis, ad corroborandum illud & conseruandũ ab infectione noxiorum vaporum, qui ascendunt à parte gangræna infecta per arterias, vtendum est frequentibus scarificationibus & incisionibus magnis profundisque, pro magnitudine mali, vt sanguis abundanter fluat, euacuandæ materiæ coniunctæ gratia, & alleuandæ euentilandæque partis gangrænatæ ergo. Deinde aliquoties in die facienda est ablutio, cum lixiuio facto è cineribus siculneis, vel quernis, in quo decocti fuerint lupini, vel cum aqua salsa, adiuncto de Aloe, Ægyptiaco & aqua viua, vel cum hoc, quod sequitur, decocto,

℞. *Aceti opt. libr.* j. *mel. rosati* ℥. iiij. *symp. acetos.* ℥. iij. *salis communis*, ℥. v. bulliant simul. adde *aq. vitæ lib.* ß. vel alterius decoctionis desiccatiuæ, resoluentis, detergentis, & aperientis, vt virulenta & corrupta materia consumatur & tollatur putredo. Applica deinde tumori Ægyptiacum & cataplasma aliquod habens virtutem, impediendi putrefactionem, resoluendi & detergendi virulentam saniem, quod simul queat desiccare & corroborare partem, doloremque sedare, cuius generis hoc est. ℞. *far. fabarum, hordei, orobi, lentium, lupinorum an. lib.* ß. *salis communis, mellis rosati a.* ℥. iiij. *suc. absynthij, marrubij. Centaurei, an.* ℥. ij. *Aloes, Mastiches; Myrrhæ aqu. vitæ an.* ℥. ß. *oxymelitis simpl. q. s.* fiat cataplasma. Non est autem obliuiscendum, simul imponendum esse tumori defensiuum, ad prohibendum descensum humorum, & ne vapores putridi ad cor adscendant, quale hoc est. ℞. *Ol. rosati & myrtill. an.* ℥. iiij. *suc. plantag. solan. & semperuiui an.* ℥. ij. *albumen ouorum n.* v. *bol. Armen. terræ sigillatæ an.* ℥. j. *Oxycrati q. s.* misce ad vsum præfatum. Si hæc forte non prosint, ad extrema remedia deueniendum erit, quæ consistunt in amputatione partis.

Cura carbunculi. Cura Carbunculi aliquid commune habet cum cura Phlegmones, & simul aliquid proprij, vnde de vtroque aliquid dicendum est. Qui à carbunculo infestantur, his præscribenda est victus ratio tenuis, frigida & humida. Confortandum est illis cor, exhibitis remedijs tam quæ ore sumuntur, quam quæ foris applicantur. Expedit autem extrahere bonam quantitatem sanguinis, ex loco vicino vel directe opposito. Fluxio ipsa deriuari auertique alio non debet, tam ob spissitudinem quam ob malitiam humoris, ne partes in corpore latentes offendantur.

dantur. Scarificatur (vt Paulus ait *cap.* XXV. *lib.* IV.) tumor circa pustulam, vel (vt alijs placet) fiunt incisiones circa vlcus satis profundæ. Abluuntur illæ incisiones aqua salsa calida, & applicatur parti læsæ cataplasma de mica panis, plantagine & lenticula cocta: deinde imponitur vlceri medicamentum aliquod appropriatum. Cessante vero inflammatione, & cadente ischara vsu butyri recentis, vel similis cuiusdam medicamenti, induceturque cicatrix vlceri, vt moris est in alijs.

V.

Cum curandum est Erysipelas, duos sibi scopos propositos habet Medicus: vt refrigeret euacuetque sanguinem cholericum bullientem, & exorbitantem extra venas partis, per remedia vniuersalia: vt & illum quidquam est effusus inter cutem & carnem per topica. Vide victus præscribendus est frigidus & humidus, vitandum vero vinum & omnia calefacientia, contra vtendum refrigerantibus. Necessarium quoque est, vt fiat euacuatio materiæ antecedentis per sectionem venæ & medicamenta cholagoga, vel saltem per clysteres: imponenda etiam affectæ parti topica, cum morbus est in principio & augmento frigida & humida, non vero sicca neque adstringentia, quod metuendum sit, ne bilis repellatur interius ad membrum aliquod princeps. Vbi primum inflammatio cœperit extingui, antequam pars liuescat, applicanda sunt moderate resoluentia, ad digerendam materiam coniunctam. *Quis sit scopus in curando Erysipelate.*

NOTÆ.

Cum curandum est] In huius affectus cura duo præcipue scopi sunt medico propositi, & quidem illi ipsi, qui in Phlegmone obseruantur. Prior est, vt tollantur causæ antecedentes per remedia vniuersalia: posterior, vt auferatur causa coniuncta per topica. Obtinetur autem tam prius quam posterius per refrigerationem & euacuationem. Cum enim ardor Erysipelatis maior sit, quam Phlegmones, maiore etiam ibi opus est refrigeratione quam hic, quia principalis scopus est refrigerare. *Amputatio causarum Erysipelatis quomodo facienda.*

Victus præscribendus est] Tota viuendi ratio, quæ consistit in sex rebus non naturalibus, magis debet ad frigiditatem & humiditatem ten- *Diæta ratio in hoc malo.*

tenderé quam in Phlegmone. Vitandus igitur eſt aer calidus, vinum, cibi acres & aromatibus conditi, vt & omnia dulcia & pinguia. Vtendum eſt lactucis, rumice, portulaca, ſimiliumque herbarum decoctis, hordeo mundato & ptiſana. Fugienda ſunt exercitia nimis violenta, vigiliæ immodicæ, iracundia, aliæque paſſiones animi, & omnis vſus Veneris.

Per ſectionem Venæ] Phlebotomia neceſſaria eſt, ſi Eryſipelas ſit Phlegmonoſum, & plenitudo corporis adſit, cum hæc ſæpe ſit cauſa mouens Eryſipelas, vt teſtatur Galenus *aphoriſmo* xv. *libri primi*. Si vero Eryſipelas ſit exquiſitum, nec corpus plethoricum, phlebotomia neceſſaria non eſt, cum ſanguis ſit frænum choleræ, quæ quo purior eſt ab aliis humoribus, eo eſt furioſior.

Cholagoga] Qualia ſunt apozemata, potiones, boli propriati ad expurgandam choleram, quæ debent à medico præſcribi.

Medicamenta topica

Medicamenta topica] Cuiuſmodi ſunt hæc quæ ſequuntur. ℞. *aq. frigidæ* ℥. vj. *aceti* ℥. j. fiat oxycratum. Vel. ℞. *ſuc. plantag. ſolan. ſemperviui an.* ℥. ij. *ſuc. hyoſcyami* ℥. *mucag. ſem. Pſyll. vnc.* j. ß. *aceti opt.* ℥. ß. *miſce.* Item. ℔. *Vnguent. roſat.* ℥. iij. *ſuc. plantag. ſemperuiui an.* ℥. j. *trochiſ. de camphora* ʒ. *ſ. aceti parum*, fiat linimentum. Si dolor & inflammatio adeo ſit vehemens, vt iam ferri non poſſint, vtendum eſt narcoticis, igitur. ℞. *ſuc. hyoſcyam. ſolan. Cicut. an. vnc.* j. *Ol. papau.* ℥. ij. *mucag. ſem. Pſyl. & fœnugræc. in aquaroſarum & plantag. extract. an.* ℥. j. ß. *aceti* ℥. ß. *opij &* *Camphor. an. gr.* iiij. *croci.* ϑ. ß. *album ouorum num.* ij. fiat linimentum, addendo *vng. refrig. Gal. Camphorat. q. ſ.* Cæterum Chirurgus huius medicamenti vſum non nimis diu continuabit, ne extincto calore naturali, mortificetur pars affecta.

Cautela de vſu narcoticorum.

In declinatione.

Moderate reſoluentia] Qualia ſunt hæc. ℞. *Rad. althææ* ℥. ij. *fol. mal. biſmalu. parietar. abſynth. ſaluiæ an.* M. j. *flor. chamæmel. melitot. roſarum rub. an. p.* ij. coquantur in æquis partibus aquæ & vini, fiat fotus cum ſpongia. Item. ℞. *farin: hord. & orob. an. vnc.* ij. *farin. ſem. lini. vnc.* j. coquantur in hydromelite, addendo *pulu. roſarum rub. & chamæmel. an vnc.* ß. *ol. aneth. & chamæmel. an. vnc.* j. fiat contaplaſma. Poteſt etiam applicari diachylon ireatum, vel diapalma diſſolutum in oleo chamomillæ.

Cura Herpetis.

Cura Herpetis non differt à cura Eryſipelatis, niſi ratione vlceris. Similis enim ratio viuendi præſcribenda eſt, & facienda euacuatio materiæ antecedentis, cum ijſdem medicamentis purgantibus, & ablatione

mate-

materiæ coniunctæ, per eadem topica. Cum autem Medico in Herpete corrosiuo tam sit habenda ratio ad tumorem quam ad vlcus, oportet vt duplicem sibi proponat intentionem, nempe resolutionem tumoris, & desiccationem vlceris. Ad quem finem vt perueniat, applicabit medicamenta quædam resoluentia & desiccantia, qualia sunt hæc. ℞. *ol. rosati, & adip. capr. an. vnc.* ij. *ceruſſæ & tuth. præpar. an. vnc.* j. *cortic. pini vsti & loti vnc.* ß. *ceræ. q. s.* fiat vnguentum. Vel. ℞. *farin. hord. & lent. an. vnc.* ij. coquantur in *decocto plantag. malicor. & balaust.* addendo *puluer. rosar. rub. & absynth. an. vnc.* ß. *ol. myrtill. & mell. communis an.* ʒ. vj. fiat cataplas. At pro Herpete miliari. ℞. *aq. rosarum vnc.* iij. *acet. acerrimi vnc.* j. ß. *ol. myrtill. axung. anseris, terebint. an. vnc.* j. *pulu. gallæ, malicor. balaust. bol. Armen. an.* ʒ. vj. fiat linimentum. Affirmat Ambrosius Pareus, compertum sibi experientia *Enulatum cum Mercurio* magis efficax esse, quam quoduis aliud vnguentum, quod id mortificet pustulas, consumatq; humorem in ijs contentum.

VI.

Cura Oedematis consistit in duobus: in euacuatione materiæ antecedentis & coniunctæ. Ad euacuandam materiam antecedentem, quæ frigida est & humida, primo præscribenda est diæta calida & sicca, quæ impedit illius incrementum: deinde exhibenda medicamenta phlegmagoga, ad purgãdam cacochymiam pituitosam, quæ est in corpore. Postea roborandæ sunt partes principales, inprimis quæ seruiunt concoctioni, ne inposterum tantum gignant phlegmatis. Et ad euacuandum humorem impactum parti, imponenda sunt medicamenta quibus inest virtus aliquo modo repercutiendi (si fluxio adsit) nec non resoluendi & desiccandi. Quod si forte œdema videatur vergere ad suppurationem, tunc opus erit suppurantibus applicatis. Quod si pus sua sponte non exeat, aperiendum erit apostema, deinde detergendum & inducenda cicatrix vlceri. Si vero declinet in dispositionem Scirrhosam, curetur vt scirrhus. *In quo consistat cura œdematis.*

NOTÆ.

Cura œdematis] Ad procedendum Methodice ad curationem œdematis, primo auferenda est causa illius antecedens per remedia vniuersalia, deinde eius coniuncta per topica. Remedia vniuersalia sunt,

Modus viuendi, purgatio, corroboratio partium principalium. Topica sunt, medicamenta repercutientia, resoluentia, desiccantia, quæ applicanda sunt parti tumefactæ.

1. Dieta. *Præscribenda est dieta.*] Hic necesse est, vt ratio viuendi, quæ consistit in sex rebus non naturalibus, tendat ad calorem & siccitatem, vtque sit contraria causæ & morbo, qui frigidus est & humidus. Captabit ergo æger locum, in quo sit aer calidus, siccus & subtilis. Potus eius sit bonũ & delicatum vinum, panis eius bene coctus, cibis vtatur bonum generantibus succũ, eosq; potius assos comedat quã elixos, vnde à iusculẽtis abstinebit. Piscibus omnino valedicet: in vniuersum parum comedat, minus vero etiam bibat, ad impediendam generationem cruditatum. A cæna prandiove vtatur puluere aliquo digestiuo, studeatq; aluum semper habere liberam, qua in re, si natura sit pigrior, excitet eam arte. Exerceat se moderate, in primis antequam cibum capiat, vt subinde partem aliquam humoris superflui dissipet, excitetq; calorem naturalem. Parũ dormiat, ne per somnum cumulentur excrementa: à curis & anxietatibus abstinet, vt & ab vsu rerum Venerearum.

Medicamenta Phlegmagoga] Quibus inest virtus ad extrahendam pituitam, vbi ea prius præparata fuerit per apozemata attenuantia incidentia, detergentia & aperientia.

Quæ faciant ad roborandas partes principes. *Roborandæ sunt partes principales*] Ventriculus, omnino roborari debet atque confortari per remedia intra corpus sumpta, cuius generis sunt, quæ vocantur conseruæ, Electuaria tabellæ, opiata, & quæ foris applicantur, vt linimenta, emplastra & sacculi, vnguenta, Cataplasmata.

Topica ædematis quæ, in augmento, *Ad euacuandum humorem impactum*] Fit euacuatio humoris in partem impacti, per medicamenta topica, quæ variabunt secundum quatuor tempora. In principio enim & incremento præcipit Galenus vt imponatur spongia humefacta oxycrato. Quod si œdema sit in brachio vel in femore, necessaria est fricatura expulsiua, faciendo initium à parte inferiore, & finiendo in superiore. Poteris etiam vti his medicamentis.

℞. *Lixiuii ex cineribus sarmentorum, caulium, an.* ℥. *iiij. aceti.* ℥. *ij. tartari, aluminis ana.* ℥. ß. fiat decoctio, in qua madefacies spongias vel complicata lintea ad fomentandam partem. Vel. ℞. *farinæ hordeaceæ* ℥. *iij.* coque in lixiuio communi, postea adde *olei myrtill.* ℥. *ij. pulu.*

nucis

nucis cupreſſi, balauſtiæ an. ʒ. j. Myrrhæ, aloes, aluminis, an. ʒ. ß. fiat cataplaſma.

Cum eſt in ſtatu & declinatione, vtendum eſt medicamentis reſoluentibus & deſiccantibus, cuiuſmodi ſunt hæc. ℞. *Saluiæ, origani, Calamentæ, hyſſopi, meliſſophylli, abſynthij, equiſeti, thapſiæ barbatæ, plantaginis, centinodiæ an. M. j. nucum cupreſſ. ſumach. malicor. balauſt. alum. tartar. ſalis communis an. ʒ. j.* coquantur in lixiuio, fiat fotus cum ſpongia. Poſtea ℞. *Rad. bryoniæ ʒ. ij. Saluiæ, Origani, pulegii, abſynthii, plantaginis, centinodiæ an. M. ß.* coquantur in hydromelite, terantur, colo tranſmittantur, addendo *farinæ hordei & fabarum an. ʒ. j. olei aneth. & chamæmel. an. ʒ. j. pulueris roſar. rub. chamæmel. & melilot. an. ʒ. ß.* fiat cataplaſma à fotu adhibendum. *In ſtatu & declinatione.*

Poſtremo confortantur partes frictionibus, quæ fiunt linteis percalefactis: hæ enim reuocant & attrahunt ſanguinem & ſpiritus, dum reſoluunt humores fuliginoſos retentos intra cutem & carnem, vnde pars affecta plus vigoris acquirit & alacritatis.

Accidit anno à nato Chriſto M. D. XCV. vt Nouembri menſe pandocheus quidam in vrbe Rhemorum inſigni tumore œdematoſo in vtroque crure afficeretur, qui, quamuis eſſet ſexagenarius, curatus tamen fuit intra vigeſimum diem, cum vſus fuiſſet ſuperioribus remedijs, tam vniuerſalibus quam topicis, me iubente atq; ordinante, Pharmacopola Ludouico Clemio ea præparante, applicante vero Claudio Carterio, Chirurgo iurato in vrbe Rhemorum. *Exempl. curati tumoris œdematoſi.*

Sicut autem tumor aquoſus magnam habet familiaritatem cum œdemate, ad cuius naturam prope accedit: ita quoq; eadem ratio in illius cura eſt adhibenda. Poſtquam enim obuiam itum eſt cauſæ illius antecedenti per remedia vniuerſalia, neceſſe eſt, vt auferatur materia coniuncta: ad quem ſcopum, ſi per reſolutionem peruenire non poſſumus, ad apertionem deſcendendum eſt, quæ fit vel inciſione, vel punctione, vel perforatione aut vſtione, vt docet Paulus Ægineta *lib.* IV. *cap.* X. *& lib.* VI. *cap.* III. L. *&* LXII. *Cura tumoris aquoſi.*

At vero in cura Inflationis, cum hæc conſiſtat in euacuatione ventoſitatis, quæ fieri nõ poteſt niſi ablatione cauſæ efficientis materialis & adiuuantis, neceſſe eſt, vt roboretur calor naturalis, denſus vapor reſoluatur, & ſubtilior reddatur humor frigidus, craſſus & glutinoſus, q *Cura tumoris ventoſi.*

humor materia est ventositatis. Calescit autem ventriculus, qui est officina primæ concoctionis (cuius errorem sequentes corrigere non possunt) vsu remediorum aromaticorum & stomachicorum, cuiusmodi sunt opiata, conseruæ, pulueres, electuaria, vt aromaticum rosatum & diarrhodon. Ad resoluendas ventositates, attenuandos & dissipandos crassos humores, & rarefaciendam partem facit vsus medicamentorum calidorum, siccorum & attenuantium, quæ vulgo carminatiua vocantur, seruato tamen partium corporis discrimine. Alia enim esse debent, quæ applicantur ventriculo & intestinis, alia quæ imponuntur iuncturis & partibus carnosis. Quando ventositas continetur in ventriculo & intestinis, vt fit in dolore Cholico, dantur clysteres carminatiui, addito oleo calido & subtilium partium, in quo decocta sit ruta aut tale aliquid, applicatis insuper sacculis resolutiuis ventri, & cucurbitulis vmbilico. Si tumor est in partibus externis, locus est fomentationibus, linimentis, vel his, quæ sequuntur, cataplasmatis & emplastris. ℞. *absynth. hyssop. an. M. j. florum chamameli, melilot. aneth. rorismar. rosarum rub. an. P. j.* Coquantur in lixiuio, addendo aceti parum, pro fotu cum spongia. Galenus vtitur fomentatione de oxyrrhodino, adiungens particulam aliquam salis, adhibetque eam fomentans partem spongia, quam affectæ parti impositam relinquit.

℞. *Ol. chamamel. j. anethi, rutacei liliorum ana. vnc. j. ß. Aq. vitæ vnc. j. Ol. laurini. ℥. ß. Ceræ albæ ℥. v j.* fiat linimentum quo illinatur pars affecta à fotu. ℞. *Far. fabarum, orobi ana. ℥. iij.* Coquantur in decocto pulegij, origani, calamint. salu. adde *ol. anethi, chamæmeli an. ℥. j. ß. puluis chamæmeli meliloti an. ℥. ß. sulphur. vini subtil. pulueris al. ℥. ij.* fiat cataplasma.

Emplastrum Vigonis cum & sine Mercurio multum etiam huc facit. Steatoma, Atheroma, Meliceris omnesque alij tumores quorum materia in pellicula inclusa est, cum curantur, vnus tantũ medico propositus est scopus, nempe vt auferatur materia in parte contenta cum ipsa in qua concluſa fuerat, pelle, quod fit operatione manus. Lupus (Panus & Ganglion) curari potest, cum adhuc paruus est, & nasci incipit, tunc enim sæpe perfricandus est manu, quia sic incalescit subtilior-que fit, sæpe etiã resoluitur humor intus contentus. Si hoc nihil prosit, deprimẽdus est tumor, vt crepet cystis ei⁹: qua rupta, applicatur lamina plumbea, vncta argẽto viuo, & arcte superalligatur tumori: inest enim

tali

tali lamine admirabilis vis consumendi, resoluendi & arefaciendi humorem in quacunque parte contentum. Quod si lupus partem aliquam corporis insederit, vbi compressio fieri non potest, velut in facie, gutture, ventre; imponatur emplastrum resoluens quale hoc est. ℞. *Gummi ammoniac. bdellij, galbani an.vnc.* iiij. liquefiant in aceto, & colo transmittantur, addendo *Ol. liliorum laurin. an.vnc.* j. *aq.vitæ.vnc.* ß. *pulu. ireos salis ammon. sulphuris viui, vitrioli Romani an.vnc.* ß. incorporentur omnia simul, & fiat emplastrum secundum artem. Si omnibus his remediis tumor resolui non possit, aperiendus est lanceola vel cauterio, quo facto, faciendum est, vt decidat eschara & totaliter consumatur cystis, vsu Ægyptiaci, puluere Mercurij, vel simili aliquo: deinde mundificetur, incarnetur & ad cicatricem perducatur vlcus. Lupi aliquando tam magni sunt, vt memoratis remediis curari non possint, ibi necesse est vt adhibeatur operatio manus, ad faciendam totalem extirpationem, modo non nimis fortiter infixi adhæresçant, aut siti sint in locis periculosis, propter venas maiores, arterias & neruos intercurrentes: hoc enim casu satius erit, ab illis abstinere manum.

Cura strumarum.

Quod ad curam Strumarum attinet, postquam Medicus perscripserit medicamenta ad euacuandum humores superfluos, per arctiorem victum, vt reddat naturam famelicam, vt ipsa consumat digeratq; humores in excessu peccantes: applicabit chirurgus remedia topica, quę necessaria iudicabit, qualia sunt emollientia, resoluentia, vel denique suppurantia.

Sententia Ambrosij Parei est, Emplastrum de Vigo cum Mercurio præstantissimum esse ad resoluendas strumas, affirmatque, inunxisse se strumosos linimento Morbi Gallici vsque ad saliuationem, satis felici euentu, quod hac ratione à se amoliatur humorem causantem strumas. Quod si strumæ resolui non possint, oportet vt chirurgus sinat perfecte suppurari totum tumorem, antequam fiat apertura, alias, quod supereſt manebit crudum, ideoque difficilis & longæ curationis. Est & alia ratio curandi strumas, nempe per operationem manus Chirurgi, vt cum in collo sunt & superficiariæ, facta incisione, vt separentur à partibus quibus cum cohærent, deinde sectæ extrahantur. Magna tamen hic ādhibenda est sollicitudo, ne tangatur vena iugularis, arteria carotis, & nervus recurrens.

VII.

Quid sit obseruandum in curatione scirrhi.

Si quis velit probe curare scirrhum, det operam, vt prius euacuetur materia antecedens, deinde progrediatur ad coniunctam. Præscribat igitur ab initio bonam viuendi rationem, quæ tendat ad humiditatem & calorem temperatum, vitatis omnibus, quæ gignunt humores crassos & viscosos: purgato corpore ab humore melancholico, per medicamenta melanogoga: prouocatisque in viris quidem hæmorrhoidibus, in mulieribus vero fluxu menstruo: deinde applicet topica, ab initio quidem emollientia, deinde resoluentia, iterato sæpius alternato eorum vsu. Si enim solis malagmaticis vteretur, periculum foret, ne induceretur putredo, & excitaretur cancer: & si diaphoretica pura applicarentur, metuendum esset, fore vt resoluta subtiliore materiæ parte, reliquum vlterius induraretur.

NOTÆ.

Si quis velit] Si quæ spes sit reliqua, posse adhuc curari scirrhum, duob. mediis ad eum finem perueniri potest, auferendo videlicet causam antecedentem & coniunctam. Aufertur autem causa antecedens per remedia vniuersalia, puta rationem vitæ, purgationem & sectionem venæ, si necessaria sit: materia autem coniuncta per topica tam emollientia quam resoluentia.

Modus viuendi in cura scirrhi.

Bonam viuendi rationem] Hæc in Scirrho debet esse sobria & moderata, aliquantum calida & humida, cum virtute attenuante. Habitationem sortietur æger, vbi aer bonus sit, vtetur vino delicato, albo vel rubello, cibis boni succi, pane triticeo bene cocto, perdicibus, gallinis, capis, carne vitulina, caprina, veruecina, ouis sorbilibus. ex herbis buglossa, borragine, spinachia, rumice, cichorio, malua, earumque decoctis iusculis. abstineat à bubula, leporina, aprugna & simili carne, nec non à cochleis, piscibus marinis, leguminibus, brassica, antiquo caseo, dulciariis, omniq; cibo crassi nutrimenti: à fructibus insuper, aromatibus, salsamentis, omnibusq; rebus acribus, quæ vrunt sanguinem, cuius generis sunt sinapi, allium, cæpæ; vitabit violenta exercitia, immoderatas vigilias, tristitiam, tædium, curas, mærorem, & consuetudinem fœminarum, dabitq; operam, vt semper suum faciat aluus officium.

Medica-

Medicamenta Melanogoga] Cum bene præparatus fuerit humor melancholicus, per conuenientia apozemata, purgandus erit per medicamenta melanogoga, puta folia senæ, thymum, polypodium, catholicum, hieram, confectionem hamech, & alia Medicis satis nota: qui si viderint opus esse, prouocabunt hæmorrhoidas iis, qui earum fluxui sunt obnoxij, in mulieribus autem menstrua quibus non legitime fluunt. *Purgatio quomodo facienda.*

Topica] ad euacuandum id, quod continetur in parte contra naturam, applicanda sunt primum omnium medicamenta emollientia, deinde resoluentia, quemadmodum Galenus docet. Emollientia hæc esse possunt. ℞. *rad. althæa & liliorum an.* ℥.iiij. *coquantur in aqua, terantur & colo transmittantur., addendo emplast. diachyl. albi* ℥.iij. *Ol. Chamæm. lilior. an.* ℥.ij. *Oesip.* ℥.ß. *Cera albæ q.s. fiat ceratum.* Vel. ℞. *gummi ammon. galbani, bdellij, styracis liquid. in aceto dissoluti an.* ℥.j. *diachyl. alb. Mes.* ℥.ij. *Ol. lilior. axung. anseris an.* ℥.i.ß. liquefiant omnia simul, addendo ceræ q.s. fiat ceratum satis molle. Vbi ad tempus aliquod emollitum fuerit vlcus, vtere suffumigatione de aceto forti & aqua vitæ, super pyriten lapidem insperſa, vel super candentem laterem, recipiaturque vapor à parte ægra, ad incidendum, attenuandum & resoluendum humorem iam emollitum: Hoc facto iterum vtere emollientibus, vt reliqua etiam materia præparetur ad resolutionem. hinc repete suffumigationem, continuando vtriusque vsum alternatiuum donec id fuerit necesse. Per hoc medium curauit sanauitque Galenus scirrhum in filio Cercili, vt ipse refert libro secundo ad Glauc. *Topica in scirrho.*

Cancer incipiens aliquando impeditur ne crescat, antequam pedes adipiscatur, & radices profundiores agat in parte affecta, si sæpius detur vere & authumno medicamentum forte, purgans melancholiam, aperta prius vena, si ætas & vires permittant, euitatis insuper in viuendi ratione omnibus rebus, quæ possunt crassum fæculentumque humorem generare, sanguinemque calefacere: Interim prospiciendum est epati & lieni remediis tam ore sumptis quam foris applicatis, si etiam necesse sit, prouocato fluxu hæmorrhoidum & menstruorum, si forte hæc constiterint. *Cura cancri incipientis.*

Quod si tumor in notabilem magnitudinem eleuatus fuerit, curari non poterit siue operatione manus. Est autem omnis tumoris illius materia ita abscindenda, vt nulla radicula remaneat; quod quidem fieri non potest sine magna hæmorrhagia, ob magnitudinem *Cura cancri magni valde periculosi.*

dinem circumpoſitorum vaſorum, niſi vaſa illa ligentur aut inurantur: quamuis neutrum fieri queat ſine magno ægri periculo, inprimis tunc, cum cancer penetrauerit ad partes interiores. Hæc nimirum de cauſa diuinus *Hippocrates aphoriſmo* XXXVIII. *libri* VI. prohibet tangere cancros occultos. Non expedit igitur, vt tentetur cura cancri per inciſionem, neq; per cauterium actuale vel potentiale, vel alia remedia fortia & acria. Sed palliandus potius eſt cancer remedij, dulcibus & benignis, doloremque ſedantibus. Ab initio poteris vti repercutientibus, qualia ſunt ſuccus de ſolano, plantagine, rumice, lactuca, centinodia, burſa paſtoris, portulaca, hyoſcyamo, lenticula paluſtri. Item, oleo roſato, emphacino. Pulueribus de berberibus, ſumach, lichargyro, ceruſſa, plumbo vſto, pompholyge, aliiſque ſimilibus, vnde fiunt linimenta, vnguenta, cataplaſmata, & emplaſtra. Cerat: diachalciteos diſſolutum cum ſucco ſolani & pauculo olei roſati, multum facit ad cancros nondum vlceratos, & pompholyx, ſi lauetur in ſucco ſolani vel plantaginis illis prodeſt, qui iam vlcerati ſunt, poteris etiam vti hoc linimento. ℞. *litharg. ceruſ. an. vnc.* j. terantur in mortario plumbeo cum *oleo roſato*, donec reducantur ad conſiſtentiam linimenti. Nec minus vteris vnguento reſoluente & repercutiente, quale hoc eſt. ℞. *plumbi vſti, loti, Pompholygos, thuris ana* ℥. ij. ß. *abſynthij Pontici vnc.* ß. *Ol. roſati vnc.* iij. *Ceræ.* ℥. VI. ſucci ſolani q. ſ. ad vnguenti craſſitudinem. Præterea multum leuaminis affertur cancris nondum vlceratis, ab impoſitis laminis plumbeis, illitis argento viuo.

Palliantia cancrum quæ ſint.

N. ABRA-

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTATIONUM Medicinalium

LIBER OCTAVVS.

Agens dē methodo, quæ obſeruari debet in curandis plagis, vulneribus & vlceribus.

Regulæ diſcernendi.

I.

PLAGA ſiue vulnus eſt ſolutio continui recens, ſanguinolenta & ſine putredine, facta in parte molli ab externa cauſa, velut ictu, morſu vel caſu: vnde & pro diuerſitate cauſæ diuerſa ſortitur nomina. quæ enim fit re acuta, incidente & ſecante, appellatur inciſio; quæ eſt à re pungente & mucronata, vocatur punctura: quæ vero fit à re obtuſa, dura, hebeti, quaſſante & allidente, dicitur contuſio, vel plaga contuſa. *Quid ſit plaga & quotuplex.*

ANNOTATIO.

In definitione plagæ poſui Genus, *ſolutionem continui*: cum Guidone & modernis adiunxi hæc verba: *recens, ſanguinolenta, ſine putrefactione*, ad differentiam vlceris, quod eſt ſolutio continui inueterata cum ſanie & putredine. *Facta in parte molli* ad differentiam fracturarum, quæ oboriuntur in partibus duris, puta in oſſibus. Addidi *à cauſa externa*, vt diſcernerem à fracturis quæ aduenium in partibus duris, puta in oſſibus. poſtremo *ab aliquo ictu, morſu vel caſu*, quod omnes cauſæ, ſiue *Definitio ſuperior explicata.*

sint animatæ siue inanimes, reducantur ad tria illa genera, quorum pro diuersitate diuersis quoque appellantur nominibus. Nam causæ euidentes plagarum vel secant scinduntue, vel pungunt, vel quassant & allidunt, vel lædunt diuersis modis. Gladius secat & scindit, vt & omne ferramentum, quod aciem habet oblongam. Sica, pugio, sagitta, morsus animalis, & quicquid habet aciem mucronatam, pungunt hæc omnia stimulantq;. Lapsus siue casus, obuiationes violentæ, motus validiores & immanes clamores quassant & allidunt. Globi è bombardis torti, tragulæ & similia tela scindunt, pungunt, quassantq; simul, atq; ita lædunt diuersis modis.

II.

Plaga duplex. Est autem plaga vel simplex vel composita. Simplex cum nulla ei causa, morbus neque symptoma iungitur. Composita, quando aliæ dispositiones cum illa complicantur, quæ nisi remoueantur, sanari illa non potest. Fitque tam in partibus similaribus quam Organicis, vt in cute, carne, venis, arteriis, neruis, tendinibus, ligamentis, iuncturis, capite, pectore, ventre.

ANNOTATIO.

Sumuntur differentiæ plagarum ab earum natura, quo respectu dicuntur vel simplices vel compositæ: vel ab earum quantitate, quo nomine vocantur magnæ, paruæ, vel mediocres: vel à figura, quod sint vel rectæ, vel obliquæ, vel rotundæ; deniq; à partibus quibus inflictæ sunt.

III.

Alia diuisio vulneris Rursum, *vulnus aliud superficiarium est aliud profundum; Illud,* cum solummodo partes exteriores & apparentes incisæ sunt: profundum, quando penetrat *vsque ad partes exteriores* & occultas, puta ad cerebrum; medullam spinæ dorsi, pulmones, ad cor, ad diaphragma, in Oesophagum, in ventriculum, intestina, epar, splenem, renes, vesicam, matricem. Vulnus superficiarium per se dignoscitur à sensibus, neque aliis eget indicibus, cum incurrat in oculos. In illis vero quæ profundius penetrant, opus est signis demonstratiuis, vt cognoscatur, quæ pars interior saucia sit.

ANNOTATIO.

Inter alias differentias à quantitate desumptas, inprimis considerandum est, an vulnus sit superficiarium, an vero profundum, quod illud

illud quidem per se cognoscatur & à sensu visus discernatur : hoc vero opus habeat signis diagnosticis, ad perdiscendas rationes, quibus constet, quænam pars interior sauciata sit.

IV.

Signa vulnerati cerebri.

Si cerebrum, vel eius meninges sunt sauciatæ, tunc sanguis per nares exit, quibusdam etiam per aures, vomituſq; statim adest, apud quosdam iteratur. Dolor acris est & crudelis, qui manducando augetur, ob mandibularum motum, spiritus magnis ducitur suspiriis. Quibusdam sopiuntur vel hebetantur sensus, ita vt ne quidem animaduertant, si suis appellentur nominibus: pleriſque etiam eueniunt conuulsiones. Paulo post superuenit febris, inciduntq; fere tertio aut quarto die in delirium. Antequam moriantur, nonnulli lacerant fascias, quibus obligatum est caput eorum, vt vulnus apertum frigori pateat.

REGVLÆ

Explicatio superioris regulæ secundum partes.

Signa, quibus cognoscitur cerebrum eiusque meninges esse vulneratas, sumuntur ab euentibus, à functionibus læsis, à colore, febre, delirio, aliisque accidentibus superuenientibus. Sicut enim obseruauit *Celsus cap.* XXVI. *lib.* V. sanguis distillat per nares, vel per aures, vel etiam per os & oculos, ob ruptas venas arteriasque, quæ sparguntur per meningas & substantiam cerebri. Sequitur in continenti *vomitus bilioſus*, vt affirmat *Hippocrates aphorismo* L. *libri* VI. *ob sympathiam ventriculi cum cerebro*, obque societatem, quam *illi cum hoc* intercedit per neruos sextæ coniugationis, qui descendentes à cerebro, inseruntur orificio superiori, & hinc diuiduntur per totam ventriculi substantiam. Hic, cum comprimitur attrahiturq; introrsum, eijcit primum id quod intra se continet, deinde attrahit flauam bilem è cystide fellis, quam simul per vomitum emittit. Quando membranæ sunt sauciæ, dolor vltra modum crudelis, vt *Fernelius* ait, quia illæ sunt sensus exquisitissimi ; acuiturque dolor ille manducando ob motum mandibularum, nec non cum fortius ducitur respiratio, quia talis motus commouet & aliquo modo concutit cerebrum eiusque meningas. Sensus aliquando obstupescunt & hebetantur, ppter obstructionem ductuũ spiritus animalis. Superuenit aliquando conuulsio, ob repletionẽ neruorũ. Febris è vestigio adest cũ delirio & alienatione mentis, ppter inflamma-

tionem quæ ſuperuenit membranis & cerebro, quæq; communicatur cordi omnibuſq; aliis partibus corporis. Multi inſuper diripiunt lineas faſcias, quibus obligatum eſt iis caput, exponuntq; nudum vulnus frigido aeri, quia amiſerunt iudicium & vſum rationis.

V.

Signa ſauciæ medullæ dorſi.

Quando medulla ſpinæ dorſi inciſa eſt, tunc partes inferiores perdunt modum atque ſenſum, omni deſtitutæ functione, ita vt ſe exonerent præter voluntate, nunc quidem fœcibus alui, nunc vero vrina & ſemine genitali.

ANNOTATIO.

Rationes illorum ſignorum.

Mirandum non eſt, quando medulla ſpinæ dorſi per medium ſecundum latitudinem ſecta inciſaue eſt, quod omnem partes inferiores perdant motum. Medulla enim illa ſpinæ ab vltimo cerebri ventriculo producta, multos neruos emittit diſtribuitq; omnibus partibus ſub capite conſtitutis, vt eleganter oſtendit *Galenus* XVI. *de vſu partium*. Cum autem motus & ſenſus inuicem permixti ſint in partibus per ſpiritum animalem, & deferantur per neruos huic vſui deſtinatos, ſequitur, quando medulla ſpinæ dorſi interſecta eſt, ſpiritum animalem ſiſti in medio curſu ſuo, per ſolutionem vnitatis neruorum, & interruptionem continuitatis. Hinc euidens eſt, ſequi paralyſin *vel etiam conuulſionem: vnde fit*, vt partes inferiores aliquanto tempore poſt emittant *inuoluntarie vrinam, ſemen, vel materiam fœcium*, vt docte eſt à *Celſo* obſeruatum.

VI.

Signa vulneris in pectus penetrantis.

Quando vulnus penetrat in concauum pectoris, tunc reciprocando ſpiritum, ventus ſiue halitus exit per plagam, & ſi quis ibi inflet puluerem aloes, myrrhæ, vel ariſtolochiæ, amaror ſtatim ad os adſcendit. Si vero etiam pulmones tacti ſunt, expuit æger ſpumoſum ſanguinem, neq; poteſt retrahere habitum niſi difficulter & cum ſibilo.

ANNOTATIO.

Explicatio

Diximus eſſe ſignum, quod vulnus in capacitatem thoracis penetrauerit, quando aer exit à vulnere cum ſibilo. Hoc vt melius cognoſcatur, comprimendum eſt os & nares ſaucij, vt ſpiritus intus

intus retineatur. Hoc facto, si vulnus penetret in concauum, & plagæ admoueatur candela ardens, videbitur moueri flamma, ita, vt aliquando candela extinguatur. Alterum signum læsionis ad cauum thoracis penetrantis est, quando amaror subito ad os adscendit, si quis in vulnus inflet puluerem aloes, myrrhæ, vel aristolochiæ. Præter hæc omnia, si sauciati fuerint pulmones, æger per os eijcit sanguinem spumosum tussiendo, effluitque per vulnus sanguis rubeus valde, cum vento stridente, difficultate respirandi & dolore laterum, optatque æger in vulnus decumbere. His addit *Celsus*, quosdam erigere se sine ratione, multosque, cum corpore in læsionem incumbant, loqui, si in aduersum latus deuoluantur, perdere loquendi facultatem. *superiorum signorum.*

VII.

Cum cor percussum est, multum è vulnere exit sanguinis, pulsus arteriarium debilis est & exiguus, color pallidus valde, extrema membra frigescunt, resoluiturque corpus in sudores frigidos & male olentes, quæ signa sunt prænuncia mortis. *Signa vulnerati cordis.*

ANNOTATIO.

Vulnerato corde largiter effluit sanguis, ob venas & arterias, quæ ibi sunt interciſæ: pulsus debilis est paruusque, pallescit facies, extrema fiunt frigida, ob grandem effusionem & iacturam sanguinis, vnde virtus adeo prosternitur, vt corpus resoluatur in frigidos & mali odoris sudores, cum penitus destituatur calore naturali & spiritu vitali.

VIII.

Si diaphragma vel septum trāsuersum sit perforatum, hypochondria sursum attrahuntur, æger amittit sensus & intellectum, respiratio est valde impedita, aliquando tussis adest cum reiectione sanguinis. *Signa vulnerati diaphragmatis.*

ANNOTATIO.

Pertusi diaphragmatis signa sunt, cum hypochondria siue latera sursum attrahuntur, adeo quidem, vt aliquando ventriculus & intestina attrahantur per vulnus in ipsam thoracis capacitatem, sicut id *Pareus* obseruauit in duobus, in Francisco Alonio, centurione, & seruo Massonij. Sensus & intellectus turbantur, ob communicationem neruorum sexti paris, qui inseruntur diaphragmati. adest difficultas respirandi,

randi, tussis, sputum sanguineum, halitus malæ olens & alia accidentia, quæ tunc eueniunt, cum sanguis in thoracem delapsus est, qui extra sua vasa conuertitur in fætidam saniem.

IX.

Signa sauciiœsophagi. Quando œsophagus sauciatus est, intercluditur meatus cibi atque potus, & si vulneratus aliquid deglutiat, id incontinenti post euomit, infestaturque per interualla singultu, deliquio animi & conuulsionibus.

ANNOTATIO.

Cum œsophagus siue gula saucia est, intercluditur transitus alimoniæ, adempta comedendi & bibendi facultate, propter inflammationem quæ superuenit vulneri. Crebri ægro vomitus sunt molesti, & singultus, lypothymia & conuulsio, propter sympathiam cerebri & stomachi cum œsophago.

X.

Signa sauciistomachi. Si ictus penetrauerit in cauitatem vsque stomachi, cibus potusque per vulnus exit, vomitus adest frequens, singultus & deliquium animi.

ANNOTATIO.

Perforata ventriculi tunica penitus, quæ comedit bibitque æger, exeunt per hiatum vulneris, quia ea ventriculus debilitatus retinere nequit, superuenit vomitus & singultus propter excrementa, quæ à plaga prodeunt, & quæ natura conatur omnibus modis expellere. Lipothymia accedit, ob putridos vapores qui ascendunt, offenso ventriculo.

XI.

Signa sauciorum intestinorum. Cum intestina vulnerata sunt, materia fæcum non descendit deorsum, sed exit per plagam, vel saltem grauis fæcum transpirat odor.

ANNOTATIO

Postquam maiora intestina receptacula sunt fæculentæ materiæ, cum illa vulnerata pertusaque sunt, fæces exeunt per vulnus, vel si retineantur intra intestina, ibi generatur corruptio, quæ tetrum exhalat odorem per aperturam vulneris.

XII. Si-

XII.

Signa vulnerati iecinoris hæc sunt. magna copia sanguinis effluit ab latere dextro, ob incisionem ramorum venæ cauæ & venæ portæ, quæ insertæ sunt epati. Latera aliquo modo retrahuntur versus spinam dorsi, propter inflationem quæ accidit parti sauciæ, quæ trahit ad se intestina ei adhærentia. Sētit æger dolorē punctiuum, qui se porrigit vsq; ad clauiculam, ob sympathiam pleuræ cum peritonæo, mediante diaphragmate, ad quod affixum est epar. Superueniunt vomitus & deiectiones sanguineæ ob effusionem sanguinis, qui exit extra venas intercisas in capacitatem ventris. Fit aliquando, vt æger puram vomat choleram, velut obseruauit *Celsus*, ob sympathiam cum cystide fellis, regurgitante bile in ventriculum: rectius videtur habere æger, si in ventrem decumbat, quam quouis alio positu corporis, quia tunc intestina non tam valide trahuntur versus partem sauciam. *Signa vulnerati epatis.*

XIII.

Si lien sauciatus est, profluit sanguis è latere sinistro, is quidem niger & melancholicus, hypochondria eiusdem lateris fiunt dura, extendente se dolore vsq; ad clauiculam, sentitque magnam æger sitim. *Signa vulnerati lienis.*

ANNOTATIO.

Sauciato liene oportet sanguinem è latere *sinistro fluere*, quia splen ibi suam habet sedem: sanguis deprehenditur crassus nigerque, quia lien est receptaculum sanguinis *melancholici*; percipiuntur hypochondria illius lateris dura ob inflationem, quæ fit in parte saucia. Porrigitur dolor vsque ad clauiculam, veluti cum iecur vulneratum est, propter coniunctionem pleuræ cum peritonæo, quo cingitur lien, affligitur æger magna siti ob siccitatem prodeuntem ab inanitione, magnamque effusionem sanguinis, quæ fit tam per vomitum & deiectionem ab aluo, quam per ipsum vulnus.

XIV.

Si renes vulnerati sunt, descendit dolor ad inguina & testiculos, accidit que ægro difficultas reddendi vrinam, aliquando mingit purum sanguinem, vel vrinam sanguini permixtam. *Signa renum sauciorum.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Vulneratis renibus descendit dolor ad inguina & testiculos ob intercedentes vreteres & vasa spermatica: difficultas reddendi vrinam vexat ægrum, quia renes offensi non amplius, nisi difficulter & laborioſe faciunt officium. Mingit clarum dilutumque sanguinem, vel vrinam facit sanguinolentam, ob solutionem continui in renibus, & debilitatem inde prouenientem, cum affluentia sanguinis, quæ fit in parte saucia per emulgentes.

XV.

Signa saucia vesica. Parum abest, quin eadem signa euidenter se ostendant, cum vesica vulnerata est, ad quæ tamen accedit vomitus, singultus, alienatio animi, cum effusione vrinæ per osculum vulneris.

ANNOTATIO.

Quando vesica vulnerata est, deprehenduntur prope eadem indicia, quæ in sauciatis cernuntur renibus. Nam, vt ait Celsus, sentitur dolor in inguinibus: loco vrinæ mingit æger sanguinem, vrina exit per vulnus, euomit etiam saucius choleram, vexatur singultu, acciditque mentis perturbatio, vel alienatio, ob sympathiam stomachi & cerebri cum vesica, quæ fit mediantibus neruis.

XVI.

Signa percussæ matricis. *Pariter & matrice* vulnerata communicatur dolor inguinibus, coxis & femoribus. *Sanguis* exit partim per vulnus, partim per membrum muliebre: sequitur hæmorrhagiam vomitus flauæ bilis. Quædam mulieres non loquuntur: nonnullæ amittunt vsum sensuum; quædam conqueruntur de dolore neruorum & oculorum.

ANNOTATIO.

Cum Matrix sauciata est, superueniunt ægræ prope modum eadem accidentia, quæ in vulnerata sentiuntur vesica. Adest dolor inguinum, coxarum, femorum, ob connexionem peritonæi: exit sanguis per pudendum muliebre, simulque per vulnus, ob incisionem vasorum quæ matrici inserta sunt. Sequitur vomitus ob sympathiam ventriculi. Aliquando non loquuntur, aliquando amittunt vsum rationis, quædam

dam de neruorum & oculorum dolore conqueruntur, quod fit propter sympathiam cerebri cum matrice, quæ fit interuentu neruorum communicatorum.

Et hactenus quidem de signis distinctiuis & Prænotionibus plagarum vulnerumque locuti sumus: nunc nos ordo instituti nostri monet, vt etiam de Diagnosi vlcerum dicamus. *Transitus à plagis ad Vlcera.*

XVII.

Est igitur VLCVS solutio vnitatis inueterata, è qua prodit pus vel sanies, facta in parte molli per erosionem, à causa interna vel externa: quamuis vocabulum Vlceris etiam à Græcis sæpe pro plaga vel vulnere vsurpetur. Appellatur Vlcus sanioſum, virulentum, purulentum, sordidum, pro ratione materiæ quæ inde exit. Cacochymum dicitur, quando causa eius efficiens in ipsa parte sita est, & Rheumaticum, cum ibi fluit quantitas humorum, vlcus nutrientium & conseruantium. *Quid sit Vlcus.*

ANNOTATIO.

Vlcus est solutio continui] Vtuntur vocabulo Vlceris Galenus & cum eo maior Græcorum Medicorum pars sæpe indifferenter pro vulnere, & rursum voce vulneris pro vlcere. Arabes vero & qui eos secuti sunt, tam distincte vtuntur illis, vt nunquam alterum pro altero sumant. Ex horum sententia & nos definiuimus *vlcus solutionem continui inueteratam, reddentem pus vel saniem, factam in parte molli per erosionem, à causa interna vel externa.* In hac definitione posuimus genus *solutionem continui*, deinde *inueteratam*, *reddentem pus vel saniem*, ad differentiam vulneris, quod est solutio continui recens, sanguinolenta, & sine putredine. Addidimus *factam in parte molli* ad differentiam corruptionis ossis, quæ proprie vlcus non est, sed caries & teredo. Sequitur *per erosionem à causa interna vel externa*, ad ostendendum, vlcus ab alia causa esse, quam plagam siue vulnus, cum hoc ab externa duntaxat causa fiat: illud vero (*Vlcus*) vt plurimum à causa interiore, antecedente vel coniuncta, puta ab humore peccante, qui facit erosionem partium. Aliquando tamen etiam à causa externa, vt ab vstione, aut extremo frigore, vel per applicationem medicamenti corrosiui. *Vsus vocabuli apud Græcos & Arabes.* *Ratio definitionis.*

Vnde sumantur differentiæ.

Sanioſam] Materia, quæ fluit ab vlceribus (vt Fernelius ait cap. IX. lib. VIII. Pathologiæ) cum diuerſitate cauſarum generantium, ſtatuunt principales vlcerum differentias. Vlcus enim (quemadmodum & vulnus) poteſt dici magnum, paruum, ſuperficiarium, profundũ, rectum, obliquum, æquale, inæquale, nouum vel vetus, ſed hæ tamen non ſunt propriæ differentiæ. Species proximæ, trahuntur à rebus quæ creſcunt in vlcere & inde extillant, vnde dicuntur vlcera ſanioſa, virulenta, purulenta, ſordida, verminantia.

Quid ſit ſanies.

Eſt autem Sanies materia ſubtilior, quam quæuis alia, quæ fluere poſſit ab vlceribus, nequaquam viſcoſa, albicans vel aliquantulum rubeſcens. Quæ ſpiſſior eſt, ſi inſuper etiam glutinoſa ſit, ſiue ſit Græcorum Ichor, ſiue *Meliceris* appelletur, latinis dicitur *Virus*. *Pus* etiam ſpiſſius eſt craſſiuſque, magiſque ad album colorem vergit, quam duo ſuperiora, dummodo non ſit fœculentum. Cum vlcus non procul abeſt vt ſanetur, pus reddit, quod vero incipit, eſtque adhuc cruentum, ſaniem eijcit, malignum vero, ſtillat virus. *Sordes* quæ Latinis dicuntur, craſſiores ſunt magiſque viſcoſæ quam omnes ſuperiores ſpecies, neque effluunt, ſed velut fixæ inhærent vlceri. Poſtremo *Vermes* generantur tam è ſordibus quam putredine, inprimis in ijs vlceribus, quorum nulla habetur ratio.

Virus.

Pus.

Sordes.

Vermes.

Rheumaticum & Cacochymũ quando dicatur.

Dicitur Cacochymũ] Plures differentiæ vlcerum deſumũtur à cauſa, vnde & vlcus dicitur Rheumaticum & Cacochymum. Appellatur autem Rheumaticum, quando conſeruatur in eſſentia ſua à cauſa antecedente, *id eſt, cum continuo fluit* ad partem affectam quantitatis humoris. Cacochymum, quando id cauſam ſuã coniunctam ſecum habet, id eſt, cum pars vlcerata *circumdatur humore* vitioſo. A cauſa coniuncta petuntur ſecundum *Fernelium* hæ *differentiæ*: Vlcera phlegmonoſa, eryſipelatoſa, œdematoſa, cancroſa: amplius, corroſiua, cacoëthes & putridum. Aliquando enim vlcus producitur à tumore aliquo aperto, & aliquando ſine tumore, ab humore putrefacto aut parte corrupta. A tumore prouenit phlegmonoſum, eryſipelatoſum, œdematoſum, cancroſum, quod ipſum etiam vocatur cancer vlceratus. Sine tumore generatur vlcus corroſiuum, ſic dictum quod ſine intermiſſione excedat, cauet conſumatq; partem quam occupauit, aliquando etiam deuoret vicinas, cuiusrei cauſa eſt humor bilioſus, acris morſicanſque.

Cacoëthes.

Vlcus cacoëthes (id eſt malignum & difficilis curationis) vt plurimum

mum magnum est & latum, non tamen putridum neque mordax aut multũ excitans doloris, extrema tamen eius inflata sunt, dura & callosa. Inducit quandoq; leuem cicatricem, sed statim post recrudescit. Producitur hoc ab incognita malignitate, prẹter commune vitium humoris, supervenitq; frequenter post longum & contagiosum morbum.

Vlcus putridum ad id quam proxime accedit, in quo non tantum id quod fluit putrefactum est, sed etiam ipsa vlceris caro corrupta est, quæ vbi mollis & emortua facta est, emittit malum fætidumque odorem Hæc deprauatio nisi reprimatur, subsequitur fere perfecta mortificatio. Aliquando prouocatur à sola humoris natura, sæpius autem inde trahit originem, quod calor naturalis affectæ partis extinctus sit, ob arteriarum obstructionem, vel alia quapiam de causa, quæcunq; sit, vt non amplius defendere ac tueri possit, vel incolumen seruare substantiam & integritatem membri. *Vlcus putridum.*

XVIII.

Est autem vlcus vel simplex, vel complicatum. Simplex, quando nullæ aliæ ad id concurrunt indispositiones, vnde & à Græcis appellatur ἕλκος ἁπλοῦν. Complicatum, quando coniunctam habet suam causam efficientem, vel alios morbos aut symptomata. *Vlcus duplex, simplex & compositum.*

NOTÆ.

Omne vlcus, ait *Galenus cap.* 1. *lib.* IV. *Methodi* vel est solum, per se, & sine vlla indispositione, quæ cum ipso concurrat, siue præcedente siue subsequente: vel est sociata vna pluribusue indispositionibus, quarum aliæ quidem non solum produxerunt ab initio vlcus, sed & in præsens id faciunt magnum: aliæ vero locum causæ obtinent, sine qua non potest perfici cura. Vnde secundum eundem Galenum omne vlcus vel est simplex vel complicatum. Nec obstat, quod Guido definiat vlcus solutionem continui, in qua sunt vna vel plures dispositiones, impedientes vel retardantes eius consolidationem, quasi nullum vlcus simplex esset. Pariter & *Fernelius* defendere nititur, vlcus semper comitem habere suam causam, quæ conseruet nutriatq; quod ipsa genuit, qua ratione id differre ait à vulnere, quod nudum existat & remotum à sua causa.

XIX.

Vlcus quod in aperto est & euidens, facile à visu dignoscitur,

Quomodo agnoſcantur vlcera.

nec non à tactu, odore, alijſque ſenſibus. Quod autem latet intra corpus, cognoſcitur iudicio rationis per ſigna diagnoſtica, deſumpta à proprietate doloris, ab excremẽtis, & naturali ſitu loci. Dolor enim rodens, & excrementa (qualia ſunt pus, ſanies, ſanguis, particulæ membranaceę, venæ, arteriæ, cartilago, carunculæ) demonſtrant, Vlcus eſſe in parte ad vlcerationem diſpoſita, vnde illa omnia prodeunt.

ANNOTATIO.

Explicatio ſignorum in vlceribus.

Ad cognoſcendum Vlcus nihil opus eſt ſignis, quod oculis videri tangique digitis queat: Vt autem ſciatur, an Vlcus ſit in corpore, neceſſe eſt, vt recurratur ad ſigna, quæ deſumuntur tam à mordaci dolore quam ab excrementis inde prodeuntibus, cuiuſmodi ſunt pus, ſanies, ſanguis, particulę tunicarum, venarum, arteriarum, cartilaginum, carunculæ, ſquamæ, excreſcentia, quæ generatur ſuper vlceribus, quæ Græcis dicitur ἐφελκὶς. Petitur & iudicium à natura loci & ſitus, quod membra & partes quædam habeant particulares morbos, ſicuti nares obnoxiæ ſunt Vlceri quod *Ozæna* vocatur, & pulmones Phthiſi. Sumuntur & aliquando ſigna diagnoſtica vlceris interioris à proprijs accidentibus: Sic vngues conuoluti & velut imbricati oſtendunt vlcus in pulmonibus, ſecundum *aphoriſmum* LX. *lib.* II. *Prognoſt.*

REGVLÆ

Quo pacto iudicandum ſit de euentibus vulnerum & vlcerum.

I.

Vnde petantur prognoſes.

SIGNA, à quibus petitur prognoſis de euentu vulneris, ſumuntur ab illius eſſentia, vel à parte ſauciata, vel à cauſa vulnerante, vel ab accidentibus ſuperuenientibus, habita ratione ætatis, temporis, aliarumque ſimilium circumſtantiarum.

ANNOTATIO.

An vulnera ſanari poſſint vel non? an cura eorum futura ſit facilis an difficilis? ſumuntur præſagia ab eorum eſſentia, quia ſunt vel ſimplicia vel compoſita (complicata) magna vel parua, oblonga, rotunda,

rotunda, vel alterius alicuius figuræ: vel à parte saucia, ratione illius substantiæ, temperaturæ, conformationis, situs & virtutis: vel à qualitate, magnitudine vel malignitate causæ vulnerantis, vt si vulnus punctim vel cæsim illatum, vel à morsu animalis, vel à re venenata, vel à casu aut collisione violenta: postremo ab accidentibus siue symptomatibus, quę læsioni superueniunt, cuiusmodi sunt inflammatio, apostema, gangræna, febris, conuulsio, paralysis, syncope. Præterea vt melius de futuro euentu iudicium ferri possit, considerari solet ætas ægri, senex ne sit an iuuenis, robustus an debilis, sitne vulnus factum Vere an Auctumno, Æstate aut Hyeme, tempestate sicca an humida, bona an mala constitutione aeris, in loco ne calido an frigido, an ipse saucius mala, an vero bona ratione viuendi vsus fuerit, & vtatur.

II.

Vulnera simplicia & & parua, facta linea recta in partibus carnosis, & cæsim illata, facile & celeriter curantur, inprimis in adolescentibus & tempore verno. Vulnera rotunda peiora sunt cæteris omnibus. Contusione facta difficilius curantur, quam incisione. *Prima differentia à forma vulnerum.*

NOTÆ.

Vulnera quæ facile & celeriter curam recipiunt, & quæ omnino vacant periculo, sunt, quæ à nobis simplicia dicta fuerunt, cum ea non comitetur febris, tumor, nec aliud symptoma quæ eorum curam impediant: consolidantur ergo, vt celeriter ad cicatricẽ perueniunt. Quæ cæteris minora sunt, quia diuisio non est magna, facile reuniuntur, nec quicquam est periculi, cum omnis noxa vulneris dependeat à magnitudine eius: & quæ secundum lineam rectam inflicta sunt, cum diuisio facta est secundum fibras, & ipsa facile coalescunt. Vulnera recepta in partibus carnosis, vbi non sunt multi nerui, venæ, & arteriæ, facile consolidantur, incarnantur & ad cicatricem perducuntur, neque malo aliquo accidente tentantur, siquidem recte curentur. Et cæsim illata vulnera celerius coeunt, inprimis in iuuenibus, quod in hac ætate natura sit robustior vegetiorque, inprimis tempore verno, quod læsiones vernæ tam molestæ non sint quam hybernæ vel æstiuæ, cum vulneribus omnis excessus, tam frigoris quam caloris aduersetur. Vulnera rotunda deteriora sunt cæteris, quia labia eorum difficulter conduci vnirique *Curatu facilia quæ.*

possunt; rotunda n. fieri non possunt, nisi aliquid deperdant de sua substantia. Et plagæ siue vulnera contusa difficilioris longioriſque curæ sunt, quam incisione facta, quia quicquid contusum & liuidum est, oportet, vt ad suppurationem perducatur, cui rei facile noxia accidentia superuenire possunt.

III.

Quæ sint Vulnera periculosa.

Omnia magna vulnera sunt periculosa. Magna dicuntur vulnera, non solum quæ longa, lata & profunda sunt, sed & quæ in iis facta sunt partibus, quarum actio & virtus necessaria est toti corpori, ipsiq; adeo vitæ: quæq; ab instrumento venenato, vel morsu venenosi animalis, vel quacumq; de causa maligna facta sunt, periculosa iudicantur.

NOTÆ.

Tribus modis vulnus magnum dicitur.

Galenus cap. 6. Method. & Celsus cap. 2. lib. 5. testantur, omnia magna vulnera esse periculosa, ob accidentia quæ inducunt. Sunt autem secundum *Galenum*, plagæ & vulnera (sicut & omnes morbosi affectus cæteri) magna & grauia tribus modis: nempe ob excellentiam partis læsæ, quanquam illa non nimis vehementer offensa fuerit, cuiusmodi est

I. cerebrum, iecur, ventriculus, vesica aliæque partes, quarum *virtus & a-*

II. *ctio* necessaria est toti corpori & vitæ: deinde ob magnitudinem mali, *secundum triplicem dimensionem, in longitudine, latitudine, profun-*

III. *ditate, etsi nulla pars nobilis contacta fuerit*: tertio propter malignitatem, vnde & magna dicuntur vulnera recepta in iuncturis, vt & in capitibus & finibus musculorum *valde neruosorum*, testante commentario super *aphorismum* LXVI. *libri* V. Pernicioſiora sunt facta à globo veneno illicito, à morsu rabidi canis, à vipera aliisque animalibus venenatis. Hanc triplicem magnitudinem si recte considerauerit chirurgus; facile discernere poterit inter vulnera curabilia & incurabilia, inter curatu facilia & difficilia.

IV.

Bona & mala præsagia in magnis vulneribus

Quando magnis plagis siue vulneribus superuenit tumor, bonum est signum, quia natura conatur succurrere parti offensæ, quo ipso ostendit sibi non deesse vires: cum autem nihil ibi inflatur aut tumescit, malum est præsagium: metuendum enim est, ne humores

mores ad læsionem, currentes, receperint se versus partes nobiles, vel ne natura prostrata omnibus destituta sit viribus.

NOTÆ.

Annotauit hoc *Hippocrates aphorismo* LXVI. *lib.* V. vbi testatur malum esse signum, quando nullus apparet tumor in vulneribus notabilibus & malitiosis, cuiusmodi illa sunt (ait *Galenus*) quæ accidunt in capitibus & extremitatibus neruosorum musculorum, quod periculum sit, ne humor affluere solitus, regurgitauerit ad partes nobiles, vel, ne natura adeo debilitata sit, vt nullam opem ferre possit parti læsæ. Idem Hippocrates aphorismo præcedenti obseruauit, quod vbi tumor in vlceribus appareat, non facile superueniat conuulsio, neq; alienatio mentis. Si vero tumor aliquis adfuerit, vlceribus in dorso factus, & is cito dispareat; fere superuenire conuulsionem vel distensionem neruorum; quod si sint in anteriore parte corporis, etiam alienationem mentis accedere, cum dolore acuto laterum, vel suppuratione, vel dysenteria, si tumor sit rubicundus. Posteriorem enim corporis partem (secundum *Galenum*) esse neruosam, anteriorem venosam & arteriosam. Hinc fit, si humor, qui tumorem causatur, à partibus vlceratis se retrorsum ad partes neruosas retrahat, atque ita ad partem aliquam nobilem, fiat conuulsio & distensio (quæ sunt passiones neruorum) si vero à partibus anterioribus, fiat alienatio mentis, nempe si humor descendat ad caput: dolor vero laterum, si redeat ad thoracem. Sæpenumero etiam tumor venit ad suppurationem, nisi resoluatur humor. postremo si tumor, qui ante adfuit dispareat, superuenit ea species dyssenteriæ, quæ sanguinea appellatur, quæ est euacuatio sanguinis facta per intestina, sine tamen horum vlceratione.

V.

Si vena quæpiam vel notabilis arteria abscissa fuerit, res non vacat periculo, ob fluxum sanguinis qui sequitur, quo vires ægri prosternuntur. *Hæmorrhagia mortifera.*

ANNOTATIO.

Hæmorrhagia nimia, ex quocunque vase illa fiat, valde periculosa est: nisi enim sistatur, sine dubio mortem affert, cum sanguis sit thesau-

thesaurus naturæ. quando autem post copiosum fluxum sanguinis superueniat singultus, conuulsio, delirium aut syncope, pessimum est augurium, vt obseruauit *Hippocrates aphorismo III. libri V. & post eum Auicenna & plerique recentiores.*

VI.

Præsagia in vulneribus neruorum.

Maximi momenti sunt vulnera partium neruosorum, cum ea plerumque comitari soleat ingens calor, vigiliæ, conuulsiones, inflammatio, febris, delirium, aliaque pernicioſa accidentia, cuius rei causa est, quod nerui sint sensus exquisitissimi, multumque communicent cum cerebro. Vnde conuulsio vulneri superueniens pessimum signum est; indicat enim læsam esse partem neruosam, & simul pati cerebrum, quod est, vt nouimus, fons neruorum.

ANNOTATIO.

Huic regulæ præbet *Galenus lib. IIII. Method. cap. VI.* in pluribusque aliis locis locuples testimonium, vbi ait, omnis vulnus in parte neruosa magnum & periculosum censeri debere, ob suam κακοήθειαν, id est, malam conditionem. Id vero tanto peius etiam est, si sit in corpore cacochymo aut plethorico. Omnes enim nerui vel proxime vel mediante medulla spinæ dorsi, originem suam trahunt à cerebro, *quod illis* suam communicet facultatem, & patiatur cum illis. Præterquam autem quod nerui *adeo affines sunt parti tam nobili*, etiam exquisitissimo sensu præditi sunt. Hinc fit, vt læsi vulneratique, necessario maiorem dolorem creent, quam omnes *cæteræ corporis* partes, vnde sequitur inflammatio, hinc febris, conuulsio, vigiliæ, *delirium*, aliaque odiosa symptomata, nisi maturo remedio obuiã eatur. *Hippocrates aphorismo* 2. *l.* 5. obseruauit, si quæ conuulsio superueniat vlceri, id esse mortale: neque tamen semper (vt affirmat *Galenus*) sed certè vt plurimum. Accidit autem conuulsio vulneribus (ait idem) propter inflammationem, quando illa occupauit partes neruosas; Animaduertimus autem, euenire conuulsionem partibus, quæ sunt recta è regione partium inflammatarum, deinde cum peruenit vsq; ad ipsum principium, tunc extenditur malum per totum corpus.

Cur ea tam periculosa.

VII.

Vulnera iuncturarum maligna sunt, qua de causa etiam magnis annu-

annumerantur, quæ nunquam periculo vacant: vbi enim sunt nerui & tendines (tendones alij) & loca ossea carne nuda, periculum est doloris, vigiliarum, conuulsionis & deliriorum. *Signa vulnerum in iuncturis.*

ANNOTATIO.

Nemo ignorat (ait *Galenus lib.* IV. *Methodi capite* VI.) vulnera iuncturarum malæ esse conditionis. Empyrici id sola experientia magistra didicerunt, doctis autem ipsæ partes vulneratæ indicium faciunt. Vbi enim sunt tendines, nerui, loca ossea nuda carnibus, periculum est doloris, vigiliarum, conuulsionis & delirationis. Vnde vulnera iuncturarum non sine ratione periculosa iudicantur, sæpius etiam mortifera, propter aponeuroses membranosas, quæ illas iuncturas alligant, quibus inseruntur nerui exquisiti sensus: inprimis ii, qui in interiore parte iuncturarum siti sunt, velut in alis, plicatura cubiti, carpo manus, poplitibus, propter magnas venas & arterias, quæ illac transeunt, vnde sequitur fluxus sanguinis, dolor extremus, aliaque pernicioſa accidentia.

VIII.

Omnes ictus penetrantes in caput, in pectus & ventrem, periculum secum ferunt, inprimis tunc, cum pars aliqua interior tacta est. *Præsagia vulnerum penetrantium.*

ANNOTATIO.

Vulnera penetrantia in interiora membrorum sunt periculosa, tam ob hanc causam, quia aer externus per ea subintrans, necdum alteratus, offendit partes interiores, quam quod spiritus interior per aperturas illas exhalat, vnde debilitatur virtus, accedente alio, quod nimirum non bene possint ac sufficienter mundari. Hinc accidit, vt postremo degenerent in fistulas & empyemata, vnde sequitur mors.

IX.

Si ictus penetrauerit vsque ad ventriculos cerebri, subito adest finis vitæ, quia spiritus animalis semel ac simul exit: quod si non nimis profunde intret ictus, mors non tam celeriter sequitur. Galenus vnum vidit Smyrnæ in Ionia, viuente Magistro suo Pelope, qui curatus fuit à vulnere penetrante in ipsam cerebri substantiam. Vidit & Guido alium, qui & ipse conualuit, curatus ab eo, quanquam parti- *Præsagia vulnerati cerebri.*

culam exiguam de ſubſtantia cerebri perdidiſſet. Sed & ipſe ego anno Salutis M. D. LXX. apud Orignium oppidum vidi curari iuuenem nomine Cruæum, cui vulnus ab ictu ſatis alte penetrauerat in ipſum cerebri ſubſtantiam: & is tamen ita conualuit, vt etiamnum viuat. Sed hæc profecto rara ſunt. Eadem eſt ratio læſæ medullæ ſpinæ dorſi, quæ & cerebri; vtraque enim læſio eſt lethifera.

ANNOTATIO.

Hippocrates aphoriſmo XVIII. libri VI. refert læſiones cerebri inter mortales, quod & *Galenus* confirmat in commentario, quamuis idem affirmet, vidiſſe ſe vnum atque alterum conualuiſſe. *Guido* adducit aliam rationem, quare vulnera cerebri & membranarum eius lethalia ſint, nempe, quod læſo cerebro & meningum eius, ſequatur læſio, aliquando etiam abolitio actionis muſculorum thoracis, aliorumque membrorum, quæ inſeruiunt reſpirationi. actione vero horum deperdita, neceſſarium eſt, perire quoque reſpirationem, vnde intemperatura accidit cordi, & ſtatim ipſa mors, quod & obſeruauit *Galenus lib. V. de locis affectis.*

Aliacauſa, cur vulnera cerebri ſint mortalia.

X.

Vulnera pulmonis maxima ex parte ſunt incurabilia, quod perpetuus huius partis motus impediat ne coeant, accedente tuſſi, quæ ea ſubinde ampliora facit, ruptis diductiſque eorum labiis. Quod ſi vulneratus non moriatur ſubito, poſtremo paulatim conſumitur febri & languore.

Prognoſtica vulnerum pulmonis.

ANNOTATIO.

Præterquam quod pulmones perpetuo mouentur ob reſpirationem, & per tuſſim offenduntur, cum ſauciati ſunt; è veſtigio vlcere vel apoſtemate afficiuntur, (vt *Guido* ait) cumque impoſſibile ſit, vt medicamenta curandis vlceribus propria, viribus ſuis vſque ad pulmones penetrare poſſint, ſequitur, vulnera pulmonum difficillimæ curationis eſſe. Poſſunt tamen curari (vt defendere nititur *Paræus*) niſi nimis ſint magna, vel correpta inflammatione, vel in loco ſuperiore, verum in extremitatibus, & ſi æger ſe contineat quietum, non tuſſiat neque loquatur, neque nimis fortiter reſpiret. Ego de me id profiteri poſſum, vidiſſe me plures, qui curati perſanatiq; ſint.

XI. Vul-

XI.

Vulnera intra ſubſtantiam cordis recepta de neceſſitate mortifera ſunt. *Præſagia vulnerum cordis.*

ANNOTATIO.

Non eſt mirandum, quod cor non poſſit ferre vllam continui ſolutionem, niſi neceſſario ſubſequente morte, cum inde producatur ſpiritus vitalis, idque continuo moueri debeat, & arteriis quoque infatigabilem motum ſuppeditare, ad conſeruandum naturalem calorem partium. Cum autem læſio adimat ei potentiam, ſuum faciendi officium, interrupta actione eius, oportet ceſſare motum, & per conſequens motum quoque arteriarum, vnde ſequitur extingui calorem naturalem conſeruatorem partium: hinc mors pulſat oſtium, inciditque ſine mora filum vitæ, ſi ictus vſque ad ventriculos cordis penetret. Hinc magna ſequitur ſanguinis effuſio & iactura ſpirituum vitalium, proſtratio virium & oppilatio impediens, ne vita amplius toti corpori communicari poſſit. Vides Ouidium verè & non ſine ratione ſcripſiſſe elegia quarta libri I. de Ponto.

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

XII.

Vulnera accepta in medio neruoſæ partis diaphragmatis, exanguia, & ſubinde mota, tandem mortem afferunt: defectu enim ſanguinis & quietis conſolidari non poſſunt. *Signa vulnerum diaphragmatis.*

ANNOTATIO.

Teſtatur *Galenus libro V. Methodi*, vidiſſe ſe aliquando, vulnera diaphragmatis facta in parte carnoſa, qualis eſt eius circumferentia, coaluiſſe, non obſtante perpetuo eius motu. Certum eſt, magnam in eo oboriri difficultatem ob inflammationem & materiam ſanioſam, quæ ſuperuenire ſolet: pars tamen ſepti interior, quæ neruea, vulnerata curari non poteſt, quia labia vulneris recipere ſanguinem & quietem non poſſunt.

XIII.

Oeſophagus, Ventriculus, & parua inteſtina perforata, curari non *Prognoſis plagarum Oeſophagi.*

non possunt, quia transitus cibi potusque impedit consolidationem, quod vulnera illa medicamentis, nisi in transeundo, frui non possunt; accedente alia causa, quod partes illæ aliquo modo sunt neruosæ.

ANNOTATIO.

Vulnera œsophagi (ait *Guido*) sunt incurabilia, quando magna sunt, nec minus illa, quæ penetrant vsque in concauitatem ventriculi & intestinorum gracilium, quia horum vsus semper necessarius est ad conseruandam vitam, quodq; semper aliquid intus continetur humiditatis, quæ sanctionem impedit. *Galenus in Comment. super aphorismum* XVIII. *libri* VI. affirmat quidem, ventriculum & minora intestina, quia non parum obtineant de substantia carnea, si tantum in superficie sauciata sint, sæpe curam sanationemq; recepisse; sed quando vulnus penetrauit per eorum tunicas, rarissimè.

XIV.

Præsagia vulnerum epatis & lienis.

Vulnera epatis profundiora, vt & lienis, mortifera sunt, ob subsequentem effusionem sanguinis; & quanquam non nisi superficiaria sint, consumunt tamen corpus paulatim & successu temporis, ob defectum nutritionis, vt videmus, & necessarium est: ita vt pauci ita vulnerati mortem effugiant.

NOTÆ.

Galenus super aphorismum XVIII. *lib.* VI. affirmat, vulnera penetrantia in epar, vbi vena porta vel caua secta est, ægro mortem afferre ob nimiam hæmorrhagiam, antequam consolidari possint. Tamen *Guido* asseuerat, vidisse se vulnera in lobis epatis sanata, sed ea fuisse parua, nec profunda, neque cum perditione substantiæ: quod & ipse ego me vidisse memini. Verum hoc profecto rarum est. Vulnera Lienis, (cum toti corpori pars hæc vtilissimum præstet officium,) satis quidem sunt periculosa (teste *Guidone*) minus tamen quam vulnera epatis.

XV.

Prognostica vulnerum in renibus.

Vulnera per ipsos renes penetrantia, vt & vesicæ & matricis substantiam, curationem respuunt plerumque, cuius rei ratio est, quod

quod partes illæ ſint neruoſæ, & exſangues, quodque per eas multum vitioſæ humiditatis tranſeat, neque commode applicari poſſint medicamenta.

NOTÆ.

Omnes corporis noſtri partes neruoſæ ſubſtantiæ, ob defectum ſanguinis, conſolidationem vno ore reſpuunt, inprimis autem illæ, quorum officium eſt, vt perpetuum dent tranſitum humiditatibus excrementitijs; tales vero ſunt renes, veſica & matrix. Adde huic cauſæ aliam, quod remedia ſanationi deſtinata, rite applicari non poſſint. Auicenna tamen & Auenzoar ſufficiens perhibent teſtimonium, poſſe mulierem omnino perdere matricem, neq; tamen ideo periculum vitæ incurrere. Affirmat *M. Prouancherius* Medicus fide dignus, vidiſſe ſe in Scnonibus mulierem, quæ perdiderit matricem, putrefactis illius ligamentis, quæ tamen longo tempore poſt vixerit, ſaluis integriſque omnibus cœteris functionibus naturalibus.

XVI.

Prognoſis partium ſpermaticarum & organicarum.

Partes ſpermaticæ, cuiuſmodi ſunt nerui, venæ, arteriæ, cartilagines, oſſa, diſſectæ, recreſcere non poſſunt, neque denuo ſimul reduniri, mediante alia aliqua ſubſtantia. Partes organicæ omnino abſciſſæ iterum coniungi non poſſunt, cum membrum ſe paratum à corpore, non queat amplius recipere vitam motumque ab illo.

NOTÆ.

Partes carnoſæ inciſæ recreſcunt, *vniunturque* denuo ac ſe amplectuntur, ſicut ante læſionem fuerant, ſine extraneo adminiculo, mediante alimento quo nutriuntur, quod in eorum conuertitur ſubſtantiam: ſed de ſpermaticis id ſperandum non eſt, quæ neque ſe amplecti neque reduniri poſſunt mediante quacunque alia ſubſtantia, quam natura machinatur, cuius rei amplum præbent oſſa teſtimonium quæ ob duritiem ſuam naturalem denuo coniungi non poſſunt, niſi per callo-ſitatem, quanquam oſſa puerorum facilius vniantur, & minore egeant additione, quia adhuc mollia ſunt & delicata. Vides quare *Hippocrates aphoriſmo* XIX. *libri* VI. defendat, quod os, cartilago, neruus, tenerior pars malæ, præputium omnino abſciſſum, non recreſcant neque reduniri poſſent. Vocat autem recreſcere, ſi generetur talis quæpiam ſubſtantia, qualis illa fuit, quæ abſecta eſt, ſicut videmus recreſcere carnem

Quid ſit recreſcere & amplectiſe.

in vlceribus concauis. Amplecti se, cum extremitates siue labia corporum intersectorum recolliguntur & reconiunguntur.

Quod ad redunitionem partium organicarum omnino à corpore diuisarum; est ea impossibilis, affirmante *Galeno* xc. *de Art. Medic.* Huius rei Guido reddit rationem: quia nempe canales, id est, venæ, nerui & anteriæ per quæ venit nutrimentum, vita & sensus ad membrum organicum, cum omnino intersecantur, spiritus & virtutes continuo deficiant, ob grandem, qua præditi sunt, subtilitatem: quod in bestijs imperfectis & plantis non accidit. Et hæc quidem de Prognosi vulnerum dixisse sufficiat: persequamur nunc eodem tractu signa vlcerum, cum constet, vulnera, vbi consenuerint, degenerare in vlcera.

XVII.

Prognostica vlcerum. PRÆNOTATIO euentus vlceris sumitur ab illius essentia, à parte vlcerata, ab humore vlcerante, à morbis & symptomatibus quæ id comitantur, postremo à dispositione corporis.

ANNOTATIO.

Signa, quibus deprehendi potest, sitne vlcus facilis an difficilis curationis, vel, sitne omnino curabile an incurabile, sumuntur ab eorum essentia, quia vel sunt simplicia vel complicata, magna vel parua, rotunda vel alterius figuræ: vel à parte vlcerata, ratione illius substantiæ, temperamenti, formationis, situs & virtutis: vel ab humore vlcerante, ob quantitatem eius vel qualitatem: vel à morbis & symptomatibus, quæ ea comitantur, qualia sunt, intemperatura, tumor contra naturam putredo: vel à dispositione totius corporis mala vel bona. Est præterea etiam habenda ratio ætatis, sexus & victus, quo æger vtitur, nec non tempestatis anni; qualitatis aëris & regionis.

XVIII.

Quæ vlcera facile sanentur. Si vlcus paruum sit, in parte aliqua quæ quiete frui potest, neque se applicet humor aliquis superfluus, neque aliud quodpiam malum accidat, facile curari poterit. Difficulter autem si fuerit magnum, rotundum, vel in parte aliqua quæ perpetuo mouetur (qualis est pulmo)

mo) vel vbi excrementa acria transeunt (cuiusmodi sunt renes & vesica) vel quo continuo affluat aut generetur vitiosus humor, vel si id comitetur intemperatura quædam, aut varices, sordes, caries ossis, callositas, aut aliud noxium accidens. Bona habitudo corporis facilem reddit curationem vlceris, cum non sit defectus sanguinis, contrarium fit in dyscrasia ob vitium sanguinis. Hinc fit, vt vlcera hydropicorum, leucophlegmaticorum, cachecticorum, ictericorum curari non possint.

NOTÆ.

Commemorat *Celsus tertio capite libri septimi* etiam alia signa, è quibus cognosci possit, quid curandum aut sperandum sit in curatione vlceris, refert autem inter bona signa, quietem in somno, facilem respirationem, itemque, si non amittatur gustus, aut nimia sitis adsit, si quæ febris adfuerit & illa remiserit, si vlcus paululum albescat, vniatur, neque malum spiret odorem. Inter mala signa refert vigilias, difficultatem halitus, sitim, nauseam, febrim, pus nigrum, fæculentum, tetrique odoris. Præterea, si durante cura iam aliquo vsque progressa superueniat fluxus sanguinis: aut si antequam cauitas impleatur carne, labia carnosa fiant. His malis signis adiungit, si malo curato superueniat abscessus, & acrimonia humorum erodentium non sentiatur in vlcere. Pessimum vero omnium ait, cum deliquia animi superueniant durante vel finita curatione. Ait *Auicenna*, omne vlcus, quod iam incarnatum cicatricem induxerit, si renouetur, non carere periculo superuenturæ fistulæ: additq; in vlceribus non recte mundificatis semper generari aliquam excrescentiam carnis, quæ in brachijs tibijsque excitet phlegmonen vel alium tumorem, vt & sub alis, in inguinibus alijsque partibus glandulosis, quæ transitum præbent humoribus affluentibus ad partem vlceratam, inprimis quando corpus est plethoricum aut cacochymum. Præterea, quando vlcera maligna repræsentant colorem totius corporis, siue id sit album, siue rubeum, fuscum, citrinum, id esse signum, laborare epar notabili aliquo vitio, vnde magna sit corruptio sanguinis. *Hippocrates aphorismo quarto libri sexti* testatur, vlcera glabra & decorticata veluti in circuitu maligna esse, quoniam, vt Galenus ait,

Alia prognostica vlcerum obseruata à Celso.

Et Auicenna.

Et Hippocrate.

ait, cum pili, qui circum vlcus sunt, excidunt, signum sit, affluere ad partem affectam prauos humores, qui corrodant excedantque radices pilorum & epidermidem, simulque impediant, ne ad cicatricem perduci vlcus possit. Affirmat idem Hippocrates libro primo Prog. quando vlcera, quæ adueniant ante morbum aliquem vel in eo, sicca fiant, vel liuescant palleantque, signum esse appropinquantis mortis in ægro, quod facultates naturales adeo debiles sint, vt succurrere parti affectæ amplius non valeant.

XIX.

Prognosis vlceris inueterati.

Et in omnibus vlceribus, quæ per annum vnum vel amplius durauerunt, necesse est, vt exeant assulæ siue testulæ ossis corrupti, vnde necessario sequitur cauitas post cicatricem remanens.

ANNOTATIO.

Ex Galeno.

Certum indubitatumque est, teste *Galeno super Aphorismum* XLV. *lib.* VI. in omnibus vlceribus, quæ per annum integrum vel amplius durauerunt, os carie infici corrumpique, ob malam dispositionem, quam pars acquisiuit per defluxum malignorum humorum, quibus longo tempore permadefacta fuit. Vnde necessarium est (affirmante *Hippocrate*) prodire inde assulas vel testulas ossis. Cumque os renasci *non possit*, loco illius quod ablatum fuit, reliqua maneat aliqua cauitas, etiamsi ad cicatricem perductum fuerit vlcus.

LEGES MEDICÆ.

Ad recte persanandum vulnus & vlcus.

I.

Requisita ad curam vulneris.

PRIMVM omnium in vulnere diligenter considerandum est, quale illud sit, vnde factum, & quo sit loco situm. Vulnus enim simplex aliter tractandum est quam compositum: & id quod cæsim illatum aliter curari debet, quam quod à morsu est vel lapsu. Vnaquæque enim pars corporis, siue ea sit simularis siue organica, si vulnerata sit, requirit rem aliquam propriam ad curationem sui: sic fit vt vulnera carnis, vena-

venarum, arteriarum, neruorum, tendinum, ligamentorum, iunctura-
rum: rursum plagæ capitis, pectoris, ventris, quæque habeat peculiarem
suam curam, quanquam omnes ad communem scopum tendant, nem-
pe vt denuo vniantur partes diuisæ, quod fit beneficio naturæ auxilian-
te chirurgo.

Intentio cura generalis.

NOTÆ.

Tria præ cæteris omnibus in considerationem veniunt, si vulnus curandum sit: illius essentia, causa, situs, cum ex vnoquoque horum iudicium capi possit, de magna diuersitate mali: quamuis communis intentio omnium ad curationem vulneris aspirantium (vt & omnis solutionis continui) sit vnio, vt testatur *Galenus cap.* xc. *Art. Med.* Quod enim diuisum est monstrat, velle se reduniri, ita vt vnio contraria sit diuisioni. Perficitur autem generalis hæc intentio per naturam, vt principale agens, & per chirurgum, qui est minister naturæ.

II.

Ad reduniendum vulnus simplex, cui nullæ coimplicatæ sunt res, quæ sanationem impedire possint, primum omnium necessarium est, vt applicentur simulq; adducantur partes vulneris disiunctæ & separatæ, deinde vt ita applicatæ & coniunctæ conseruentur, hinc, vt retineatur substantia partis sauciæ in sanitate, muniatur & præseruetur ab intemperatura, inflammatione, dolore aliisque accidentibus.

Quæ sit cura vulneris simplicis.

NOTÆ.

In cura vulnerum secundum Guidonem adeoque omnes recentiores, quinque sunt scopi subalterni, quos sibi Chirurgus semper ponere debet ob oculos, quando suam exercet operationem, vt obtineat finem sibi præfixum. Primus vt auferat res peregrinas extraneasque: secundus, vt componat applicetque partes distantes: tertius, vt ita coniunctas retineat: quartus vt conseruet temperamentum partis affectæ: quintus, vt corrigat accidentia superuenientia. Cum autem quinque hi scopi, non simul omnes in omni vulnerum genere locum conuenirent vulneribus compositis, secunda vero, tertia & quarta simplicibus: optimum factu visum fuit, magis methodice in cura vulnerum progredientes, distingueremus vulnera simplicia à compositis, primumq; diceremus qui scopi maxime considerandi essent, in cura simplicium,

Quinque scopi recentiorum chirurgorum.

deinde compoſitorum, ne confunderentur ea quæ ſingulis conueniunt cum ijs, quæ ad vtraque communiter ſpectant, ſed vt determinentur & declarentur ea, quæ pertinent ad curam tam horum quam illorum. Vides cauſam, cur in vulnerum ſimplicium cura primum collocauerim ſcopum, nimirum vt reducerentur ad ſe inuicem labia & ſic reducta manerent: deinde vt conſeruaretur temperatura partis ſauciæ, & ab accidentibus præſeruaretur.

III.

Media ad primum ſcopum perueniendi. Coniunguntur autem atque vniuntur denuo diſtantia ab ſe inuicem labia vulneris, retinenturque ita coniuncta, teſte *Galeno capit.* IV. *libr.* III. *Method.* vel per alligationem, vel per ſuturam, vel denique per fibulam ſiue vncinum. In vulneribus paruis, ſecundum rectitudinem muſculorum factis non niſi alligationibus faſcijſq; opus eſt, id duntaxat cauendum, ne ligatura nimis ſit laxa, neq; nimis adducta, tunc enim crearet dolorem. Sutura locum habet in magnis plagis ſiue vulneribus, tranſuerſim factis, & in quibus labia longa à ſe inuicem diſtant, & nihilominus facile reducuntur, nec non vbi caro in vnum latus pendet, in altero vero adhuc integre adhæret, vt in auriculis, extremitate naſi, labijs, palpebris, cute frontis, abdomine: debent autem puncta neque nimis longe diſtare, neque nimis dura eſſe. *Si vero vulnus ita hiet, vt labia non niſi difficulter reduci poſſint, ſutura huc nihil facit, ſed applicanda eſt fibula ſiue vncinus, quæ (fibula) non niſi aliquantum claudit labia vulneris, vt poſtea cicatrix minus ampla ſit.*

Obligatio.

Sutura.

Fibula.

ANNOTATIO.

Tria genera ligaturæ Guidonis. *Auicenna* & poſt eum *Guido*, vt & plerique recentiores diſtinguunt tria ligaturæ genera: primam vocant glutinantem: ſecundam expulſiuam; tertiam retentiuam. Glutinatiua conuenit plagis recentibus ſimplicibus, fit hæc alligatione bicipiti, facto initio ab oppoſito vulneris, ducendo & decuſſando, vt alterum faſciæ caput trahatur verſus partem ſuperiorem membri, alterum verſus inferiorem vt labiorum ſeparatorum vnum verſus alterum ducatur. habet autem genus hoc ligaturæ præcipue locum in brachijs cruribuſque. Expulſiua conuenit vlceribus ſanioſis & fiſtuloſis, ad expellendam ſaniem, fitque faſcia

1.

1.

fascia vnicipiti, incipiendo primum à fundo sinus, quo in loco arctius vinculum debet adduci, continuaturque moderate vsque ad orificium vlceris, vt materia foras propellatur. Retentiua tantum inuenit locum in partibus, quæ alligari constringique non possunt, velut in collo, ventre, omnibusque adeo partibus, vbi dolor est. Vsus eius est, vt retineantur imposita medicamenta. Fit autem hæc ligatura fascia cum vna vel pluribus capitibus. 5.

Sunt & plura genera futurarum inter se differentia, pro natura ægri qualitate vulneris, & conditione partis sauciæ. Facienda enim est futura sicca in corpore tenero molli & delicato, in quo metuendum ne æger in syncopen incidat, vel puncturas acus perferre non possit, quæ sunt valde dolorificæ. Hoc vt omne rite fiat, accipe prius duas particulas lintei fortioris, forma triangulari, obduc eas atque contege medicamento glutinante è sarcocolla, mastiche, thure, sanguine draconis, polline, albumine oui: deinde applica lintea illa, ad quodque latus vulneris vnum relicto in medio vnius transuersi digiti spacio: cumque hæc cuti firmiter affixa fuerint, ita ne alibi attingant corpus, oportet consuere extremitates linteolorum cuti inhærentium, & ita se iungent labia vulneris. Nobile profecto hoc consuendi genus est, facitque plurimum ad rem, inprimis si quis velit occultare cicatrices vulnerum in facie, modo ne vulnera nimis sint profunda. hoc enim casu talis futura nihil profuerit. Est & aliud genus futuræ in omnibus prope vulneribus vsitatum, qua Gormelenus vsus, ei nomen indidit intersectæ, quod post vnumquodque punctum facto nodo in filo, abscindatur filum. Fit autem ad hunc modum. Per acum traijcitur filum sericum duplex, duciturque per medium labiorum vulneris, post vbi filum nodo firmatum est, abscinditur iuxta nodum. Fit etiam punctura acus, duciturque filum simplex per medium vtriusque labij seorsim, deinde contrahuntur labia, & colligatur filum nodo.

Diuersa genera futurarum.

Sutura glutinans.

Sutura innterfecta.

Tertium genus futuræ, quod proprie conuenit profundis vulneribus, quæque altius penetrat, ita fit. Perforantur vtraque vulneris labia satis profundo puncto tot acubus quot opus est, relicto conueniente spacio inter eas acus, hinc torquetur filum circa traiectas illas acus, vt in assuendis vncinulis vestium fieri solet inprimis à rusticanis mulieribus. Relinquuntur eo in loco acus, donec

Sutura ferrea.

vulnus perfecte coaluerit, applicatis interim remediis, quibus firmetur claudaturque. Conuenit hoc futuræ genus inprimis in labiis vulnerum fiſſis.

Sutura cum pennis facta.

Non deſunt, qui cum volunt, vt labia profundi alicuius vulneris ſe iungant vniantque ſine inæqualitate vlla, ea hoc pacto conſuunt. accommodant cuſpides pennæ ſimiles ijs, quibus in Inſtrumento Muſico vtimur ad vtrumque latus vulneris, perforantes duo eius labia acu cui inditum eſt filum, & poſtquam incluſerunt compreſſeruntque filo vnam ex iſtis pennæ cuſpidibus, reducunt acum per idem foramen, deinde connectunt ſimul nodo duas fili extremitates, nempe eundo & redeundo, quibus cum altera extremitas pennæ comprimitur: hoc facto abſcinditur filum.

Sutura continua.

Aliquando fit ſutura cum acu infilata, ſic, vt labium vtrumque vulneris perforetur, circumducendo filum, ſicut pelliones faciunt cum pelliculas conſuunt: atque in hunc modum conſuuntur vulnerata inteſtina. Sic quoque membranæ, partes carnæ vacuæ, omniaque alia vulnera, in quibus violentia affluentis ſanguinis nos non ſinit vti alio ſuturæ genere. Hæc eſt cauſa, quare illam *Guido* appellet futuram ſiſtentem ſanguinem. Sunt præter ſuperiores etiam aliæ futuræ, quibus vulneratus venter conſuitur, quæ ob hanc cauſam à veteribus vocantur γαστροραφίαι, de quibus inferius loquemur, vbi de vulneribus ventris agemus.

Fibularum vſus apud veteres.

Galenus libro tertio Methodi dat locum fibulis adiungenda, reducenda & continenda labia vulneris: & *Celſus cap.* XXVI. *libri* V. ait, quod ſi vulnus ſit in carne, idque ad eum modum hiet, vt labia eius non bene iungi poſſint, tunc ſutura non ſit conueniens, ſed inijciendos eſſe vncinos qui comprehendant, attrahant vellicentque labra.

Nunc abolitus, ſuccedente vſu acuum fibularum vſus.

Noſtro tamen ævo fibulæ non amplius ſunt in vſu, quia applicatæ ſtatim pungunt, nec vnquam ceſſant excitare dolorem: ſed pro vncinis vtimur nos acubus, quibus vbi duo labra vulneris perforauimus, & circumplicauimus filum, relinquimus ita, donec labia ſeſe mutuo apprehenderint: acus illæ namque ad hunc modum applicitæ minus doloris faciunt, meliuſque ac firmius coniuncta continent vulneris labia.

IV.

Secundus Scopus.

Conſeruatur ſubſtantia partis in ſua integritate & ſanitate, & præ-

præseruatur à noxiis accidentibus, bono ordine viuendi, & vsu remediorum tam vniuersalium quam topicorum. Victus ratio tenuis debet esse, & moderatè refrigerans, si periculum adsit inflammationis & febris: vitet æger vinum & actum venereum, nimiasq; animi commotiones, studeatq; quieti. Remedia vniuersalia sunt phlebotomia & purgatio, quibus inest virtus impediendi fluxionem, quæque mutatura erit temperamentum affectæ partis. Venæ sectio necessaria est, nisi forte *Venæ sectio* iam ante plus satis sanguinis è vulnere exiuerit, vel si ob magnitudinem læsionis, aut naturam partis sauciæ euidens periculum fuerit inflammationis, conuulsionis, febris, doloris, vigiliarum & delirationis, sicut fit in vulneribus iuncturarum, tendinum, neruorum, dummodo ætas aut vires non aduersentur. Purgationi locus est inprimis, cum corpus ple- *Purgatio.* num est prauis humoribus refertum, vel, etiamsi tale non sit, si vulnus sit in capite, vel ventre, vel iuncturis. vel si adeo amplum sit, vt necesse habeat futura; debet tamen purgatio esse clemens & benigna, quod verendum sit, ne motis & percalefactis viribus, sequatur fluxio & inflammatio. Topica hoc loco requisita, sunt agglutinentia, à Græcis colletitica dicta, sed sunt mediocriter desiccantia & adstringentia, vt non solum id quo hiat, iungere ac continere, sed & affluxionem humorum aliaque accidentia impedire, atque hoc pacto membrum in sua sanitate & temperatura conseruare possint.

NOTÆ.

Conseruatur substantia] Amplectuntur se labia vulneris, vbi ea coniuncta fuerint, vniuntque se beneficio naturæ, sicut antea fuerant, si quis conseruet tueaturque substantiam læsæ partis sanam. Hoc vero vt obtineatur, necesse est, vt æger obseruet bonam victus rationem, vtaturque remediis vniuersalibus & topicis conuenientibus.

Bono ordine viuendi] vtetur igitur cibis leuis nutrimenti, & a- *Ratio vi-* liquantum refrigerantibus, donec extra metum superuenientium acci- *ctus vul-* dentium sit constitutus æger. Non multum concedet, inprimis si sit *neratorũ.* plethoricus, abstinebit à carne salita & condita aromatibus. Vinum non bibet, inprimis si sit temperamenti bilioſi aut sanguinei. Huius loco vtetur aqua hordeacea, ptisana, aut sacharato. Abstinebit etiam ab vsu venereo, iracundia, aliis animi passionibus, fugiet labores & exercitia corporis: quies enim, vt Celsus ait, optimum est vulnerato remedium.

Cur necessaria venæ sectio.

Necessaria est phlebotomia.] requiritur venæ sectio ad conseruandam bonam dispositionem corporis siue partis affectæ, nisi satis sanguinis per ipsum vulnus effluxerit. Nam (sicut testatur *Galenus lib. 4. Methodi*) vtile est in omni recenti vulnere, nisi sit in ventre, vt continuo sanguis effluat, plus minusue, vt plaga & vicinæ partes minus afficiantur aut tententur inflammatione. Cum igitur Medicus debeat imitari naturam, si quando è vulnere satis effluxit sanguinis, supplendus est defectus iste phlebotomia. Hoc tamen imprimis necessarium est in corporibus plethoricis, inque vulneribus magnis, vbi periculum est affluxus, & metuitur dolor; delirium & inquietudo, vt fere fit in iuncturis, tendinibus & neruis.

Vtilitas purgationis in vulneribus.

Purgationi locus est.] Si ventrem habeat æger constipatum, oportet exhibere suppositoria vel clysterem emollientem, vel porrigendum est ei, quod ore sumat, medicamentum laxatiuum, quale est Casia. Quod si vero corpus sit Cacochymum, aut vulnus nimis magnum sit, etiamsi nulla adsit cacochymia, leuibus istis remediis contenti esse non possumus, si *Hippocrati* credimus, eiusque interpreti *Galeno*, sed oportet vt vtamur purgantibus efficacioribus. *Hippocrates* enim *in libro de vlceribus*, & post eum *Galenus* defendunt hanc sententiam, purgationem fortem vtilem esse in vulneribus capitis, & ventris tam inferioris quam superioris, in vulneratis iuncturis, iisque, in quibus opus est sutura, vel etiam ligatura. Constat autē, purgantia, quibus illi tunc vtūtur, longe fortiora esse, quam sit cassia, manna, rhabarbarum & alia id g. nus medicamenta, *quæ nos nunc habemus*: quibus tamen potius vtendum est quam nimis *violentis*, ob metum hæmorrhagiæ, inflammationis & febris.

Testibus Hippocrate & Galeno.

Sunt agglutinentia] Hæc medicamenta à Græcis vocantur colletica, quasi dicas, glutinatoria, tenentque medium inter sarcotica & epulotica, desiccantque magis etiam quam sarcotica, nempe ad secundum vsq; gradū. Igitur siccitate sua & adstringendi vi, sine vlla detersione colligunt rursusque iungunt partes distantes & separatas, in quo opem ferunt naturæ, quæ prima est & quasi sola operatrix, tam in regeneranda carne & cute, quam in conglutinando. Agglutinantia simplicia, quibus inest vis retinendi iuxtim, iam vnita vulneris labia, & impediendi fluxionē, sunt Thus, Aloe, Myrrha, Sarcocollo, Bolus Armena, Terra Lemnia; sanguis draconis, Terebinthina, Gummi elemi, Plantago,

Medicamenta agglutinantia simplicia.

tago, Canda equina, Conſolida maior, Millefolium, Quinquefolium, Sanicula, Piloſella, Verbena, Craſſula maior, Ebulus, Vinum auſterum, Farina volatilis, &c. Græci vocant ἐναίματα, quod eorum quoque vſus ſit in vulneribus ſanguinolentis & recentibus, non obſtante, quod impediant fluxiones, quæ circumiacentibus partibus accidunt.

Puluilli ſeruiunt etiam ad ſuauiter ſuſtinenda & reſtringenda vulnerum labia iam coniuncta, adque conſeruandum calorem naturalem partis ſauciæ, impediuntque ſimul ne membrum vulneratum nimis prematur à faſciis ligatoriis. Fiebant hi olim è plumis intra duos panniculos albos inſutis, vt *Guido* ait, noſtro vero æuo fiunt è goſſypio, lana, cannabi bene pexa, aliquando è ſpongia, ſæpius è panno duplicato. Imponitur eiuſmodi puluillus vnus, duo vel plures, modo ſicci, modo madefacti liquore aliquo, puta vino, oxycrato, oleo, albumine oui, cerato molli, aut ſimili quopiam.

V.

In vulnere compoſito auferenda eſt diſpoſitio contra naturam, quæ coitionem impedire poſſit, antequam tentetur coadunatio partium diſſidentium. Si igitur feſtuca, quæ vulnus fecit, in eo manſerit, vel aliud aliquid ſimul intrauerit, exempli gratia, linteolum, pars panni, pilus, vel ſi quid in ipſo vulnere à læſione genitum, velut ſanguis concretus, caro lacerata, fragmentum oſſis, vel ſimile quippiam, quod impediat redunionem, id primum omnium extrahendum eſt. *De cura vulneris compoſiti.*

Pariter ſi adſit intemperies, inflammatio, febris, aut alia ægritudo complicata cum ipſo vulnere, quæ retardet ſanationem, neceſſe eſt, vt ei rei afferatur medicina, antequam ad vnionem vulneris accedatur, alias enim non coibit. Inprimis ſi vulnus ſecutum fuerit pernicioſum aliquod ſymptoma, veluti ſunt immanis dolor, delirium, inſomnia, conuulſio, paralyſis, ſyncope, ibi omittenda eſt ipſa propria vulneris cura, vt ſubueniatur his accidentibus. denique opus eſt, cum pus abundanter exoritur, vt id prius detergatur quam incarnetur vlcus. *Grauia ſymptomata curãda.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Vulnus compoſitum (vt apparet ex ſecunda regula diagnoſtica) id dicitur, cui aliæ indiſpoſitiones implicatæ ſunt, quibus non remotis ſanatio obtineri nequit. Vides quam neceſſarium ſit, vt in vera eiuſmodi vulnera curandi methodo, prius auferatur mala diſpoſitio complicata vulneri, antequam ad illius coalitionem veniatur. Idem ſentiendum eſt, ſi cauſa quę vulnus fecit, intus remanſerit, ſicut in omni alio morbo, vbi cauſa efficiens adhuc coniuncta eſt cum illo, hinc ordienda eſt cura, vt docet *Galenus capite* IV. *lib.* IV. *Method.* Quod ſi non ſufficiat, ſuſtuliſſe cauſam, quæ diuiſit continuum, puta lignum vel rem ſimilem, ſed & illam cauſam, ſine cuius remotione vulnus coire non poteſt, velut omnis res extranea in vulnus ingreſſa aut in eo nata, neceſſe eſt, vt huc quoque applicetur animus. Præterea ſi quis morbus coniunctus ſit cum vulnere, qui huius curam impediat, neceſſe eſt, vt is prius curetur. Idem intelligimus de grauibus accidentibus læſionem comitantibus, quibus ſine vlla dilatione afferenda ſunt remedia, deinde demum accedendum ad vulneris labiorum conſolidationem.

VI.

Quibus mediis auferenda cauſa.

Feſtuca vel pars baculi è vulnere extrahenda eſt, & ſi quid extranei ineſt, *vel manu, vel ferramento*, vel medicamento, & per eundem quidem locum, per *quem ingreſſum* eſt *tale aliquid*, niſi nimis profunde infixum ſit, niſi ibi ſit vas *aliquod magnum* & locus neruoſus, vel os oppoſitum, & niſi tranſierit *per neruos, venas*, & arterias; & per illud latus, per quod meditatum fuit exitum, ſi ſatius eſt reuerti quam pergere vlterius, niſi adſit os, neruus, vel vas aliquod magni momenti, quod impediat contrariam apertionem. Vt autem feſtuca vel quicquid ſit, eo facilius extrahatur, collocandum eſt corpus vulnerati, ita, vt eundem habeat ſitum, quem habuit tunc cum reciperet vulnus.

ANNOTATIO.

Quid baculi nomine intelligatur.

Baculorum varia ſunt genera, pro diuerſitate materiæ, figuræ & magnitudinis. Sunt enim è ferro, ære, plumbo, ſtanno, lapide, ligno, ſunt

sunt ossei vel cornei. Sunt præterea longi, lati, rotundi, acuti, figuræ inæqualis. Nonnulli sunt magni, alij parui. Hi vt dextre extrahantur, sciendum est omne id quod pertinet ad naturam partium vulneratarum: puta earum substantiam, temperamentum, figuram, situm, cõnexionem, vsus, actiones, robur & dignitatem. Si tale aliquid tam profunde hæreat in corpore, vt digitis comprehendi non possit, extrahatur volsellis vel tenaculis dentatis, rectis siue incuruis, quibus instrumentis apud alias atq; alias gentes varia sunt nomina. Inueniuntur & Medicamenta quibus extrahendi; res in vulneribus infixas, facultas inest, cuius generis sunt aristolochia, dictamnus Creticus, anagallis, ammoniacum cum melle, caput lacertæ tritum & applicatum. Quod si bacillus tam profunde fuerit infixus & occultatus, vt inueniri nullo pacto possit, neque sine grandi noxa extrahi, propter partes vicinas, relinquendus est in vulnere, donec eum natura sua sponte expellat. *Medicamenta attrahentia.*

VII.

Morbis deinde cum ipso vulnere complicatis indicendum est bellum, & profligandæ accidentia quæ id comitantur, ope contrariorum, velut intemperies calida per refrigerantia, dolor per mitigantia, phlegmone, erysipelas, febris, insomnia, delirium, conuulsio, paralysis, syncope, per remedia vniuersalia & topica repugnantia eorum causæ & essentiæ, deinde purganda materia purulenta per mundificantia. *Quomodo profligandi morbi & accidentia.*

NOTÆ.

Resistimus intemperiei calidæ, simplici quidem & sine fluxione, applicatis rosis, plantagine, vnguento albo Rhasis, aliisq; similibus remediis, quæ siccando simul moderatè refrigerant. *Intemperies calida.*

Dolorem sedabit oleum rosatum & de myrtillis, albumine oui admixto, vel etiam cum vitello. Si acriter vrserit necessitas, vteris oleo papauerino cum pauxillo opij, vel alio narcotico. *Dolor.*

Si phlegmone, vel erysipelas, vel alius aliquis tumor contra naturam superuenerit parti sauciæ, medemur ei nunc quidem per sectionem venæ aut purgationem, alias vero per repercutientia, resoluentia, aliaue topica, quæ videbuntur esse vsui. *Phlegmone*

Febrem curamus per phlebotomiam, purgationem, alimenta & medicamenta frigida, sumpto indicio à magnitudine morbi, viribus languentis, temperamento, eius ætate, more atq; consuetudine, tempestate anni, dispositione temporis & ratione victus. *Febris.*

Insomnia. Somnum prouocamus auferendo dolorem, inflammationem, febrem, vnde oriebantur vigiliæ, vsu etiam hordei mundati, & lacte amygdalarum dulcium, addito semine papaueris.

Delirium. Si delirium à dolore ortum superuenerit, aut nimia hęmorrhagia, mitigatur dolor per anodyna; vsus rationis amissus restituitur alimentis conuenientibus, medicamentis corroborantibus caput & sensus, partim ore sumptis, partim foris applicatis. Si vero deliratio ab inflammatione & febri profecta fuerit, repellendi sunt fumi à cerebro applicato oxyrrhodino, retrahendi ligaturis atq; frictionibus partium extremarum, nec non per clysteres acres.

Conuulsio. *Conuulsio*] Conuulsio est retractio coacta neruorum, & per consequens musculorum versus suam originem, aduenies vel primario, vel per consensum. Quæ primariò euenit, oritur vel ab inanitione vel repletione. Conuulsio orta ab inanitione & siccitate, qualis suboriri solet post nimios sudores, vomitum continuum, fluxum ventris, profluuium sanguinis, famem diuturnam, curas & vigilias immoderatas, labores, motus vehementes, ardentes febres, superpurgationes, hæc inquam Conuulsio, si confirmata fuerit, erit incurabilis. Cum vero incipit adhuc, & si periculo non caret (inprimis si eam comitetur febris) molienda est cura eius oleo vel hydrelæo, balneisq; è decoctione capitis & pedum veruecinorum, vitulorum, agnorum, caprarum, radicum bis maluæ, foliorum maluæ & similium, addita tertia vel quarta parte olei. A balneo inungatur collum, tota spina dorsi, scapulæ, iunctura & capita musculorum oleo communi, violaceo, amygdalarum dulcium, adipe gallinaceo & canino, admixtis, si febris adfuerit, refrigerantibus.

Ex inanitione.

Eius cura.

Conuulsio per consensum. Si vero Conuulsio ex repletione orta fuerit, velut cum tumor, qui vulneri superuenerat, semel ac simul euanescit, vel cum nullus apparet tumor in vulneribus malignis, euacuanda erit abundantia humoris è toto corpore, per venæ sectionem vel conuenientem purgationem, èq; partibus corporis, inprimis è capite, gargarismis, errhinis, apophlegmatismis, clysteribus acribus, aliisque similibus remediis: fricandæ insuper inungendæq; sunt partes conuulsæ, collum, spina dorsi, iunctura, axillæ, inguina, oleo liliorum, costi, vulpino, laurino, nardino, de ruta, euphorbio, castoreo philosophorum & similibus oleis, superimposita lana succina. Balnea de oleis, & laconica sicca multum hic prosunt, vt & subfumigationes, quia confortant partes neruosas.

Eius cura.

Conuul-

Conuulsio facta per consensum ob qualemcunq; compunctionem neruorum, vnde dolor cõmunicatur ipsi cerebro, vel ob morsum alicuius bestiæ, inprimis venenatæ, vel ob extremi frigoris passionem, q̃ penitus aduersatur vulnerib. neruosis, vel ob vaporem aliquẽ putredine noxium ascendentem ad cerebrum, cuius formidine id se cõprimit & in sese retrahitur, & per consequens attrahit omnes neruos & musculos totius corporis, velut euenire videmus in Epilepticis; hæc, inquam, conuulsio cum curanda nobis venit, vtimur remediis causæ eius aduersantibus. Exempli gratia. *Conuulsio per consensum.*

Si proueniat à pũctione aliqua neruorũ, applicare oportet medicamenta propria cuiusmodi est oleum therebint. & euphorbij, mixtũ vtrumq; cum aqua vitæ: inprimis autem sedãdus est dolor per anodyna. *Cura conuulsionis à punctura nerui orta.*

Si quod venenum impressum fuerit, extrahendum id est ventosis, cucurbitulis, suctionibus, & imponendum medicamentum aliquod attractiuum, vel alexipharmacum, quale est theriaca, vel cauterium.

Si ab ingenti frigore prouocatum fuerit malum, recalfacienda est paulatim pars affecta linimentis calidis, & inungendum caput, collum, spina dorsi, iuncturæ, axillæ & inguina oleo liliorum vel chamæmeli. Si nihil omnino quicquam profecerit, abscindendus est neruus vel musculus saucius per transuersum. Hic notandum est, conuulsionem esse vniuersalem, cum illa pertingit ad originem neruorum: particularem vero esse, cum solæ partes ægrè se retrahunt, ita vt sensus illo ad cerebrum non pertineat. *Cura conuulsionis à frigore profecta.*

Paralysis] Nihil aliud est Paralysis quam relaxatio alterius laterum, vel vnius duntaxat partis corporis, quæ accidit, quando spiritus animalis sistitur & impeditur, ne descendere possit & penetrare ad partem affectam, ob solutionem continui, vel obstructionem viarum, quæ tunc accidit, cum pars aliqua incisa est, aut quassata ictu aliquo vel lapsu, vel cum constricta est ligatura quapiam, frigore violento inflammatione partium vicinarum, scirrho, aut luxata vertebra vel fracto osse. Potest etiam euenire à causa interna, velut à crasso & glutinoso humore qui oppilat neruos. *Quid sit Paralysis.*

Quapropter si accepto vulnere aliquo sequatur paralysis, facta euacuatione totius corporis per sectionem venæ aut purgationem, & per vtrumque, si necesse sit, cessante quoque affluxu humorum: applicandæ sunt parti affectæ, & neruis, vnde malum ortum est, res eiusmodi, quæ *Cura paralyseos.*

corroborant ſimul ac calefaciunt neruos, cuiuſmodi eſt oleum nardinum, de coſto, de nuce myriſtica, de vermibus, de vulpe, caſtoreo, hyperico: vel ſane imponendum eſt emplaſtrum compoſitum de baccis lauri, cortice thuris, ſtyrace calamita, myrrha, ſabina, nuce cupreſſi, radicibus acori, alumine, croco, maſtiche, nigella, & aliis ſimilibus. *Guido & Tagautius* vtuntur liquore diſtillato, deſcripto per Petrum Aponenſem in additionibus ad Meſuen, ſuadentque eo vti in hac ægritudine, quia ſit remedium admirabile. Confectio autem eius talis eſt. ℞. *myrrhæ elect. aloes hepat. ſpic. nardi, ſangu. drac. thuris, mumiæ, opobalſ. Carpobalſ. bdellij, ammoni. ſarcocob. Croci, maſtich. gum. Arab. Styra. liquid. ana* ʒ. ij. *Ladani elect. caſtor. ana* ʒ. ij. ß. *moſchi* ʒ. ß. *terebinth. opt. ad pondus omnium.* Pulueriſanda pulueriſentur & omnia miſceantur cum terebinthina, reponanturq; in deſtillatorio, quod Alembicum vocant, & ingenioſe ac lento igne, vt decet, deſtillentur: liquorem autem per deſtillationem ſublimatum, vaſe vitreo forti excipe. Hic liquor proxime accedit ad verum ſuccum balſami. *Guido Gauliacus* quandoque huic pretioſo liquori addebat herbas dicatas paralyſi, & tunc generoſius atque efficacius multo experiebatur auxilium.

Quid ſit ſyncope, & vnde oriatur.

Syncope] Syncope eſt ſubitanea priuatio virium, quorum eſſentia ſita eſt in ſpiritu & temperamento corporum ſolidorum. Superuenit ſyncope vulneribus communiter ob grandem hæmorrhagiam, vnde fit magna iactura ſpirituũ permixtorum ſanguini, vel ſi æger horreſcat ad conſpectum ſanguinis ſui, vel alia de cauſa ſibi metuat, vnde ſpiritus ſe ſubito retrahunt magna abundantia ad cor, & id ſuffocant, adeo vt ceſſet motus illius, & ſic per conſequens cæteræ eius functiones. Accidit etiam nõnunquam ſyncope ob putrem aliquem vaporem atq; venenoſam, adſcendentem per arterias vſq; ad cor, & per neruos ad cerebrũ. Euenit etiã ex nimiis vigiliis, labore, grauibus paſſionib. animi, ieiunio, omniq; euacuatione immoderata, interdum etiam ab enormi dolore.

Signa futuræ ſyncopes.

Præſagia futuræ ſyncopes ſunt, quando æger palleſcit, erumpente ſudore frigido, neque amplius ſortitur pulſus aut motus arteriarum, vbi mox homo in terram prolabitur, ſine ſenſu & motu vllo, frigeſcente mox toto corpore. Multi q in ſyncopẽ incidũt, niſi eis opportune ſubueniatur, moriuntur.

Cura ſyncopes in paroxyſmo.

Ad ferendã igitur illis opem, primo adſpergenda eſt facies eorum frigida, ipſiq; ſupini collocandi ſunt in terra vel lectulo, exhibenduſq; panis vino permadefactus. vt ſugant. Quod ſi ſyncope eue-

eueniat ab aliquo vapore putredinoso, bonum erit vt sumeret æger cochleare vnum aquæ vitæ, in qua dissolutum fuerit paululum theriacæ vel mithridatici, vtq; ad nares eis odoris gratia admoueretur acetum rosatum, vel alius aliquis odor aromaticus, fricanda etiam sunt extrema, vellicandi pili in temporibus, vt & auriculæ & nasus. Si postremo dolor syncopes causa fuerit, quærenda est illius causæ origo atque auferenda.

Mundificantia simplicia & composita.

Mundificantia] Medicamenta mundificantia, quæ Græci appellant Rhyptica, sunt quæ continuitate substantiæ, cum qua coniungitur siccitas, purgant & detergent vlcus à duplici excremento, quorum crassius densiusque appellamus sordes, subtilius & aquosius vocatur à nobis sanies, à Græcis ἰχὼρ. Sunt autem hæc medicamenta duum generum: simplicia vel composita. Simplicia sunt vel amara, vel dulcia, vel acida. ea quibus sapor amarus ineſt, hæc fere sunt: gentiana, aristolochia, iris, enula campana, scylla, serpentaria, centaurium minus, absynthium, marrubium, hypericum, abrotanum, apium, chelidonium, ruta, hyssopus, scabiosa, artemisia, agrimonia, fumaria, hedera terrestris, amygdala amara, faba, terebinthina, myrrha, mastiche, aloe, sagapenum, galbanum, ammoniacum, fel animalium, stercus caprinum, vrina bene cocta, æs vstum, ærugo, antimonium, calx, calchitis, alumen.

Amara.

Dulcia.

Dulcia sunt viola, rosa, ficus pingues, dactyli, vuæ passæ, glycirrhiza, aqua hordei, mel, saccharum, serum lactis, thus, &c.

Acida.

Acida sunt oxalis, acetum, & cætera acida.

Composita sunt syrupus de absynthio, de fumaria, de marrubio, de eupatorio, de artemisia, syrupus acetosus, oleum de vitellis ouorum, oleum terebinthinæ, oleum de tartaro, mundificatiuum de apio vnguentum Apostolorum, &c.

VIII.

Quomodo curanda vulnera cæsim facta.

Si vulnus cæsim illatum fuerit (modo non sit nimis magnum) bonum fuerit impedire suppurationem, applicando medicamentum aliquod desiccans sine mordendi vi, quod Græci vocant ἄναιμον, ad conglutinandum & rursus vniendum partes disiunctas, easque ab inflammatione præseruare. Si vero plaga contusa fuerit, proueniens à baculo aliquo obtuso, vel à casu, vel allisione ad corpus aliquod soli-

dum & durum, quamprimum fieri potest, studendum ne nimis vexetur ab inflammatione, suppuranda est caro contusa medicamētis pepticis, & expurgandum pus mundificantibus, vt regeneretur deinde noua caro adhibitis incarnantibus, & postremo ad cicatricē perducatur vulnus Epuloticis. Necessarium autem cumprimis est, vt impediatur fluxio per remedia reuulsiua, topica sedantia dolorem, aliaque media.

Si vulnus factum sit morsu animalis, inprimis venenati, antequam progrediantur ad glutinationem eius, extrahendum erit venenum per suctiones, ventosas, medicamenta attrahentia, cauteria & alios modos: exhibenda insuper ægro Alexipharmaca, mouendi sudores & vrina, coercendus à somno, & purgandus: & si venenum se spargat per totum corpus, secanda statim vena.

NOTÆ.

Differentia vulnerum à diuersa causa.

Si vulnus cæsim.] *Hippocrates libro de vlceribus* ait, omne vulnus ab instrumento secante vel incidente factum, opus habere medicamento agglutinante & desiccante, quodq; impediat suppurationē: si vero adsit caro quædam contusa & secta, curam ita instituendam, vt quamprimum veniat ad suppurationem, sic enim minus vexabitur ab inflammatione, nec minus esse necessarium, vt carnes contusæ & mortificatæ liuidæque putrefiant, inque pus conuertantur ac ita liquescant, vt deinde noua caro generari possit. Sic quoque, secundum *Hippocratem*, tractandum erit vulnus cæsim illatum multo aliter quam id, quod obtuso *baculo, vel casu, vel allisione* ad *corpus* aliquod durum solidumque factum fuerit: quod *in superiore illo* impedienda sit suppuratio, in hoc vero necessario maturanda: quodque *in illo* non nisi vna sola sit iudicatio perueniendi ad *vnionem*, *in hoc* vero duæ, nempe suppuratio & generatio nouæ carnis.

Cumque vulnera contusione facta obnoxia valde sint receptioni fluxionum, impediendæ hæ sunt per venæ sectiones, purgationes, ventosas, ligaturas, frictiones, si applicentur circa contusionem repercutientia, quale est oleum rosatum, oleum myrtillorum, vnguentum de bolo Armena, oxyrrhodinum, vngendo partes contusas oleo chamæmeli, liliorum, vel alio mitigatiuo dolorem.

Cumq; omni studio annitēdum sit, vt quam primum fieri potest, suppurentur partes cōtusæ, applicanda erunt cataplasmata suppurantia parti

parti affectæ: in ipsum vero vulnus immittendum digestiuum factum ex vitellis ouorum & terebinthina. Vulnere iam suppurato, detergitur illud melle rosato, mundificatiuo de apio, vnguento Apostolorum. Expurgatum ad hunc modum, repletur carne, applicatis medicamẽtis incarnantibus, mediante peniculo chirurgico, qui in singulos dies minuitur. Postremo cũ locus iam carne plenus est, inducitur cicatrix. Accidit sæpe contusioni ecchymosis (sicut bene obseruauit *Galenus lib.* IV. *Meth. cap.* I.) quæ est effusio sanguinis subter cutem. Cura eius in hoc consistit, vt euacuetur sanguis effusus extra vasa sua, perficiturque impositis medicamentis calefacientibus & moderate desiccantibus.

Si vulnus factum sit à morsu animalis] *Galenus cap.* VI. *libri.* XIII. *Methodi* ait, dolorem prouenientem à punctu vel morsu animalis mitigari solere duobus modis, euacuando venenum, & alterando id quod facit dolorem: euacuari autem venenum per medicamenta attrahentia, cucurbitulas, suctiones, cauteria actualia & potentialia: id quod creat dolorem, dicit alterari vsu remediorum contrariorum, qualia sunt refrigerantia, quando æger magnum sentit calorem in ea parte vbi factus est morsus, vel per totum corpus: & calefacientium, cum contra, ingens sentitur frigus. *Cura morsuum venenatorũ.*

Aëtius cap. X. *tractatus libri* I V. censet, si vulnus sit paruum, lauandum id primo esse oxycrato calido, deinde venenum suctione extrahendum atque expuendum. Ille vero qui exsugit (inquit *Paulus capit.* II. *libr.* V.) non debet esse ieiunus, neque os habere aliquo modo vlceratum, sed id eluere vino, & intus continere parum olei. Ventosæ quoque & cucurbitulæ percommode applicantur morsibus tam magnis quam paruis, sacrificata leuiter parte saucia & vicinis. Optimum erit, statim post vsum cucurbitularum, ad melius extrahendum venenum imponere vulneri parua animalcula dilaniata & discerpta, adhuc calentia, qualia sunt parui catelli, pulli gallinacei, hæduli, agnelli, porcelli. Præterea est vrenda, (aliquando etiam penitus abscindenda) pars saucia, si bestia, quæ momordit, sit lethifera, quales sunt viperæ & aspides. Cineres ficulnei de sarmentis & caulibus, dissoluti in aceto, impositique morsui, non parum prosunt. Bonus est & sal, & muria, allium cum melle, acetum calidum, in quo nepta cocta fuerit. Theriaca mirificam hic vim habet, applicata in forma emplastri, inque poculento exhibita ad roborandum cor. *Suctiones in plagis venenatis.* *Cura morsus venenati.*

IX. Vul-

IX.

Vulnus simplex in parte carnosa.

Vulnus factum in parte carnosa, si nihil de substantia deperditum sit, non opus habet alio remedio, quam vt reuniatur & coniungatur per ligaturam, vel futuram, vel alias operationes chirurgicas, itemque per medicamenta agglutinantia, quæ labra iuxtim continent, conseruantque membrum in sanitate, & præseruant id à grauibus accidentibus. Ad quod autem accessit perditio substantiæ carnosæ, tunc ad reparationem præterea necesse est, vt prius repleatur carne, quam natura producit bono sanguine, generando adiuta tamen medicamentis sarcoticis, quæ moderate exsiccant liquidius excrementum, vnde vulnus humilium redditur, digeritque crassius, quod ibi sordescit: deinde vt ad cicatricem perducatur epuloticis, quæ valde desiccant adstringuntque, ad arefaciendam humiditatem carnis, quo reddatur durior, densa, callosa & similis cuti.

NOTÆ.

Quomodo reuniatur vulnus simplex.

Vlcus factum in parte.] Finis siue scopus curationis vulneris simplicis in parte carnosa, est vt reuniatur (inquit *Galenus cap.* x. *lib.* III. *Method.*) quod fit per operationem naturæ, adiuuante tamen Chirurgo, qui coniungit labia eius, eaque ita coniuncta apta ligatura *custodit.* Nostri chirurgi consueuerunt applicare vulneri ad eum *modum* coniuncto albumen oui contritum & extensum *super* stuppas molliores, *vt seruent vulnus* ab *inflammatione*, & *intemperie calida*, fluxu sanguinis & *dolore. Si vero vulnus tam magnum fuerit in carne*, vt labia eius ligatura coniungi non *possint*, reducenda sunt & colligenda futura, vel fibula (vt præcipit *Galenus*) non tamen arripienda sunt incontinenti, ob metum, ne vulnus exasperetur amplius. Chirurgi iuniores inspergunt vulneri puluerē rubeū quē nominant Incarnatiuū, qui fit è duabus partibus thuris, & vna sanguinis draconis, quibus nonnulli adiungunt, tres partes calcis viuæ, alij tantum boli Armenæ. Vel concutiendo miscent dictum puluerem cum albumine oui, applicantes vulneri partem vnam extensam super molle linteolum, alteram super molles stuppas, quibus ita impositis obligant affectam partem ex arte, iniunctis prius partibus vicinis vulneri oleo rosato, neque hunc apparatum mutant ante quartum diem, nisi graue aliquod accidens superueniens eos aliter facere cogat.

Quod

Quod si eo temporis spacio vulnus inuicem se non amplectatur, lauant id vino adstringenti calido, imponuntque stuppas eodem vino madefactas, posset quoque addi vnguentum præparatum de puluere rubeo & terebinthina lota. Galenus vtebatur emplastro nigro ad vulnera sanguinolenta & late dissecta, in cuius operibus, multa alia genera medicamentorum, quæ similem pollicentur effectum, similiter etiam plura apud Hollerium, inuenies.

Vbi vero perditio substantiæ facta est] In vulnere cum perditione substantiæ carnis coniuncto, veluti cum particula carnis ablata est, duæ res sese offerunt Chirurgo, vt *Galenus* docet *cap.* 1. *lib.* IV. *Methodi*, nempe coniunctio & reparatio similis substantiæ in locum deperditæ, quod etiam obtinetur beneficio naturæ, bonum sanguinem in quantitate & qualitate generantis, neque tamen sine auxilio Chirurgi, qui desiccat & absterget vtrumque excrementum, liquidius clariusque, quod appellamus saniem, & crassius, quod dicimus pus & sordes, vnde vulnus humidum fit & impurum, adhibitis medicamentis sarcoticis, & postquam vulnus repletum est carne, epuloticis ad inducendam cicatricem. *Quomodo perdita substantia reparanda sit.*

Medicamenta sarcotica] Quæ medicamenta Græci vocant sarcotica, nos incarnatiua, sunt ea, quæ suppeditant naturæ bonam materiam, ad regenerandam carnem in vlcere concauo, mundificando & desiccando moderate, ita ne nimis calefiat vulnus. Sic fit, vt medicamenta sarcotica non regenerent carnem nisi per accidens, quod sine erosione exsiccant & mundificant excrementa impedientia operationem naturæ. Operatur igitur in regeneratione carnis proprie sola natura, estque illius causa efficiens principalis, sanguis vnde fit caro, est causa materialis: medicamentum obtinet locum causæ adiuuantis vel coëfficientis. Detersione enim & desiccatione mediocri, sine magno calore, aufert omne impedimentum à natura, præparatque materiam, vt prompte in sanguinem conuerti possit. Tale medicamentum (vt *Galenus* monet 5. *simplic.*) debet esse siccum in primo duntaxat gradu, ne consumat sanguinem, qui alit nutritque partem vulneratam: quod intelligendum est in corpore molli & temperato. Si vlcus enim sit nimis humidum, aut corpus durum, non sufficiet solum medicamentum siccum in primo gradu, sed vsque ad secundum & tertium. Vides causam, ob quam varianda sint sarcotica secundum temperamentum totius corporis & partis ægræ. Sarcotica enim, nimis & minus desiccantia, relinquunt *Quomodo caro regeneretur.* *Limitatio sententiæ Galeni de sarcoticis.*

vlcus ſordidum, hæc, quia non ſatis conſumunt humiditatem excrementitiam; illa, ob acrimoniam, quæ prouocat fluxionem. Diligens igitur eſt habenda ratio temperamenti corporis & partis, in electione illorum medicamentorum.

Differentia ſarcoticorum. Sunt autem medicamenta ſarcotica vel ſimplicia vel compoſita; benigna & dulcia, vel fortia & acria.

Simplicia. Simplicia ſunt thus, aloë, myrrha, terebinthina, roſina pini, ſarcocolla, farina fœnugræci, orobi, lupini, erui, ariſtolochia, iris, ſymphytū, hypericum, betonica, ſanicula, omneſq; adeo herbæ quibus ineſt virtus conglutinandi nouella vulnera, & detergendi ſuauiter vlcera ſordida: quæ cum legitimo modo mixta ſunt, fiunt ſarcotica.

Compoſita. Compoſita ſunt, oleum hypericonis, olea quæ baſſami nomine appellantur, tetrapharmacum, vnguentum aureum, emplaſtrum diuinum, Gratia Dei.

Quæ ſint medicamenta Epulotica. *Epulotica*] Medicamenta quæ Græci appellant *epulotica*, id eſt, cicatricem inducentia, ſunt quæ ſiccitate ſua & adſtrictione ſine aliqua morſicatione, & abſq; calore deſiccante conſtipant denſantq; carnem in ſubſtantiam calloſam, accedentem ad naturam cutis, quam nos appellamus cicatricem. Hæc non minus quam ipſa caro eſt opus naturæ, adiutum duntaxat à Chirurgo, qui non tantum fluentes conſumit humiditates, ſed & humorem in ipſa carne cõtentum, vt eam ſimilem reddat cuti per medicamenta epulotica, quæ ſiccant, adſtringunt firmantque *ita, vt inducant* calloſitatem ſimilem cuti. Vnde talia medicamenta vulgo *dicuntur cicatrizantia, quia* adiuuant naturam in producenda pelle, conſumendo *humiditates* ſuperfluas. Hac de cauſa magis debent eſſe deſiccantia quam ſarcotica ſunt.

Epulotica vel ſunt ſimplicia vel compoſita.

Epulotica ſimplicia. Simplicia ſunt terra Armenia, Lemnia, lithargyros, ceruſſa, malicorium, balauſtium, gallę, myrthus, lapis hæmatites, calaminaris, ſpodium, pompholyx lota, ſcoria ferri, plumbum vſtum, antimonium, vitriolum, alumen vſtum, calx viua, æris ſquama, æs vſtum.

Compoſita. Compoſita ſunt vnguentum diapompholygos, album Rhaſis, deſiccatiuum rubrum, emplaſtrum de ceruſſa, diapalma, diachalciteos.

Vtimur aũt cicatrizantibus non vno modo, quædam n. in puluerẽ rediguntur: applicãtur alia in forma emplaſtri valde tenacis: alia itidem in forma vnguenti, de quibus omnibus vide Hollerium capite quarto libri ſecundi de Materia Chirurgica.

X. Si

X.

Si quæ vena aut arteria maioris momenti inciſa fuerit, ante omnia eſt ſiſtendus ſanguis, deinde glutinandum vulnus. *Ratio ſiſtendi ſanguinem.*

Siſtitur autem ſanguis profluens, dum modice refrigeratur corpus & pars ſaucia, ſi eleuetur & à dolore præſeruetur, facta diuerſione fluxus ſanguinei alio, puta, cum ad partes contrarias retrahitur, per ſectionem venæ, ventoſas, frictiones, ligaturas. Præterea obturando & claudendo aperturam, quod fit ſi labia vulneris conducantur vnianturque, vel manibus, ligatura, ſutura, applicatis medicamẽtis ſtipticis, emplaſtris eſcharoticis & refrigerantibus, vt ita retentus ſanguis intus concreſcat. Ad glutinandum autem vulnus venæ, medicamenta debent eſſe magis deſiccantia, quam quæ ad reparationem carnis adhibentur, & humidiora quoque quam ad arterias, cum vena ſiccior ſit carne & mollior arteria.

NOTÆ.

Si qua vena aut arteria] Poſtquam locutus ſum de cura vulnerum, quæ accidunt partibus carnoſis, ratio exigit, vt ſecutus *Galenum* explicẽ rationem curandi ea, quæ accidunt venis & arterijs notabilioribus. Cũ autem ea ſemper cum hæmorrhagia coniuncta ſint, & quia ſecundum quintum canonem therapeuticum huius tractatus, quando graue aliq; accidens ſuperueniens vulnus comitatur, huic prius remedia applicanda ſunt, antequam ad curam eius accedatur: *omnino* neceſſarium eſt, vt ſiſtatur ſanguinis fluxus, priuſquã adſpiremus ad ſanandam ſolutionem continui, quia niſi ſanguis claudatur ſiſtaturue, ſine dubio afferet mortem, quia ſanguis eſt theſaurus naturæ, vt in Prognoſticis diximus. *Curæ vulnerum in venis & arterijs.*

Ante omnia eſt ſiſtendus ſanguis] *Galenus lib.* v. *Methodi cap.* iii. & v. reducit materiam curãdi fluxũ ſanguinis, ad duo principalia puncta: nẽpe vt impediatur curſus eius, & claudatur apertura: quia quãdiu ſanguis cũ impetu fluat, & vaſa manſerint aperta, citius morietur ſaucius, quam fluxus ſanguinis per ſe ſubſiſteret. Ait autem impediri curſum eius, diuertendo alio, vel reuellendo ad partes contrarias, vel deriuando ad vicinas per venæ ſectionem, cucurbitulas, frictiones & ligaturas, & frigefaciendo totum corpus ipſamq; partẽ ægram, eleuando eã & à dolore præſeruãdo: claudi vero oſtiũ cõprimendo vel obturẽdo diuiſionẽ: claudi (inquam) conductis compoſitiſq; labijs beneficio digitorum, vel

apta ligatura ducta versus radicem vasis, vel applicato medicamento refrigerante & adstringente. Ait idem *Galenus*, obturari interius vi sanguinis concreti (ipse vocat thrombum) vel exterius cum peniculis, medicamentis emplasticis, vel escharoticis, vel postremo igne. *Guido* secutus Auicennam ait, hæmorrhagiam sisti tribus modis; primo per remedia quæ diuertunt fluxionem, tam beneficio reuulsionis quam deriuationis: secundo per refrenantia, quæ intercludunt viam fluxioni; tertio per topica.

Hæc omnia sunt ex Auicenna.

Inter remedia, quæ diuersionem faciunt, quædam id præstant sine euacuatione, veluti sunt cucurbitulæ siccæ, frictiones, ligaturæ, factæ primo in partibus vicinioribus, deinde in remotioribus: quædam cum euacuatione, vt venæ sectio in parte, quæ directæ respondet hæmorrhagiæ, velut sursum & deorsum, à dextra in sinistram, ab interiore foras, & ab exteriore intus.

Inter refrenantia quædam habent vim incrassandi, vt lenticula, oriza, iuiubæ, omnesque alij fructus stiptici & austeri, quos illis exhibere solemus, qui fluxu ventris laborant. Alia sunt stupefacientia, vt aqua frigida pota & eiecta circum locum vnde venit fluxus, & adeo omnia quæ fortiter frigefaciunt, vt in syncope fit, in qua ob reuocationem sanguinis ad interiora, tota corporis habitudo frigescit, & per hoc medium sanguis sistitur. Remedia topica, propria, ad sistendum sanguinem (quanquam Auicenna octo faciat) possunt reduci ad quinque: *quorum primum est sutura*: secundum applicatio peniculorum: tertium *absciſſio totius vasis fluentis sanguine*: quartum ligatura: quintum vt fiat eschara ardente ferramento, vel medicamentis causticis.

Primus modus sistendi *sanguinem per suturam factus*, proprius est vulnerum in quibus nulla perditio *sanguinis facta* est.

Secunda ratio per peniculos siue turundas conuenit illis, in quibus aliquid de substantia deperditum est.

Tertia præcipue locum habet in venis sitis in profundo, quæ vbi penitus per transuersum absciſſæ sunt, vtrinque se retrahunt, obtegiturque vtraq; extremitas, vbi sectio facta est carne & cute quæ circum est, vt non amplius exeat sanguis.

Quarta cõuenientior est ad arterias quæ in profundo latent, quarum fluxũ sanguineum, si quis alio modo cohiberi non possit detegendæ eæ sunt, vncinuloq; protrahendæ, & filo serico firmiter colligandæ.

Quintus

Quintus modus per aduſtionem factus proprie facit ad vaſa aperta per eroſionem : qua de cauſa vtile eſt applicare cauteria actualia vel medicamenta cauſtica, quibus ineſt vis ſtyptica cum calore, cuiuſmodi eſt chalcanthum, ſiue vitriolum, & arſenicum ſublimatum, vt profunda fiat eſchara, quæ vt celeriter decidat, non eſt laborandum, ne renouetur fluxus ſanguinis. Superioribus hiſce adiungit *Guido* multa alia præcepta ſane bona, quæ obſeruanda ſunt in cura hæmorrhagiæ. Primũ deſumpſit ex *Galeno quinto Method.* qui præcipit in omni fluxu ſanguinis proueniente ex vulnere, vt ſtatim digitus imponatur orificio venæ, & hæc prematur ſuauiter ac ſine dolore, donec generetur thrombus, id eſt, concreti ſanguinis maſſula, quo ipſo prohibetur ne vlterius effluat. *Guidonis præcepta de ſiſtendo ſanguine.*

Secundum præceptum *Guidonis* eſt, vt in omni fluxu ſanguinis, vbi inſperſus eſt puluis reſtringens in vulnus, applicentur deſuper duo vel tres puluilli è linteolis, intinctis primo in oxycrato, deinde inducto reſtrictiuo.

Tertium è *Galeno* deſumptum eſt, qui iubet ligari vulnus faſcia linea, ita, vt à principio quater vel quinquies leniter circunducatur circum vas fluens, ad firmandam venam quæ ſtillat ſanguine, & repellendum ſanguinem iam affluentem.

Quartum & ipſum eſt *Galeni*, qui conſulit, vt membrum à quo prodit ſanguis, eo ſitu collocetur, vt ſurſum vergat, ſed vt ne ſentiat dolorem : cum conſtet, ſi pendeat deorſum, aut dolorem ſentiat, non ſolum fluxum ſanguinis non ſubſiſtere, ſed & excitari, ſi nullus antea adeſſet, accedente inſuper vel augeſcente inflammatione.

Et quintum eſt ex *Galeno* depromptum, mandante, ne prima obligatio ante tertium diem remoueatur, & ſi mutatio facienda ſit, vt faſciæ & opercula prudenter auferantur.

Sextum eſt *Auicennæ*, qui conſulit, vt æger oculos habeat clauſos, ſitq; in loco obſcuro, ne poſſit videre ſuum ipſius cruorem, neq; vllam rem rubicundi coloris : perſuadendum inſuper ei eſſe, iam conſtitiſſe fluxum, vt quamuis adhuc fluat, id ei non futurum inſalubre, vt vel ſic confortetur virtus naturalis contraria imaginatione.

Poſtremo recitat idem *Guido* tria genera medicamentorum comprimentium ſanguinem, quorum primum eſt ex *Galeno quinto Methodi*, pa- *Medicamẽta reſtringentia.*

di, paraturq; ex vna parte thuris, & dimidia parte aloes, maceratis in albumine ovi, additis pilis leporinis bene comminutis.

2. Secundum est ex *Auicenna*, componitur ex æqualibus partibus boli Armenæ, sanguinis Draconis, thuris & aloes, pulueriſatis omnibus & miſtis cum albumine oui, additis pilis leporinis.

3. Tertium est *Brunonis*, qui id desumpsit ex Rhasi & Albucasi, sitq; ex partibus æqualibus calcis viuæ, sanguinis Draconis, gypsi, aloes, thuris, omnibus in puluerem redactis, cum albumine oui, additis pilis leporinis & tela arancarum.

Medicamẽta ad vulnera venarum & arteriarum.

Ad glutinandum autem vulnus venæ.] Subsistente fluxu sanguinis, statim veniendum est ad curam vulneris. Hoc vt coeat, eadem adhibentur medicamenta, quæ superius diximus conuenire glutinandæ carni, sic tamen, vt semper habeatur ratio temperamenti. Nam, sicut ait Galenus quinto Methodi cap. septimo, cum vena magis sit sicca quam caro & mollior quam arteria: quamuis arteria difficilius curetur quam vena, tamen non multum differentiæ est, quod ad vsum medicamentorum, quæ sunt prope vnius modi, præterquam quod in quantitate aliquid obseruatur discriminis.

XI.

Si neruus aliquis sit sauciatus, necesse est, vt vtamur medicamentis subtilium partium, quæ moderate calefaciant, & fortiter desiccent, sine tamen morsicatione & potentia attrahendi. *Si neruus punctim læsus sit, facienda est incisio cutis, vt amplior efficiatur aditus vulneris, vt satis apertum retineri possit, omnibus autem modis mitigandus est dolor, & obuiandum inflammationi, quæ proxima est conuulsioni. Et vbi neruus apertus in conspicuo fuerit, non sunt applicanda medicamenta tam fortia, quam si in occulto lateret, propter exquisitum illius sensum.*

Cura vulnerati nerui.

NOTÆ.

Si neruus aliquis sit sauciatus.] *Galenus VI. Methodi cap.* 2. ait, in cura neruorum vulneratorum requiri medicamenta quæ moderatè calefaciant & desiccent fortiter, neque tamen excitent dolorem, quæque sint subtilium partium, & habeant virtutem attrahendi. Qua de causa ipse vtitur terebinthina intus in vulnere, eaque omnino sola apud eos, quib. est caro delicata. aliis vero, qui duriores sunt, iungit euphorbium, & propolidem, & sagapenum, & opopanacum cum terebinthina, ad-

Medicamẽta in neruis vulneratis.

na, addito oleo aliquo ſubtili. Probat etiam ſulphur viuum non calculoſum & calcem lotam.

Si neruus punctim læſus ſit] Vulnera neruorum, ſecundum communem praxin antiquorum medicorum, non debent proprie agglutinari, ſecundum generalem intentionem ſolutionis cõtinui: ſed potius ſi ſunt nimis anguſta, vt ſunt puncturæ, præcipiunt, vt fiant ampliora per inciſionem factam deſuper, vtq; longo tempore ita hiare ſiue patere ſinant, vt ſanies exire poſſit, medicinæ vero ingredi. Gloriatur tamen *Paræus*, tractaſſe ſe non ſemel vulnera neruorum multo aliter, recitatq; duas hiſtorias: priorem narrat de quodam Procuratore in Curia Eccleſiaſtica, cui Galli Gallinacei nomen fuerit, qui cum forte chartas ſuas plena vola colligeret, impegerit imprudens manui ſuæ cultellum pennarium, qui mucrone totum manum perforauerit. Secundum exemplum narrat de quodam vicino ſuo, qui cum fruſtum carnis bubulæ vellet infigere peracuto veru traiecerit cum impetu veru per mediam manus volam: & ſe tamen vtrumque ſanauiſſe ait, conglutinato è veſtigio vulnere impoſito in prima obligatione de balſamo ſuo ſatis calido, ſine turunda vlla & defenſiuo circumpoſito, illos tamen celeriter fuiſſe perſanatos, immunes ab omni grauiore accidenti. Neque tamen ipſe ſuadet iunioribus Chirurgis, vt temere idem facere conentur, quia multa poſſent ipſis ſuboriri inconuenientia. Tutius igitur erit ſequi *Galenum*, Æginetam, Guidonem cæteroſq; omnes, qui feliciter Chirurgiam fecerunt, ſuadentq; cuncti vno ore, vt in compunctione neruorum aperiatur cutis, ad diducendũ oſtium vulneris, idq; diu tenere apertum antequam glutinetur, vt ſanies facilius effluere poſſit, medicamenta autem profundius penetrent, ad ſiccandam humiditatem quæ à neruis prodit ſubſtantia.

Parei praxis ſuſpecta

Omnibus modis mitigandus eſt dolor] *Galenus capite ſecundo ſexti Methodi* euincit, neceſſarium eſſe, cum neruus compunctus ſit, vt ob exquiſitum eius ſenſum oriatur dolor multo maior, quam in omnibus cæteris partibus, & hinc inflammatio, quam ſequatur conuulſio, niſi ſtatim idoneum apponatur remedium: hac igitur de cauſa ante omnia ſollicite dandam operam, vt mitigetur dolor, impediatur generatio phlegmones, & obuiam eatur conuulſioni. Poteſt autem hoc obtineri, primo, ſi æger leuem victus obſeruet rationem, collocatus in lecto molli, eo quo conuenit ſitu. Secundo vt fiat ſubtractio materiæ antecedentis

dentis per remedia euacuantia, quia metuendum sit, ne propter dolorem statim affluat ad partem vulneratam : sic suadente *Galeno*, qui totum corpus iubet euacuari per sectionem venæ, si id venæ permittant, quanquam æger plethoricus non sit, quia id magnitudo mali & vehementia doloris requirit. Si corpus sit cacochymicum, iubet purgari: Tertio vttopicis attrahentibus & mitigantibus simul locus detur, ad extrahendam foras saniem, sedandumque dolorem per eadem media. Ad hanc intentionem vtitur in ipso vulnere his medicamentis. ℞. *Ol. terebinth.* ℥.j. *aq. vitæ* ℥.j. *euphorb.* ℥.ß. Vel ex *Ol. hyperic. Sambuc. de euphorb. an.* ℥.j. *sulph. viui subtil. pulueris.* ℥.ß. *gum. ammõ. bdellij an.* ℥.ij. *aceti opt.* ℥. ij. *verm. terrest. præpar.* ℥.j. bulliant omnia simul vsq; ad cõsumptionem aceti. Vel ℞. *Galbanum picem crass. opopana* liquefiant omnia in aqua vitæ & aceto forti, deinde admisceatur axungia porci, anseris, gallinæ, caponis, vrsi, pars olei veteris, olei liliorum, & alia similia remedia, quæ tamen variare debent pro magnitudine læsionis, & temperie ac habitudine corporis.

Præterea calide fouenda est pars saucia bis vel ter in die oleo Sabinæ calido, vel oleo veteri, vel de ruta, anetho, alioue diaphoretico, non vero oleo rosato vel myrtino aut alio adstringenti imposita etiam lana molli cum sæuo in plagam.

Quod si his mediis conquiescere dolor non voluerit, sed forte magis augeatur, videaturque pars inflammari, & labia vulneris tumescere, fluente sanie serosa, subtili & virulenta: ibi suadet *Pareus* applicare *oleum prorsus feruens, cum linteolo circumuoluto specillo*, & ita tangere fundum & parietes vulneris ter quaterue. Hæc species cauterij (ait is) sedabit dolorem è vestigio, quia adustis neruo, tendine aut membrana aufertur sensus, & per consequens dolor; quod etiam in magnis doloribus concauorum dentium, si quis profundas radices eorum possit tangere candenti ferro, vel oleo vitrioli rectificato, vel aqua vitæ, hoc enim celeriter facit cessare dolorẽ, adusto neruo, qui se inserit dictis radicibus dentis. Quod si ne sic quidem remittat dolor, sed perseueret, & iam incipiant retrahi nerui & superuenire spasmus, vt æger periculum mortis adeat: in tam graui casu vtile erit, neruum siue tendinem omnino per medium dissecare, (quo facto quæq; pars ad suum locum se retrahet) ne amplius metus sit contractionis. Verum quidem est, ita perdi actionem, sed satius est hanc amitti quam ipsam vitam. Si porro accidat, vt pars affecta vexetur inflammatione, imponendum est ei

Ad sedandos dolores dentium.

est ei cataplasma factũ ex his farinæ speciebus, de hordeo, fabis, orobo, coctis in lixiuio & syrupo acetoso, vel in aceto, non vero in farina triticea, neque aliis rebus quæ putrescunt. Si nerui putrescere incipiant, vtile erit cataplasma è farina hordei & erui, coctam in lixiuio & aceto mellito. Huc quoque facit emplastrum compositum de euphorbio, cera & colophonia: vel cera, resina, terebinthina, pice & euphorbio. His tamen omnibus vt dextre & commode vti possimus, exacta ratio habenda est temperamenti & mollitiei corporis.

Obuiam etiam eundum conuulsioni vicinæ, fomentando caput, collum, spinam dorsi, axillas & inguina oleo liliorum prorsus calido, vel oleo laurino, de costo vel simili aliquo.

Si neruus apertus in conspicuo fuerit.] Differunt vulnera neruorum non tantum in curatione à cæteris vulneribus, sed & inter se ipsa. Etsi enim omnia medicamenta, quæ extrahũt è profundo, & arefaciunt humiditatem saniemque, proprie conueniant læsis neruis; illa tamen, quæ applicantur punctim illatis vulneribus, & vbi nerui nudati non sunt, debent esse multo subtiliora & magis desiccantia, (sine tamen morsu) vt eo melius ad fundum penetrare possint, & sic attrahere atque desiccare humorem & saniem, quæ est vel circum substantiam neruorum vel in ea. Contra quando nerui sunt aperti, ob exquisitum eorum sensum cauendum est, ne nimis fortia medicamenta applicentur, hæc enim geminatura essent dolorem, & adductura grauia accidentia; *sufficit igitur* vti medicamentis clementibus, & quæ exsiccant *sine vlla acrimonia*, cuiusmodi est calx lota, in pauxillo olei dissoluta. Sed & Medicamentum de Pompholyge dissolutum in copioso oleo rosato non salso, vtile hic est. Præstat & hoc .℞. *terebinthin. Venet. in aq. ros. lotæ* ℥.ij. *boli Arme. ireos Florent. an.* ʒ. ij. incorporentur simul. Affirmat Paræus multum huc facere balsamum suum, cuius confectio hæc est. ℞. *terebinth. Venetæ lib.* ß. *gum. elemi* ℥.iiij. *Ol. hyperic.* ℥.iij. *boli Armen. sang. dracon. ana* ℥.j. *aq. vitæ* ℥.ij. liquefiant omnia simul lento igne & fiat balsamum, addendo *puluer. ireos florent. aloes, mastic. myrrhæ, an.* ʒ.j. Commendatur & hoc non parum. ℞. *Ol. rosat. omphac.* ℥.j. ß. *de terebint.* ʒ.iij. *suc. plant ag.* ℥.ß. *sem. hyper. aliquantulum contriti* M. ß. *tutiæ præparatæ.* ʒ. iij. *calcis decies lotæ cum aq. plant ag.* ʒ.ij. *antimonij* ʒ.j. *sepi hircini & vitulini an.* ʒ.v. *vermium terrestrium lotorum cum vino* ℥.j.ß. bulliant omnia simul, dempta *tutia*, in cyatho decoctionis *hordei*, vsq; ad cõsumptionem *aquæ & vini*: colentur rursusq; igni

Neruorum vulnera inter se differunt.

Balsamus Parei.

admoueantur, addendo tutiam, & fiat linimentum cum *cera alba & croci* ʒ.ß. Hoc linimentum mitigat dolorem, & crescere facit carnem super neruos denudatos. Vidi ipse aliquoties patrem meum vti balsamo præstantissimo in punctionibus, aliisq; læsionibus, & putredine neruorum, vt & in omnibus vulneribus putridis, quia habet vim mundificandi, desiccandi, attrahendi, & malum rectificandi, quem balsamum ita præparabat.

Balsamus auctoris.

Accipe *duas vncias cum dimidia centaurei* pilo contusi, & *semunciam marrubij contriti*, macerentur aliquandiu in oleo oliuæ, fac deinde vt bulliant parum, & statim fiat colatura, colaturæ adde *vnciam vnam olei de Hyperico, dimidiam vnciam olei vermium*, tantum *olei nardini, vnciam vnam & dimidiam terebinthinæ Venetæ. mediam vnciam myrrhæ, bene pulueriſatæ*, tantum *galbani & ammoniaci* in *aceto* dissolutorum; præterea *Chalcanthi vnciam vnam, æruginis pulueriſatæ semunciam, ſucci plantaginis vncias duas*. bulliant omnia lente super calidos cineres, vel ponantur in sole per plures die, sexprime deinde per linteum vel cilicium, & ad opportunos vsus reserua.

Recapitulatio superiorum omnium.

Postremo, vt concludamus ex doctrina *Galeni*, si neruus fuerit compunctus, incidenda est cutis, ad amplius faciendum vulneris ostium, quod apertum habēdum est, applicatis medicamentis subtilium partiū, quæ sine magno dolore attrahunt è profundo, valideque desiccant, ita tamen, ne dolorem excitent. Quod si neruus cæsim & *secundum longitudinem* vulneratus fuerit, & cutis taliter incisa, vt neruus omnino nudus appareat, *abstinendum* est ab omnibus remediis acribus, propter exquisitum erui sensum, *vtendum* vero desiccantibus sine morsu.

Quod si neruus transuersim sauciatus sit, proderunt eadem medicamenta, quæ *incisioni secundū longitudinem* factæ adhibentur, excepto, quod quia plus periculi est ob conuulsionem, quando inflammatio communicatur à fibris sectis etiam integris tunc exactior præscribenda est victus ratio, extrahenduſq; sanguis maiore quantitate, & diligentius obuiandum conuulsioni.

Denique si neruus omnino abscessus fuerit, nihil quidem tale amplius metuendum est, pars tamen affecta debilis & manca futura est. Curationis tunc est eadem ratio, quæ in aliis vulneribus.

Cura neruorum contusorum.

Nerui contusi, quando cutis quassata & incisa est, quærunt medicamenta desiccantia, & quæ retrahant firmentq; suauiter partes disiunctas: quale est quod fit de oxymelite & farina fabacea, quod etiam dolo-

rem

remiſcdabit, ſi quis admiſceat picem liquidam, omnia ſimul bene coquendo, deſiccabit præterea, ſi admiſcueris farinam de orobo & iridem Illyricam. Noſtri Chirurgi applicant ab initio oleum roſatum cum albumine oui, deinde fomentant vulnus vino tepido. Si vero nerui quaſſati ſint, illæſa tamen cute, imponitur illis oleum quoddam omnino calidum, quod vim habeat reſoluendi, quale eſt oleum camomillæ, iridis, rutæ, ita vt ſemper habeatur ratio totius corporis.

XII.

Cura ligamentorum & tendinum.

Ad tendines (ſiue, vt vocant, tendones) vulneratos adhibentur medicamenta aliquantū fortiora, quā ad ſaucios neruos, quia cum participent de natura ligamenti, minus ſunt quam hi ſimilares. Ligamenta, quæ maxima ex parte prodeunt ab oſſe ad os, ſuſtinere facile poſſunt vim remediorum fortiorum, quam nerui & tendines, tam ideo, quia non ſentiunt, quam quod porriguntur vſque ad cerebrum. Poſſunt igitur deſiccari per quæcunque volueris medicamenta, ſine offenſione.

NOTÆ.

Ad tendines] Tendinibus vulneratis (conſtant autem è ſubſtantia mixta è neruis & ligamentis) eadem conuenit cura quæ neruis, ita tamen, vt medicamenta, *Galeno* ſuaſore, paulo ſint fortiora, ſumpto iudicio à natura partis. Quoniam enim participant de natura ligamenti, virtus ſenſitiua prope ſopita eſt, vnde & ſuſtinere poſſunt medicamenta fortiora & ſicciora.

Ligamenta quæ prodeunt] Habent ligamenta affinitatem aliquam cum neruis & tendinibus, quia alba ſunt, exſanguia, ſine cauitate, & in fila ſeparari poſſunt: qua ſimilitudine non obſtante; curantur tres illæ partes ſauciæ per diuerſa medicamenta. Quia enim ligamenta pleraque prodeunt ab oſſe ad os, facile perferunt vim remediorum fortiorum (vt *Galenus* ait) quod deſtituantur ſenſu, neque vſq; ad cerebrum porrigantur: vt hac de cauſa poſſint deſiccari quibuscunque aliquis vti voluerit remediis, ſine eorum offenſione. Quod ea ligamenta attinet, quæ ſe inſinuant in muſculum aliquem, ſicuti hæc minus ſubiecta ſunt periculis, quam tendines & nerui, ita magis poſſunt perturbare Chirurgum, niſi recte & ordine percurentur.

XIII.

Ad vulnera iuncturarum facit vſus medicamentorum, quib. ineſt

Cura vulnerum factorum in iuncturis.

virtus adstringendi & roborandi, quo ipso quoque dolor etiam sedandus est, impediendiq; humores, ne ad partem affectam fluant. Oportet etiam bene desiccare & detergere materiam glareosam, quæ consueto more prodit, & satis quidem abundanter. Cauendum autem est, ne applicentur medicamenta emollientia, humectantia & oleaginosa, quibus neq; intus vtēdum neq; foris, quia relaxant substantiam musculorum, neruorum & membranarum, redduntq; eas partes idoneas ad recipiendam fluxionem, vnde vulnus humidius fit sordidiusque, & per consequens maiorem consolidanti exhibet molestiam. Præterea quieta continenda est pars affecta, & ab omni frigore præmunienda.

NOTÆ.

Singularitas in vulneribus.

Ad vulnera iuncturarum.] Quandoquidem vulnera iuncturarum aliquid peculiare habent, præter id quod in vulneribus neruorum, tendinum & ligamentorum dictum est, ideo constitui illorum curam sigillatim pertractare. Primum igitur, cum vulnera iuncturarum maxime doleant, & obnoxia sint inflammationibus, prima cura erit Chirurgo, vt

1. *Sedandus dolor.*

mitiget dolorem, impediatq; affluxum humoris. Hoc vt obtineat, præscribenda est ægro victus ratio refrigerans, & potio vulneraria præparata *ex radicibus & foliis symphyti, saniculæ, buglossæ, plantaginis, consolidæ minoris:* fac bulliant simul in aqua, addito pauxillo *aceti & sacchari*, quam bibet bis in die, donec erit extra periculum inflāmationis & febris. Deinde

2. *Euacuāda materia.*

det operam, vt subtrahatur & euacuetur materia antecedens per venę sectionem & purgationem. His factis vngatur pars *diapalma*, dissoluta *in oleo rosato*, ita, vt non applicetur ipsi vulneri, sed partibus circumuicinis cataplasma de *arnoglosso, de plantagine, violaria, hippolapatho, & mica*

3. *Topica adhibenda.*

panis atri cocti in oxycrato, deinde cōtriti, & cribro transmissi, vel aliud quopiam, quod habeat virtutem adstringendi, siccandi & roborandi iuncturas. Interea dum hæc fiunt, sedandus subinde dolor, auertendique humores, ne affluant ad partem ægram, per hoc aut simile. ℞. *furfur. macri far. hordeac. fabar. an.* ℥.iiij. *flor. chamæmeli, melil. an.* M.j. ß. *terebinth.* ℥. iij. *mell. communis* ℥.ij. *ol. myrthi.* ℥.j. *Oxymel. simpl. vel oxycrati, vel lixiuij q. s.* fiat cataplasma ad formam pultis. Vel: accipe *fæces vini, furfures triticeos, puluerem è cortice iunioris quercus, gallas, terebinthinam*, ex quibus omnibus fiat cataplasma.

Quod si non amplius metuenda fuerit inflammatio, neq; febris, omittēdus est vsus cataplasmatis de *arnoglosso*, aliorumq; similiū, quorū

loco

loco circumponi debent puluilli madefacti in vino, in quo bullierint *ſaluia, agrimonia, abſynthium, centaurium, marrubium & ſimiles herbæ.* Sic & aqua ardens è fæce vini extracta cum ſaluia, agrimonia, abſynthio, centaurio, & marrubio, quæ proprie huc facit, tam vt puluilli in eam intingantur, quam abluatur vulnus: poterunt eadem & imbui linteola duplicata, quæ imponuntur vulneri. Neceſſe præterea eſt vt mutetur potio vulneraria in deſiccantem & abſtergentem, ex agrimonia, betonica, quinquefolio, bugloſſa, ſanicula, piloſella, geranio, alijſque ſimilis potentiæ herbis, decoctis in aqua, vino albo & melle adiuncta inſuper ſalſa parilla, ad fortius exſiccandum.

Bene explicare & abſtergere materiam glareoſam] Notandum eſt, ex vulneribus iuncturarum prodire varia excrementa, inprimis humiditatem glareoſam, mucilaginoſam, aliquando etiam liquidam, qui humor eſt, vnde iuncturæ nutriuntur. Quæuis enim pars habet ſuum balſamum naturalem ad ſui nutritionem & conſeruationem, qui tunc, cum pars illa inciſa eſt, effluit, ſicut videmus fieri, cum amputamus vites, effluere humorem quendam: & hic eſt ille humor, vnde generatur callus in fracturis oſſium. Vides rationẽ, cur impoſitis iam per aliquod tempus in ipſum vulnus terrebinthina cum oleo roſato, ad id ſuppurandum & ſedandum dolorem, poſtea vtendum ſit medicamentis fortiter deſiccantibus, quale hoc eſt, quo frequenter ſolebat vti pater quondam meus in huiuſmodi vulneribus.

Balſamus naturalis iuncturarum.

Sume folia marrubij, centaurij, & agrimoniæ, ſiccata, cuiuſque herbæ pugillum vnum, tantum etiam filiorum ſymphyti. Tunde omnia in mortario, & miſce in vaſe terreo cum ſeſquipocillo optimæ aquæ vitæ, factæ cum ſaluia & betonica, ſine vt macerentur omnia ſimul per viginti quatuor horas. Exprime deinde, & in colaturam illam immitte libram vnam optimi mellis, cum vino albo purificati, inde vnciam vnam æruginis puluerisitatæ, & tantum aluminis, fac vt bulliant, admoto paruo igni, in æneo cacabo, vſque ad decoctionem & bonam conſiſtentiam. ad extremum adde puluerem ireos florentinæ, ariſtolochiæ, colophonij, myrrhæ, vnicuiuſque drachmas duas. Hoc medicamentum ſingulares vires habet ad deſiccandum, & mundificandum, nec minus ad incarnandum vulnera iuncturarum, obi oſſa ſecta inciſaue ſunt, quia & eà præſeruat ab apoſtematibus & putredine, conſumitque materiam glareoſam inde prodeuntem. Eſtque neceſſarium, quando

Medicamentum deſiccans & mundans vulnera iuncturarum.

tales materiæ nimis sunt viscosæ & adhærentes, vt purgentur specillo, & si ibi generentur carnes callosæ super ossa, vt rumpantur vnguibus vel ferramento, quod hæ possint impedire vel hebetare virtutem medicamentorum.

A quibus medicamentis abstinendum.

Cauendum est ne applicentur emollientia, humectantia & oleaginosa] Hæc talia medicamenta ne circum quidem vulnus imponēda sunt, quia relaxando partem, illam aptam faciunt, ad recipiendas fluxiones: multo minus in ipsum vulnus, quod id reddant sordidum humidumq;, proliciantq; materiam glareosam, vnde generatur caro spumosa & callosa in osse, vnde ad extremum alteratur os, & nascuntur circum id apostemata, cum alijs non paruis noxijs accidentibus.

Quieta etiam continenda est pars affecta] Et hæc cura incumbit Chirurgo, vt bono ac conueniente situ collocet membrū, in quo iunctura vulnerata est, vtq; id quietum contineat, donec vulnus incipiat consolidari, tunc demū sursum deorsumq; mouendum est, sed per interualla, quia metuendum est, ne membrum maneat rigidum, retractum vel curuum, facta cicatrice. Si vulnus est in iunctura cubiti, vel in genu, vel digitis manuum, vel in carpo, collocandum est membrum in media figura, id est, non omnino recta, neque plicata, quia si id semiflexum sit, facta curatione facilius restitui poterit, quam si omnino directum vel nimis flexum fuisset.

De situatione mēbri saucii.

Præmunienda à frigore.] Inprimis euitandum est frigus, si iuncturæ vulneratæ sunt, quod id prorsus contrarium sit plagis, vulneribus vlceribusque, *inprimis partium nefuosarum*. Videmus enim plures homines saucios mori hyemis tempore, etiam ob parua vulnera, quam moriantur æstate ob quantumuis magna. Causa est, quod in partibus vlceratis (teste *Hippocrate*) frigus sit mordax, induret cutim, gignat dolorem, reddatque vulnera intolerabilia, extincto vel saltem imminuto calore naturali qui facit suppurationem, quodque generet liuorem, febres, conuulsiones & tensiones. Adde, quod humiditas, quæ à vulneratis iuncturis prodit, cum sit glareosa & veluti congelata, satis clare ostendat (inquit *Paræus*) adesse frigus non modicum, quod extremum causatur dolorem. Hic vt mitigetur, simulque intemperies frigida corrigatur, debent applicari res calefacientes, non tantum potentialiter, sed & actualiter, cuiusmodi sunt, vesica bubula vel porcina, semiplena decoctione resolutiua: vel lateres cocti percalefacti, inque vino

Vitandum frigus.

Ratio.

vino extincti, iuxta iuncturam positi: hic enim calor etiam actualis, naturam adiuuat in concoquendo digerendo & resoluendo humore in parte contento, quam & corroborat.

Vt autem ea, quæ in hac materia de recta & conuenienti cura vulnerum ni iuncturis diximus, melius ac dilucidius explicemus, non pigebit tria vel quatuor exempla adducere memorabilis curæ, quam vidi adolescens facere patrem meum, secundum hanc methodum.

Prima historia.

Anno à nato bono publico, M.D.LXXII. accidit in Ribemontio oppido, vt iuuenis quidam, nomine Iohannes Furnerius, natus annos circiter triginta, reciperet ictum gladij latioris in cubitum, quo abscissa fuit tota epiphysis & apophysis vtriusq; ossis iuncturæ, quia habuerat brachium plicatum cum percuteretur, adeo vt vulnus esset tres digitos latum, & vltra sex pollices longum. Vocatus pater meus, vt saucium curaret, cum primo abstulisset testulam quandam ossis eleuati, imposuit vulneri terebinthinam cum oleo rosato, septem continuis diebus, vt ad suppurationē perduceret, & mitigaret dolorem. Brachio circumposuit cataplasma de arnoglosso, ad impediendam fluxionem, calorem & dolorem. Id cataplasma posuit circum vulnus, non in ipsam plagam, ne nimis humectaretur & impediretur suppuratio. Interim non omisit præscribere ægro bonam victus rationem, tendentem & refrigerantem & humectantem, cum potione vulneraria de symphyto, buglossa, sanicula, consolida minore, & plantagine acuta, coctis in aqua, addito pauxillo aceti & sacchari, vt obuiam iret inflammationi & febri. Mox, cum vulnus iam inciperet suppurari, cepit imponere vulneri medicamentū suum forte desiccatiuū & mūdificatiuum, cuius cōpositionē superius descripsi, ad impediendam generationē materiæ glareosæ, quæ de more superuenire solet: ipsi vero malo circumposuit cōpressas madefactas vino, in quo coxerat saluiam, absynthiū, marrubiū, centaurium & agrimoniā. Imponebat & aliquando linteola cōduplicata & madefacta aqua vitæ destillata per maiorē canalē, è fæcibus vini optimi cū saluia, marrubio, absynthio & agrimonia. Hac aqua lauabat etiam vulnus, impositis pului lis eadem permadefactis. Constituto iam ægro extra metum inflammationis & febris, mutabat potionem vulnerariam in desiccantem & abstergentem, paratam cum agrimonia, betonica, quinq; folio, geranio, pilosella, buglossa, sanicula & salsaparilla, elixis in aqua, vino albo & melle. Hunc potū præbebat ægro vesperi & mane,

vino

vitro plene semel: & sic factum est, vt vulneratus auxilio Numinis, horum remediorum vsum intra quintum mensem conualuerit, vt brachium neque manserit rigidum, neque fuerit incuruatum.

2. *Historia secunda.* Anno sequenti curauit eodem modo alium iuuenem, nomine Sebastianum, natum haud procul à Guisio oppido, qui receperat ictum grauem gladij per mediam iuncturam cubiti, vt mucro ensis ad quatuor digitos in ipsum cubitum penetrauerit.

3. *Historia tertia ab ipso auctore descripta.* Aliquantum temporis post, vidi curari alium apud Guisam oppidum, cumque tunc puer scholasticus essem, descripsi historiam illam latinis verbis ad hunc modum. Memorabilis historia vulneris transuersim accepti, in articulo cubiti, Iohannis Pratensis Guisiani, trigesimum sextum annum agentis, per quod extrema pars apophyseos & epiphyseos abscissa est, ad medium iuncturæ vsque. Quoniam eiusmodi vulnera valde obnoxia sunt inflammationibus, grauibusque doloribus, primo intra vulnus impositum est medicamentum ex terebinthina cum oleo rosaceo confectum, ad suppurationem moliendam, & ad dolorem sedandum, ad quintum vel sextum diem vsque. Et linimentum ex emplastro palmeo cum oleo rosato dissoluto circa partem vulneratam applicatum, & supra emplastrum de arnoglosso. Postea vero curatio processit cum detergente medicamento, ex melle cum succis betonicæ, marrubij, centaurij, & rosarum cocto, cui alumen, terebinthina, & paruum aquæ fortis addita sunt. Hoc certe medicamentum (vt à patre didici) ad eiusmodi vulnera præstantissimum est, quia valde deterget & desiccat, & glareosa excrementa, ne erumpant, impedit, ac putredinem quæ illa consequi solet, arcet, atque apostemata ne accedant, prohibet, estque amicum neruis. Primis vero diebus diæta frigida ægrotanti instituta est, nec non & potio vulneraria ex radice symphyti, buiula, lanceola, sanicula, consolida minore, oxycrato & saccharo confecta, quotidie matutinis ac vespertinis horis vtebatur. Quin & blanda purgatio ab initio præscripta est, remollientesque clysteres deinceps, quoties aluus adstricta erat, iniecti sunt. Hac methodo diuina ope æger ad sanitatem perductus est, intra menses tres.

Eadem plane ratione vsus est idem pater meus in curando ciue quodam Guisiano, nomine Bernardo Quinio qui in genu ictus fuerat. Audiui etiam aliquoties recitantem patrem meum, sanauisse se alium quendam Guisianum anno M.D.LVIII. cui nomen Brunello fuerit, qui

qui ictum glande plumbea in alterum genu receperit, penetrante glande tam profunde, vt nullo vnquam instrumento chirurgico eam extrahere potuerit: eam vero decimo quinto die post curatum vulnus in crassiore suræ parte apparuisse, figura claui ferrei, & facta leui incisione exiuisse.

XIV.

Cura vulnerum capitis.

In vulneribus capitis, si cranium fractum sit (facta incisione in cute musculosa vsque ad os, si apertura satis ampla non sit) terebellis est vtendum, vt fragmenta & testulæ rupti cranij extrahi possint, darique exitus sanguini sub testa capitis effuso ob rupta vasa, vtque immitti possint medicamenta, quibus inest facultas abstergendi & desiccandi pus atque saniem, quæ sub ipso cranio generatur, & porro meninges cerebri corrumpere atque putredine inficere possent, ipsamque adeo illius substantiam, & vt suppleri possit ligatura repercussiua & defensiua fluxionis & inflammationis. Cauendum tamen est omni studio, ne applicetur terebra super suturas & tempora.

NOTÆ.

In vulneribus capitis] Vulnerum capitis alia sunt simplicia, alia complicata, id est coniuncta cum fractura cranij. Vulnera simplicia facile curantur, si non sint nisi superficiaria & parua, sine perditione substantiæ, imponendo eis (abrasis primo circumcirca pilis) glutinantibus ex albo oui, bolo Armena & aloë: Altero die Emplastrum de betonica vel Gratia Dei. Quod si grandiora sint, cæsimque facta, non quidem in vertice, sed lateribus capitis, coadunantur labia vulneris, & iuncta retinentur per suturam, quia constat, ea ligatura glutinante reduniri non posse, tam ob rotunditatem capitis, quam ratione cerebri in eo contenti. Quod si aliquid de substantia deperditum sit, restauretur per sarcotica, adque cicatricem perducantur per epulotica. *Vulnera capitis simplicia.*

Vulnera facta per contusionem suppuranda sunt cum digestiuo è terebinthina Veneta, vitellis ouorum, oleo rosaceo, & farina hordeacea. Deinde adhibendum est medicamentum aliquod mundificans, in quod non ingrediatur vllum oleum neque vlla res pinguis aut vnctuosa, quale hoc est. ℞. *terebinth. Venet.* ℥. ij. *Syr. rosa.* ℥. j. *Pulu. aloës myrrha, mastich. an.* ℥. ß. *Contusione facta.*

Incorporentur simul, fiat vnguentum. Postremo applicentur (ad faciendam cicatricem) pulueris de alumine vsto & corticibus malorum granatorum vstis, simul mixtis.

Quod si vel signis sensibilibus vel coniectura deprehendi possit fractura cranij, sique ea tam ampla sit, vt facile educi per eam possit, quod ibi naturæ aduersum continetur, immittique remedia ac commodata: vel etiam, si non penetret fractura vsque ad diploën, (διπλοὴν Hippocrati dictam) non erit necesse, vt terebretur os, ad dilatandam aperturam, sed satis fuerit, vt auferatur quod naturæ aduersatur.

Quando locus sit terebello.

Si vero fractura parua sit, quod per eam commode extrahi assulæ siue testulæ rupti ossis nõ possint, neq; exire sanguis suffusus cranio, vel elici pus aut sanies intus genita, neq; conueniens medicamentum queat immitti, tunc necesse est, vt os fractũ terebretur. Hoc vt rite fiat, abradendi primo sunt pili, deinde incidenda cutis musculosa & pericraniũ nouacula in formam crucis decussatæ vel litteræ X. si vulnus non sit satis amplum, neq; os sufficienter pateat. Cauendum tamen studio est, ne tangantur musculi temporarij, neq; commissuræ. Deinde scalpro separãdum est pericranium à cranio, ne à terebello contingatur: post hæc totum vulnus implendum est puluillis, vt labia eleuata & dilatata maneant, vsque in crastinum diem, imponendaque remedia repercutientia & restringentia fluxum sanguinis. postero die purgato recte vulnere aperiendum est caput terebra. Quale autem hoc sit instrumentum, quod terebram (trepanam) vocamus, Chirurgis notum esse debet: Græcis dicitur ἀβάπτιστος τρυπάνη, quasi immersabilis terebra, quod altius immergi non possit, neque descendere profundius, quam opus est. In vsu aliquantulum inungendum est oleo instrumentum hoc, vt expeditius vertatur & secet, & minore cum molestia, aliquando etiam tollendum inter terebrandum, frigidæque immergendum aquæ, ne incalescat os. Æger ipse, cum ad huius instrumenti vsum deueniendum est, rectèque collocari debet, eiq; aures gossypio bene obturandæ sunt, vt obtundatur sonus terebelli.

Ratio terebrandi.

Vsus terebelli.

Terebellis est vtẽdũ] Causæ, ppter quas terebro vtimur, sũt quinq;.

Causa cur vtamur terebellis.

Prima est, vt eleuentur ossa, & auferantur fragmenta & testulæ fracturæ, quæ comprimunt punguntque membranas, aliquando etiam ipsam cerebri substantiam.

Secunda,

Secunda, vt poſſimus euacuare, abſtergere, & deſiccare ſanguinem vel ſaniem collectam per fracturam, ruptis vaſis per vtramque tabulam (Diploën) ſparſis, vel etiam ijs, quæ affigunt duram meningem cum cranio.

Tertia, vt detur exitus ſaniei quæ gignitur in vulnere, poſſetque putrefacere oſſa, membranas, ipſumque adeo cerebrum. 3.

Quarta, vt applicare queamus remedia vulneri & fracturæ conuenientia, prout vſus & neceſſitas exigit. 4.

Quinta eſt, vt ſuppleatur ligatura repercutiens & prohibens fluxionem atq; inflammationem, quæ ligatura, ſi hic poſſet accõmodari, ſicut in alijs membris, expelleret atq; prohiberet ſuperfluitates loci affecti. Fieri autẽ talis ligatura in capite nulla ratione poteſt, non tantum ob figuram eius rotũdam, ſed & quia vaſa, puta venæ & arteriæ, quæ ſub cranio ſunt, occludi non poſſunt, ſed ſaltem exteriora, quæ res ſine dubio dolorem pareret atq; inflãmationem. Adde quod huiuſmodi ligatura compreſſione ſua impediret motum arteriarum, ſiſteretq; pariter euacuationem excrementorum fuliginoſorum, quæ euaporant per cõmiſſuras capitis, ſi hæ nimis cõſtringerentur. Remitteretur inſuper ſanguis à loco vulnerato ad membranas & cerebrum, vnde procul dubio induceretur dolor, calor, febris, apoſtema, apoplexia, ſpaſmus, paralyſis, & per conſequens ipſa mors. Hæc autem tam dira accidentia vt euitentur, facienda eſt apertura cranij, cum id confractum eſt. 5.

Cauendum tamen eſt] Nunquam committet Chirurgus, vt applicet terebram ſuturis, quanquam ibi ſit ruptura, ne abſcindat dilaceretq; fibras neruoſas, venas atque arterias, quibus dura meninx ſuſpenditur à cranio. Hãc ob cauſam relinquenda eſt ſutura integra, & terebrandum vtrumq; illius latus. Si enim operatio iſta in vno tantum fieret latere commiſſuræ, ſanguis aliæq; materiæ inutiles non poſſent perfectæ euacuari, quia intercedit craſſa ſiue dura meninx. Neq; terebræ locus eſſe poteſt in temporibus, propter muſculum temporalem, vt obuiã eatur graui illi accidenti, cuius mẽtionem facit Hippocrates, quod, ſi quis ſectionem faciat in muſculo dextro vel ſiniſtro tẽporis, ſuperueniat ſpaſmus alterius lateris. Adde his, quod moueatur muſculus ille dum manducamus & loquimur, ideoq; difficilime conſolidari poſſit. Quid, quod etiam ſub eodem illo muſculo collocata eſt commiſſura petroſa? *Cautela in vſu terebelli.* 1. 2.

Concurrunt inſuper in ſubſtãtia illius muſculi tẽporibuſq; com-

plures venæ, arteriæ, nerui, vnde multa hic euenire possunt symptomata, dolor, inflammatio, febris, spasmus, ipsaque consequenter mors: vt nemo tam temerarius esse debeat, qui secet musculum temporalem, ad applicandum terebellum fracturæ in illo loco factæ. Fiat potius apertio supra illum, vel in latere, tam prope iuxta rupturam, quam fieri potest.

Præterea non statuendum est terebellum super os fractum, & à cætero cranio separatum, ne dum id comprimitur, in ipsas membranas interius deprimatur. Neque applicandum est supercilijs, neque partibus inferioribus capitis, modo id caueri possit, ne substantia cerebri foras exeat per illam aperturam, quod cerebrum pondere suo deorsum vergit. Neque imponi debet ossi bregmatis puerorum, quod id non satis sit solidum, ad sustinendam vim terebræ.

Obseruationes necessariæ.

Notandum autem Chirurgis est, si sciſſura ossis longior sit, non totam eam sequendam esse, sed sufficere, si detur exitus materiæ, quod natura reliquum sua sponte coadunire soleat interposita callositate.

1. Deinde, vt, monente Celso, quam minimum fieri potest, de osse cranij eximatur, quod multo præstet, cerebrum osse illo tegi, quam quauis alia materia, quæ illius loco regenerari possit, abscesto & sublato isto.

2.

3. Neque differenda est apertura ossis vltra tertium diem, si modo fieri posset, præsertim æstiuo tempore, ne superueniat inflammatio.

Crassa meninx quomodo sit tractanda.

Facta terebratione extractaque parte ossis conueniente instrumento, summo studio annitendum est, vt bene tractetur dura siue crassa meninx. *Guido hic vtitur sub initium* parte vna mellis cum tribus partibus olei rosacei, ad sedandum dolorem. Contra Vigo miscet à principio mel cum aqua vitæ, *quod secutus Hippocratem*, neget oleum vel aliam rem humectantem conuenire cranio, quodque, secundum Galenum, nullo pacto vtendum sit rebus vnctuosis in denudatis ossibus, sed contra omnibus, quę vim habent exsiccandi superfluam humiditatem. Alijs placet vsus mellis rosati. Solebat pater meus sub initium adhibere medicamentum ex melle albo, succo bellis, & aqua rosacea, coctis simul, addito sub finem pauxillo lactis muliebris: applicabatque linteolum tenuissimum, siue sericam laciniolam rubram, madefactam decocto eo inter cranium & crassam meningem, ad abstergendum eam & præseruandum à dolore & inflammatione. partibus carnosis musculosis imponebat puluillos vnguento suppuratiuo illitos, quod vnguentum

tum is præparauerat è radicibus liliorum, foliis rumicis, violarum & rubi, maceratis in oleo oliuæ, butyroque recenti, deinde coctis & colatis: denique addebat picem resinam, picem pinguem, terebinthinam & ceram. Vbi præseruatam munitamq; sentiebat plagam à periculosis symptomatibus, incipiente iam crassa meninge rubescere & mundari, eiecta paulatim foras purulenta materia, lauabat eum aqua sua ardente extracta è fœcibus vini cum betonia & saluia: postea applicabat mundificans fortius aliquanto quam primum fuerat, factum ex melle albo cum succo betonicæ, marrubij & aqua vitæ compositæ, vt diximus.

Pulueres vsus in fracturis cranij.

Est & in more positum apud chirurgos, vt præteritis dolore, inflammatione aliisque accidentibus, nudatis ossibus applicentur pulueres: quos Græci vocant catagmaticos & cephalicos, quod proprie conueniant fracturis ossium capitis, quod innata sua siccitate consumant humorem superfluum, atque ita iuuent naturam in separatione illorum ossium & carne superinducenda. Fiunt autem pulueres eiusmodi ex radicibus ireos Florentinæ, aristolochiæ, gentianæ, panace, thure, myrrha, aloe, mastyche, sanguine draconis, farina hordeacea & eruina, aliisque pariter desiccantibus & abstergentibus sine erosione, varianturque pro temperamento & habitudine corporis. Quod si quis hos velit applicare membranis, misceantur oportet cum melle, vel syrupo rosaceo, vel syrupo de absynthio aut simili aliquo, vt minus acres sint in desiccando. Ratio est, quia pericranium & crassa meninx tam fortia remedia non patiuntur, cum non destituantur partes illæ sensu, velut ossa, neque adeo exsiccari velint. Postremo ad *consolidandum* claudendumque carne vulnus, vtimur emplastro diapalma, vel (vt vocant) Gratia Dei.

Vniuersalia medicamenta.

Interea autem, dum Chirurgus vtitur supra memoratis topicis, non debet omittere remedia vniuersalia: satis tempestiue igitur præscribat ægro bonam victus rationem, ad conseruandum totius corporis, inprimis vero capitis bonum temperamentum, idque præseruandum à noxiis accidentibus.

Aer.

Primum igitur det operam, vt constituatur æger in temperato aëre, mensibus hybernis luculentum ignem alat in eius cubiculo, cumque obligatur vulnus, teneatur haud longe à capite eius peluis plena prunis, vel batillus focarius igne candens, ad corrigendum ambientem aerem. Quæcunque ei imponentur medicamenta, calefacienda sunt, quod frigus, teste Hippocrate inimicum sit cerebro, ossibus & neruis: aduersaturque-

tur vero etiam vlceribus, impeditq; ſuppurationem. Neque tamen exponendus eſt æger in niniam aeris aut lucis claritatem, inprimis donec præterierint noxia accidentia, quia ſic diſſipantur & reſoluuntur ſpiritus, augeturq; dolor, febris & cætera accidentia.

II. *Victus.* Victus eius debet tenuis eſſe, refrigerans & humectans tantiſper, donec ipſi ſatis cautum fuerit ab inflammatione, febri, aliiſque ſymptomatibus. Vtetur ergo aqua cum pane infriato ſæpius tranſuaſata, hordeo emundato, prunis Damaſcenis coctis, paſſulis, interpoſito nõnunquam pullo gallinaceo, vel columbino, aut carne vitulina cocta cum lactucis, rumice, portulaca, bugloſſa, borragine, cichorio, endiuia ſimilibuſque herbis. Vitabit omnes cibos vaporoſos, fugietque inprimis vinum, ex præcepto Hippocratis, in cuius locum ſuccedet aqua hordeacea ſiue ptiſana, vel aqua cocta mixtaque cum ſyrupo roſaceo, violaceo aut acetoſo.

Memini patrem meum exhibere ſolitum eiuſmodi ſauciis per integrum menſem, bis in die, mane & veſperi potionem vulnerariam factam ex hordeo, foliis bellidis minoris & plantaginis oblongæ, foliis & radicibus ſymphyti maioris, coctis ſimul in vrna apto firmata operculo, affuſa aqua cum ſaccharo, & pauxillo mellis albi, vel roſacei vel violacei, ad conſeruandum temperamentum humorum, idque præſeruandum ab inflammatione & febri, atque hic adiuuandum curam vulneris. Sub finem quindecim dierum addebat aliquantum betonicæ.

III. IV. *Quies & motus. Somnus.* Detur opera, vt æger collocetur in loco quieto, extra clamorem ſtrepitumque, neue dormiat interdiu, ſed vt nocturnus prouocetur ſomnus: inprimis abſtineat ab actu Venereo.

Nec erit abs re, aperire venam cephalicam, in eo latere, in quo accepit vulnus, non ad euacuandam duntaxat abundantiam ſanguinis, ſi corpus forte ſit plethoricum, ſed & ob magnitudinem morbi præſentis vel futuri, ſi vires languentis id permittant, ad diuertendum retrahendumque humorum affluxum. Purgentur etiam ſuauiter humores peccantes, euitatis ſemper medicamentis fortioribus in principio, ne inducatur imflammatio, febris, vel aliud aliquod accidens. Si aluus ſit conſtipata, iniiciantur clyſteres emollientes, quoties opus eſt.

V. *Replet & inan.*

Cœterum ad illuſtrandam totam præſentem materiam & methodum

dum recte curandi vulnera capitis cum fractura cranij coniuncta, non pigebit tria vel quatuor exempla adscribere, è cura paterna petita, quorum ego spectator & testis fui.

Exemplum insigne vulneris capitis cum fractura cranij persanati.

Accidit anno à nato Bono Publico M. D. LXX. vt adolescens quidam octodecim annos natus, nomine Cruæus, lapide petitus, grauem ictum in summo vertice acciperet, adeo, vt rumperetur cutis musculosa, pericranium, & ossa ipsius cranij in latitudinem trium digitorum: penetrauerat autem assula quædam fracti ossis crassam tenuemque cerebri meningem ad vnius digiti profunditatem. Vocatus ab oppido Guisio pater meus, vt ægrum sanaret, primum omnium totondit eum circa vulnus, deinde fecit incisionem sufficientem cutis in formam crucis, extraxitque fragmenta ossium contusa & quassa: hinc extersit vulnus probe linamentis siccis, applicauitq; puluerem aliquem restringentem carnibus musculosis ad sistendum sanguinem, eique superimposuit exsiccantem. Victus genus præscripsit refrigerans & humectans, interdicto vsu vini, substituta ptisana cũ syrupo violaceo. Vesperi ac mane exhibebat potionem suam vulnerariam cõsuetam, vt viam intercluderet inflãmationi & febri. Reuersus postridie inuenit ægrum aliquantisper motum mente, ob ingentem contusionem & dolorem inde ortum: demptis linteaminibus, videt sanguinem constitisse, & fracturam cranij tam amplam, vt terebratione nihil opus esset. Expurgata igitur materia saniosa, immittit paruam turundam lineam in aperturam meningum, imponitque crassæ meningi linteolum intinctum medicamento suo mundificante & mitigante facto è melle, succo bellidis & aqua rosacea, adiuncto pauxillo lactis fœminei. I.

Post hæc applicauit carni musculosę puluillos illitos vnguento suo suppuratiuo, quib. imposuit obturamẽtum tinctum in decoctione bellidis facta ex aqua & modico vini, ad declinandã inflammationem & dolorem. Hanc curandi rationem continuauit per sex vel septem dies, abstergẽs diligenter corruptum sanguinem & saniem, quæ prodibat à spacio inter crassam meningem & cranium, è facto foramine in meningibus, inflabatq; in nares languentis, vt expeditius prodiret sanios materia, data tamen opera, ne sanguis proliceretur.

Hinc postquam animaduertit, exonerare se meninges iecta multa purulenta materia, obligauit eum bis quotidie, admixto de puluere suo mundificatiuo fortiori ad superius medicamentum, quod non

solum

ſolum impoſuit craſſiori meningi, verum etiam carni muſculoſæ, eſtq; eo vſus loco ſuppuratiui. Decimo tertio die vel decimoquarto, cum dolor & cętera ſymptomata aliquo modo cõquieuiſſent, cœpit abluere craſſam meningem aqua ſua vitæ compoſitæ cum betonica & ſaluia, vt melius abſtergeret, viuificaret & corroboraret eam, vſuſq; eſt mundificante ſuo fortiori per totum vulnus. Non debet autem taceri, paruum illud foramen, quod per vtramq; meningem penetrauerat, per ſex continuas ſeptimanas ſe mundaſſe, ita vt ſingulis diebus inde prodiret aliquid materiæ albæ, craſſæq; viſcidæq;, reſpondentis ſubſtantiæ cerebri, cumque hiatus fieret indies anguſtior, neceſſe habuit eum bis dilatare, inciſa craſſa meninge pauliſper, vt tantæ puris quantitati pateret exitus, quotidie affluentis: quibus omnibus non obſtantibus, æger exeunte quarto menſe miraculoſe perſanatus fuit.

II. *Hiſtoria.* Anno à nato Chriſto M.D.LXXVII. vir quidam Orignienſis, XLVII. annos natus, ſecuricula percuſſus fuit ſuper os coronale, ita vt cranium fractum fuerit. Vocatus ad ſanandum eum pater meus, etſi os conſpectui non pateret, indiciis tamen atque coniectura deprehendit fracturam factam in cranio, aderat enim caligo oculorum, vomitus, lipothymia, febris, magnus dolor circa plagam, prodeunte ſanguine per nares, perque os, cum aliis accidentibus. Abraſis capillis capitis circa vulnus fecit inciſionem vſque ad os, tranſuerſim per vulnus, hinc impoſuit remedia ad ſiſtẽdum ſanguinem. Altero die terebratione vſus fuit, vt educi poſſet ſanguis & ſanies, quæ ſe iam ſub teſta collegerat. impoſuit ergo craſſæ meningi medicamentum ſuum compoſitum ex melle, ſucco belidis, aqua roſacea & lacte muliebri: carnibus vero muſculoſis ſuppuratiuum ſuum. Septimo die apparuit ſupra craſſam meningẽ macula liuida, quæ emundari non potuit, vnde formidabat, eſſe id initium Gangrænæ: attamen cum eam diligenter lauaret aqua ſua vitæ compoſita, & applicaret mundificatiuum ſuum è melle, ſucco betonicæ & mar. rubij, paulatim abſterſa fuit, vulnuſq; deinceps incarnatum, conſolidatum & cicatrix inducta, ita vt perſanatus fuerit.

III. *Exemplum* Eadem ferme vſus eſt idem pater meus in curando ſanandoq; filio Recurtij, Gubernatoris Bohanenſis, puero ſexenni, q exceperat ictũ lapidis ab alto muro delapſi in caput, anno M.D.LXXX. vnde ad eum modum contuſum fractumque fuit os coronale, vt non ſatis fuerit id terebraſſe, ſed & opus habuerit ampliorem facere aperturam volſellis ſecãtibus

tibus, vt extrahi possent fragmenta quassati ossis. Quamuis autem fractura cranij multum descenderet versus frontem infra vulnus, tamen cum studiose præbuisset per hoc materiæ purulentæ exitum, vsus semper lotionibus & mundificatiuis consuetis, recte conualuit æger.

IV. *Historia.*

Cum mense Iulio anni M.D.LXXXI. Ludouicus Bulengerus Præses Electorum Lauduni, iter faciẽs in Ambianos, cannam ferream, nitrato puluere nimis plenam explodere vellet; rupta illa, validum ictum impegit capiti eius, quo cutis musculosa & pericranium contusum fuit, fractumque os parietale, perforata crassa meninge. Pater eius, Reginaldus Bulengerus, Quæstor Ducis Guisij, cum hoc resciuisset, exorauit patrem meum, vt confestim in Ambianos profectus, curaret filium suum ex vulnere decumbentem. Vbi pater meus venit in Ambianos, quod quarto demum die à læsione factum est, inuenit ægrum continua febre vexari, eaq; acuta, cum delirio magnaq; siti: vulneris constitutio erat praua, quãquam os iam terebratum fuisset per tres loci chirurgos, qui eius curam ab initio susceperant, præsente Doctore Medico. Animaduertit ergo crassam meningem ruptam fuisse, cum eam pertentasset specillo suo, vnde paruam turundam è spongia præparatam immisit, reclamantibus superioribus illis chirurgis, qui protestabantur de non tãgenda membrana, neq; immittenda vlla re, ne premeretur amplius, sed vt omnia permitterentur naturæ. Sequenti die, cum obligaret vulnus, obtulit se foramen ante crassam meningem, vnde prodibat multum materiæ purulentæ, quæ iam incipiebat corrumpere meningem illam: applicauit ergo mundificans factum ex succo betonicæ & melle rosato. Cum autem videret febrem cæteraque grauia symptomata non remittere, neq; vulnus accedere ad mundificationem, crassamq; insuper meningem ita comprimi, vt motum liberum non haberet, intellexit id omne ideo fieri, quod apertura ossis non satis late pateret, quodq; crassa meninx offensa contusaq; esset vltra apertionem cranij, necessariam ergo esse dilatationem, vt crassa meninx amplius detegeretur, ne forte corriperetur gangræna. Cui consilio chirurgi cæteri valide obnitebantur, dicentes, si amplior fieret apertura, fore, vt malum exacerbaretur, febrisq; euaderet violentior. Pater tamen ægri eiusq; propinquus Antonius Delouenius Legatus Ribemontis voluerunt, vt patris mei consilio locus daretur. Volsellis igitur secantibus palam fabricatis, cum extremitates ossis circa hiatum abscuisset, sufficienter dilatauit aperturã

cranij,extraxitq; per eam aliquot testulas confracti ossis, aliasq; res naturæ inimicas, quæ hactenus impediuerant curationem. Hinc factum est, vt cum crassa meninx non amplius comprimeretur, libero motu deinceps moueri posset,seq; à sordib.exonerare,adhibito vsitato mundifico,quod tunc rectè intus applicari poterat. Videns autem nihilominus febrem cum magna siti coniunctam non remittere, ægrum temperamento corporis esse calido, ætate iuuenem (vigesimum enim quintum annum agebat) vrinas eius esse biliosas & inflammatas, accedente dierum canicularium feruore;pro medicamento purgãte,quod iterum suadebant Medici, iussit cum satis longo tempore vti aqua oxalidis per alembicum vitreum distillatæ. Sic paulatim remittere cœpit febris, & cum ea cætera symptomata quotidie decreuerunt. Cum apud Ambianos adhuc per vnum mensem substitisset æger, rediit ad oppidum Guisium,estque in domo paterna perfectè à patre meo persanatus. Aliquo tempore post,cum iam vulnus plane coaluisset,iterum se aperuit, vt daret transitum osficulo,quod inhæserat adhuc; sed paulo post iterum ad cicatricem perductum fuit.

XV.

Cura vulnerum thoracis.

In vulneribus in interiora pectoris penetrantibus, vbi pulmones vel aliæ partes interiores læsæ sunt, orificium eorum cum studio apertum tenendum est, immissis turundis maioribus, donec læsio interior sanata sit,decumbente ægro in latus saucium,dandaq; est opera, vt statim *à principio sanguis in* capacitatem thoracis *illapsus*,educatur,deinde, vt euacuetur *purulenta & saniosa* materia, quæ magna copia intus generatur, factis *iniectionibus absterssiuis per syphones* siue fistulas, ad desiccandum, purgandum & *præseruandum* pectus à putrefactione. Mane atq; vesperi exhibeatur ægro potio *vulneraria*, præscribaturque bona ac conueniens viuendi ratio.

NOTÆ.

Dissidium Chirurgorũ in vulneribus thoracis.

In vulneribus penetrantibus]Non satis conuenit inter omnes chirurgos de cura vulnerum intra pectus penetrantium:quidam enim (vt bene obseruauit *Guido* & post eum *Vigo*) censent, quam primũ fieri potest, id consolidandum esse,nulla immissa turunda,quod metuendum sit,ne frigidus aër ad cor subintret, neue spiritus vitales exeant vel resoluãtur. Alij contra sentiunt,voluntq; vulnera illa aperta manere, quin &, si nõ satis pa-

satis pateant, sectione ampliora fieri, vt sanguis intus collectus euacuari possit, ne putrefiat, vnde febris, empyema, fistula, aliaque pernicioſa accidentia secutura essent. Hos ita dissidentes, vt ad concordiam reducamus, distinguendum est, nisi læsio aliqua facta sit partium contentarum, neque sanguis intro prolapsus, expedire, vt statim claudatur vulnus, nulla immissa turunda: si vero pars aliqua interior offensa sit, multumque sanguinis intus confluxerit, opus esse, vt plaga aperta teneatur. Non est igitur (vt vult *Paræus*) claudendum vulnus in capacitatem thoracis penetrans, ab initio, sed per biduum triduumue apertum tenendum, & si æger careat febre, nec multum doloris sentiat aut grauedinis in diaphragmate, si recta sit respiratio, nec expuat sanguinem, vno verbo si nulla adsint signa illapsi in concauum sanguinis, auferenda demum est turunda, & primo quoque tempore consolidandum vulnus, applicato balsamo quopiam agglutinante, & emplastro diachalciteos, vel simili aliquo. *Cœciliatio.*

Quod si æger vehementi affligatur febre, sentiatque grauedinem & extremum dolorem in latere saucio, sique vix respirare ac loqui possit, expuatque tussiendo (quæ omnia signa sunt prolapsi copiosi in concauitatem thoracis sanguinis, vnde oriantur hæc symptomata) orificium vulneris apertum teneatur oportet, immissis grandioribus turundis, donec sanies à sanguine illo orta penitus sit euacuata, & læsio interior percurata: quod hinc cognoscitur, si materia quæpiam prodeat oleo terebinthinæ similis, deinde omnino *nihil satis longo* tempore.

Debent autem affigi siue ligari turundæ illæ quæ immittuntur huiusmodi vulneribus, ad compressas linteas, & capite eminere, ne omnino prolabantur in concauum pectus: hoc enim si fieret, causarentur putrefactionem, ipsamque consequenter mortem. Magnam etiam adhibebit Chirurgus industriam, vt eliciat sanguinem in capacitatem thoracis prolapsum, materiamque purulentam & sanioſam intus generatam, ægro, quoties is obligandus est, eo situ collocato, vt caput & manus pendulas extra lectum porrigat, crura vero supra lectum eleuet, propendeatque toto corpore in aperturam vulneris: os atq; nares claudere debet, attracto spiritu, vt inflentur ac tumefiant pulmones, immissoque intra vulnus digito, ad dilatandum illud. Obseruandum etiam est, si à principio sanguis satis copioſe è vulnere profluat, chirur-

gum ea vice contentum esse posse: qui enim omnia simul ac semel euacuare velit, eadem opera etiam animam è corpore exturbabit. Verum quam primum sanguis suppuratus fuerit, apparente materia alba, quicquid poterit euacuandum erit, idq; bis quotidie.

Euacuata materia purulenta, in capacitate thoracis contenta, facienda est syphone iniectio in vulnus, ex aqua hordeacea, melle rosato & saccharo, coctis simul, vel è decoctione quadam agrimoniæ, cẽtaurij, absynthij, betonicæ, buiulæ, saniculæ, addito pauxillo dec. tanaceti facto ex hydromelite, vel aqua è dictis herbis distillante, quibus accedat mundificans è succo marrubij, betonicæ & agrimoniæ cum melle optimo: vel è potione vulneraria, addito syrupo de rosis siccis & melle rosato.

Potio vulneraria. Dum autem vtimur topicis hisce, non sunt negligenda remedia vniuersalia, nempe sectio venæ, purgatio, & bonus ordo vitæ. Inprimis necessaria est ægro vesperi & mane potio vulneraria. Hanc pater meus ab initio faciebat è radicibus & foliis symphyti, plantaginis longæ, buiulæ, saniculæ, aliarumque similium herbarum, bullientium in aqua fontana vel fluuiali, addito pauxillo aceti & sacchari rosati, quibus omnibus sub finem adiungebat bolum Armeniam, ad restringendam aliquo modo sanguinis effusionem in vulnere interiori, & ad extinguendam febrem, conseruandasque in bona temperatura partes offensas. Quam primum vulnus ad suppurationem accesserat, mutabat dictam potionem in aliam magis abstergentem & desiccantem, factam ex betonica, agrimonia, plantagine oblonga, buiula, & sanicula coctis in aqua, addito pauxillo vini & mellis. Aliquando iungebat superioribus parum salsaparillæ, ad fortius exsiccandum.

In ratione victus vtetur æger frequenter hordeo mundato, lacte ex amygdalis expresso, prunis vuisque Damascenis, aliisque rebus conuenientibus pectori. Quidam prohibent ab initio vsum ciborum adstringentium, ne difficilior reddatur respiratio, & sanguis vlterius coaguletur. Hoc non obstante ad agglutinandum & cicatrisandum vulnus pulmonum, exhibent *Parœus* & *Guido* ægro alimenta & medicamenta emplastica, austera & adstringentia, qualia sunt terra sigillata, bolus Armenia, hypocystis, balaustia, plantago, berberis; sumach, acacia, & his similia, exhibita in iure, vel electuario, addentes mel rosatum, vt seruiat pro vehiculo, iuuetque detersionem

nem & emundationem vulneris. Lac vaccinum, vel caprinum, vel asininum hoc in affectu commendatur, addito melle, ne coaguletur in ventriculo: quibus tamen omnibus præstantius est lac muliebre. Postremo non est tradendum obliuioni, ægro subinde in vulnus esse decumbendum. Vt autem ostendamus praxin præceptorum, quæ iam proposita à nobis sunt ad recte curandum vulnera thoracis: non erit abs re, tria vel quatuor adscribere exempla singularium curationum, quas patrem meum feliciter olim perficientem vidi.

Exempla curæ in vulneribus pectoris. 1.

Anno Salutis M.D.LXXI. opifex quidam in loco Vadecurto iuxta oppidum Guisium, ætatis anno trigesimo, cultro ictus fuit periculose, tribus transuersis digitis infra mamillam, penetrante vulnere in capacitatem pectoris. Vocatus pater meus ad curam saucij, primo statim die inuenit eum correptum febri continua admodum vehementi, difficulter anhelantem, non sine vomitu crebro & debilitate cordis: cumque vulnus digito perscrutatus fuisset, sensit pulmones vulneratos. Cum igitur eum ita collocasset, vt in vulnus propenderet, eiecit is duas prope scutulas plenas concreti sanguinis, sed & amplius prodiuisset, nisi is orificium magna turunda obstipasset, ob nimiam resolutionem spirituum.

Mox præscripsit eidem conuenientem viuendi rationem cum potione vulneraria præparata è symphyto, lanceola, buiula & sanicula decoctis in aqua & pauxillo aceti rosacei, saccari, & boli Armenæ subtilioris, quam sumebat mane & vesperi, ad sistendum nonnihil sanguinem profluentem à læsione pulmonum, extinguendam febrem & auertenda symptomata. Reuersus postridie reperit eundem cum acri febre colluctantem & inquietudine, apertoque vulnere, rursum tantum eduxit, putridi sanguinis, quantum superiore die, fecit igitur iectionem de potione sua vulneraria in pectus, quæ simulac vbi exiuit, rursus obfirmauit vulnus turunda, applicato insuper puluillo è stuppa cannabina immersa oxycrato: deinde obligauit id ex disciplina. Hac ratione vsus est continuo & quotidie per totum decendium, donec se putridus sanguis mutauit in materiam albicantem, instar lactis, non sine fætore. Ibi cœpit eum quotidie bis obligare, semperque tantum euacuare materiæ, quantum se offerebat ad exitum (quod antea factum non fuerat) syphonibusque inijcere decoctum agrimoniæ, betonicæ, absynthij, marrubij, centaurij, tanaceti, plantaginis, buiulæ & saniculę,

addito ad aquam melle. Vtque mutaret potionem vulnerariam in abstergentem magisq; exsiccantem, faciebat hāc ex betonica, agrimonia, plantagine longa, buiula & sanicula, decoctis in hydromelite addito pauxillo vini albi. Hoc modo perrexit in cura, non occluso vulnere exteriore, donec interior læsio persanata fuisset: quod factum fuisse tunc patuit, cum per tēpus aliquod prodijt inde materia glutinosa, instar olei terebinthinæ, deinde nihil omnino amplius. Anno Salutis M.D.LXXII. rusticus quidam è pago Orignio, cui nomen fuit Iohanni Purrerio, natus XXVIII. annos, sica ab aliquo percussus fuit in dorsum, vnius digiti transuersi latitudine infra Omoplaten. Hunc pater meus, qui tertio demum die ad eum vocatus, curam hominis susceperat, inuenit magna affectum febre & inquietudine, eijcientem sanguinem per os & per vulnus, quod vbi digito perscrutatus est, deprehendit vulneratum pulmonem, eduxitq; continuo multum sanguinis concreti & putrefacti. Satis igitur magnam turundam cum vulneri immisisset, vt id apertum retineret, imposuit ei vsitatum puluillum: exhibuitque potionem vulnerariam, qua ipse solebat vti in huiusmodi vulneribus, præscripta etiam conueniente victus ratione. Hanc curam ita produxit ad decimum vsque diem, donec ostenderet se materia albicans fœdi odoris. Ibi eum quotidie bis obligabat, vtque purulentam materiam penitus euacuaret, abluebat vulnus supradicta iniectione detersiua, mutata insuper potione vulneraria in aliam magis desiccantem & abstergentem. Sicque perrexit vsque dum plane ac perfecte curatus fuit, quod intra sextam factum est septimanam.

II. *Exemplum.*

III. *Exemplum curationis vulneris in pectore.*

Nouembri mense anni à Christo nato M. D. I. XXIII. curauit idem pater meus operarium quendam in Monticulo ad Oesam fluuium, nomine Isambertum, virum quadraginta annorum, qui cultro in pectus fuerat ictus, transfixo etiam pulmone. Primo, cum vulnus deduxisset instrumento, quod rostrum gruis vulgo vocatur, multum inde eduxit sanguinis putridi & concreti, neq; tamen omnem. Immissa igitur in vulnus turunda satis magna, impositoque puluillo cannabino, obligauit, id ex disciplina, præscripta ratione viuendi cum potione vulneraria, quam ab initio sauciis exhibere solebat, nec mutauit hanc curæ rationem vsque ad vndecimum diem, quo vidit materiam mutari. Ibi cœpit eum quotidie bis obligare, protusque euacuare materiam, iniecto per syphonem liquore abstergente, substitutaque pro priore,

priore, ſecunda potione vulneraria vſque ad finem curationis, quæ tamen ante quartũ mensẽ perfici haud potuit. An. Salutis M.D.LXXVI. IV.
Ciuis quidam Auteuillanus, nomine Iacobus Valleſius, trigeſimum a- *Hiſtoria.*
gens annum, percuſſus fuit cultro in pectus, penetrante ictu in ipſum pulmonem. Quarto ab accepto vulnere die vocatus ad eũ pater meus, in S. Quintini oppidũ inuenit eum magna affectũ febri, inquietudine, anguſtia ſpiritus, imbecillitate cordis, non ſine vomitu, quia multum ſanguinis deſcenderat ſuper diaphragma, impediebatq; reſpirationem, compreſſis non tantum partibus vitalibus, verum etiam ventriculo. Aperto rurſum vulnere, quod iam conniuebat, partim digito partim roſtro gruis, multum exiuit concreti & iam putridi ſanguinis, vnde non parum leuamenti ſenſit æger. Videns deinde pater meus, oſtium vulneris anguſtius eſſe, quam vt tantæ materiæ exitum præbere poſſet, fecit illud amplius inciſione, immiſitq; turundam ſatis magnam, præſcriptaque ægro quæ conuenire videbatur, victus ratione, cum priore potione vulneraria, continuauit hanc curam vſque ad vndecimum diem, quo materia mutata apparuit. Inde mutata de more vulneraria potione in abſtergentem, euacuauit omnem materiam quotidie bis, facta iniectione detergente & deſiccante vulnus, idque tam diu fecit donec vulnus interius poſt excretam materiam glutinoſam & oleoſam, nihil amplius eijceret, ſed ſiccum maneret. Ibi demum paſſus eſt coaleſcere labia vulneris exterioris, minuens in ſingulos dies turundam, fueruntque quatuor menſes inſumpti in illam tanti vulneris curam, cum duabus ſeptimanis.

XVI.

Si in vulneribus penetrantibus in capacitatem ventris, pro- *Cura vulnerum inferioris ventris.*
deat inteſtinum aliquod foras, quod vulneratum ſit, decenter id conſuendum eſt atque paulatim in ſuum locum remittendum. Omentum quoque ſi exeat, remitti debet quam primum fieri poteſt, antequã putredinem aliquam contrahat. Quod ſi iam pars quædam putrefacta ſit, extirpanda illa eſt, & id quod ſanum eſt, in ſuum remittendum locum, conſuendumque poſt vulnus exterius, ſi magnum ſit. At vero ſi epar, lien, renes, aliæue partes in inferiore ventre contentæ ſauciatæ ſint, recte vtetur patiens potione vulneraria, factis iniectionibus per introitum vulneris. Vulneratæ vero veſicæ vel matrici proderunt

derunt iniectiones per proprios earum partium ductus. Vtile quoque erit, sæpe exhibere clysteres, quibus adiuncta sint medicamenta vulneraria, inprimis parti affectæ destinata, vt non tantum purgent intestina, sed & ipsam vulneris curam per hæc media adiuuent.

NOTÆ.

Si in vulneribus penetrantibus] In cura vulnerum ventris id primo considerandum est, an ea penetrent in capacitatem an non, quæ non transeunt in concauum, nec vltra peritonæum, tractantur vt vulnera simplicia, quæ tantum vnione opus habent: quæ vero penetrant in ipsam ventris capacitatem, aliam curam requirunt: fit enim sæpe, vt intestina, vel omentum, vel vtrumque simul exeat per vulnus, aliquando etiam hæc ipsa saucia sunt, vel alia quæpiam pars in ventre inferiore contenta. Si intestinum aliquod vulneratum est, id primum omnium consuendum est sutura qualis est pellionum, punctura densiore, mox inspergendus puluis de mastiche, myrrha, aloë, & bolo: deinde remittendum est paulatim interius, non autem semel ac vno velut impetu, decumbente ægro in latus vulneri aduersum, vt si id sit in parte sinistra, ipse decumbat in dextram, & vice versa. Quod si vulnus sit in partibus inferioribus, ita collocandus est, vt altius attollantur nates quam caput: si vero in superioribus, contraria situs ratio obseruari debet, vt relabentibus intestinis locus detur ei, quod remittendum est. Intumescunt vero etiam aliquando intestina, propter ventositates, quæ in illis continentur, & quia ab ambiente aëre refrigerantur inflanturque, vnde difficillime remitti introrsum possunt. Tunc fomentatione vtatur Chirurgus necesse est, è *decoctione carminante* & resoluente, veluti de floribus chamæmeli, meliloti, anethi, & his seminibus, anisi, fæniculi, cumini: aut imponenda est turgido intestino vesica porcina, semiplena ea decoctione, vel volatile quodpiam viuum per medium dissectum, aut paruus catellus recte accommodatus. Quod si orificium vulneris nimis angustum sit, vt per id intromitti prolapsa intestina non possint, vtile erit, vt id dilatetur, & transitus fiat amplior.

Omenti natura putrefactioni obnoxia.

Si omentum exiuerit, remittatur quamprimum fieri poterit, quia facile putrescere potest, quod sit substantiæ pinguis, pinguedo autem frigidiori aëri exposita, consistat & velut congeletur, extincto calore naturali, vnde statim contrahit putredinem, velut eleganter obseruauit

uit *Hippocrates aphorismo* LXVIII. *libr.* VI. vbi ait: Si epiploon foras prodeat, putrescet. Cognoscet hoc Chirurgus, si id deprehendat liuidum, nigrescens, & tactu frigidum. Si ad hunc modum putredine correptum fuerit, tunc non remittet, donec pars eius corrupta residuum quoque infecerit: sed filo intorto ligabit supra putredinem, & extirpabit id quod est corruptum, redigetque residuum, quod adhuc sanum est, in proprium suum locum. Remissis ad hunc modum intestino & omento, si vulnus grande sit, consuendum est ea sutura, quam Gastroraphiam vocari supra diximus, relicto paruo orificio in parte decliuiore, ad præbendum saniei exitum. Huius futuræ, quæ Chirurgo nota esse debet, beneficio fit consolidatio peritonæi cum parte carnosa, neque sequetur inconueniens aliquod, quale est, quod peritonæum cum exsangue sit, denuo coniungi non possit nisi beneficio carnis: nisi autem rursus coniungatur, remanebit post consilidatum vulnus tumor aliquis, qui vel difficulter vel omnino non curari potest. Facta superiore sutura, tractetur vulnus & consolidetur, vt disciplina Chirurgica postulat.

Quod ad vulnera in substantiam epatis, lienis, renum aliarumque partium in corpore contentarum attinet, tentanda est cura eorum per potionem vulnerariam, iniectiones, & alia remedia conuenientia, cuius rei memorabilem historiam recitabo.

Cura admirabilis vulneris in substantia epatis.

Anno salutis M. D. LXXVIII. Agricola quidam è pago *Villerio* haud longe ab oppido Guisio, annum agens XXXII. *ictus fuit* sica sub diaphragmate in dextrum hypochondrium, penetrãte vulnere in substantiam epatis, vnde ingens secuta fuit hæmorrhagia. Vocatus pater meus vt ipsum curaret, immisit vulneri turundam illitam suppuratiuo, quo vti solebat, circumposito linimento ex oleo rosaceo. Huic rursus imposuit obturamentum madefactum in decoctione de symphyto, plantagine, rosis, balaustijs, ad mitigandum dolorem, auferendum calorem, corroborandamque partem affectam. Præscripsit insuper ei potionem vulnerariam, è symphyto, *sanicula*, *buiula*, & plantagine longa, coctis simul in aqua, addito pauxillo aceti, sacchari, & boli Armeniæ. Hanc eandem potionem etiam vulneri iniecit, perrexitque ita, donec materia suppurata fuerit. Decimo quinto die post, cum iam vulnus mundari velle videretur, tantum sanguinis effudit æger per secessum, vt duabus tribusue vicibus prope integram cruoris mensuram excre-

uerit: attamen cum constanter vteretur potione sua restrictiua, quarto die fluxus ille sanguineus constitit, fuitque postea vulnus eius curatum iniectionibus & vnguento proprio ad emundandum & incarnandum.

Sed ecce, decem diebus post accidit ei rursum par dysenteria hepatica, vnde non minus sanguinis aliquot secessibus reiecit, qui tamen fluor itidem, vt prior ille, subsistit, beneficio potionis vulnerariæ. Duodecimo post hanc euacuationem die, rursus tantam sanguinis copiam excreuit, vt æger in syncopem lapsus, pro mortuo habitus fuerit, nec quisquam eo die vulnus eius attigerit. Summo mane vero, cum se collegisset aliquantũ, obligatus fuit de more, & ab eo tẽpore paulatim confortari cæpit & habere melius. Postremo, miraculose curatus fuit præter omnem hominum expectationem.

Obseruatio pro Chirurgis.

Hinc apparet, medicũ à vulneribus penetrantibus in substantiam epatis, lienis, aliarumq; partium in ventre contentarum, velut à desperatis manum abstinere non debere, sed potius officium suum pro viribus facere, etsi spem certam sanationis non habeant. Melior enim est spes dubia (inquit *Celsus*) quam certa desperatio.

Obseruatio alia in vulneribus ventris.

Cum autem omnium partium corporis venter maxime sit obnoxius putredini, propter excrementa in eo contenta, si qua læsio intra illum contigerit, studiose danda est opera, vt semper conseruetur purus. Id vt obtineri queat, recurrendũ est ad cathartica benigna, quibus inest virtus leniter purgandi primam regionem corporis: inprimis autem ad clysteres, quibus adiungi poterunt medicamenta inseruientia vulneri eiusque accidentibus, ipsique adeo parti læsæ, siue iuuet abstergere, siue consolidare, siue refrigerare, siue corroborare, siue ad alium aliquem scopum collineemus, obtinendæ sanationis gratia.

At nunc quidem absoluta parte Therapeutica vulnerum, restat, vt ad curam vlcerum nos conuertamus.

XVII.

Scopus curæ vlcerũ.

In cura vlcerum ratio habenda est eorum essentiæ, materiæ prodeuntis, & temperamenti ac situs partis vlceratæ: aliter enim curandum est vlcus simplex, aliter compositum: præterea magnitudine vel paruitate vlceris apparanda sunt remedia: quoque id est humidius sordidiusque, cò maior vis exsiccandi & abstergendi debet inesse medicamentis. Idem quoq; intelligendũ est de temperamento partis affectæ sicco vel hu-

humido. Sic partes internæ, aut quibus exquisitus ineſt ſenſus, non perpetiuntur medicamenta tam fortia, quam externæ minuſq; ſenſibiles.

NOTÆ.

In cura vlcerum] Ad recte percurandũ vlcus tria ſunt conſideranda: eius eſſentia, materia quæ ejicitur, & temperamentum atque ſitus partis vlceratæ, quia ab vnaquaq; harum rerum ſingularis trahitur indicatio, vnde magna diuerſitas curæ oritur. Nam (vt ait *Galenus cap. v. lib. IV. Methodi*) cura vlceris, quod complicatum eſt cum alia quapiam affectione, non eſt eadem cum cura vlceris ſimplicis. cũ implicata illa affectio prius curanda ſit, deinde vlcus. Adde quod in vlcere compoſito plures ſunt indicationes, in ſimplici vero tãtum vna indicatio curatiua, quæ conſiſtit in mediocri deſiccatione indicata per humiditatem. Nihilominus tamen colligit hoc facile pũs, qua de cauſa mundificari prius debet, quã ſiccari & ad cicatricem perduci: ſic omne vlcus per ſe opus habet deſiccatione, & per accidens abſterſione: illa opponitur ſuperfluitati ſubtili, hæc craſſæ: hæc duo enim excrementorum genera fere comitantur vnumquodq; vlcus. Verũ in vlcere compoſito alia inſuper conſideranda veniunt. Hæc nimirum eſt cauſa, quod *Galenus cap. I. lib. IV. Methodi* monet, magnam adhibendam diligentiam in diſtinguendis ſimplicibus morbis à compoſitis, quod malum ſimplex non egent niſi ſimplici curatione, quæ malo compoſito minime ſufficiat: Sed & Hippocrates præcipit, vt in magnis morbis remedijs vtamur fortioribus, *in paruis vero* leuioribus, vnde eſt obſeruãda proportio *remediorum ad quantitatem* vlcerum. Sic *Galenus lib. IV. Methodi, cap. X.* euincit, quanto humidius ſordidiuſq; ſit vlcus, tanto magis ſiccare & abſtergere debere medicamentum: vlcus enim poſcit res contrarias, ſicut natura partis quærit res ſibi ſimiles. Hæc videlicet eſt cauſa, vt quo humidius eſt temperamentum partis, tanto minus debet exſiccare medicamentum, quod pars illa deſiderat. Monet idem quoq; *cap. VII. lib. IV. Methodi*, partes internas, & quæ acri ſenſu præditæ ſunt, non poſſe ſuſtinere medicamenta tam fortia, quam externæ minuſq; ſenſibiles. Habebit præterea Medicus rationem proprietatis quæ ineſt medicamento, propter vlcera interna, ad quæ eligere debet Medicamenta quæ ſunt familiaria naturæ languentis, nec quicquam detrimenti inferunt viſceribus, euitatis omnibus contrarijs, vt Galenus docet multis verbis libro quarto Methodi.

Superior Theſis approbatur authoritate Hippocratis & Galeni.

XVIII.

Cura vlceris simplicis.

Ad curandum vlcus simplex, quod nulli alij vitio implicitum est quam cauitati ab erosione prouenienti, præterquam quod requiritur, vt diuisa vnitas denuo coëat iungaturque aliisque medijs, necesse etiam est, vt cauitas repleatur carne generata è bono sanguine in quantitate & qualitate, per substantiam temperatam partis subiectæ, conseruatam in sua natura beneficio conuenientis rationis viuendi: hinc curandum est, vt exsiccetur liquidius excrementum, quod à Græcis ἰχὼρ dicitur, à nobis sanies, vnde vlcus redditur humidum: deinde vt abstergatur excrementum crassius, Græce ῥύπος, quod nos sordes appellamus quia faciat sordere vlcus, medicamentis incarnantibus, quæ siccant abstergentque moderate, prout natura partis vlceratæ requirit. Postremo vt vlcus iam plenum ad cicatricem perducatur medicamentis epuloticis, quæ claudunt, adstringunt desiccantque carnem sine acrimonia, eamque similem reddunt cuti.

NOTÆ.

Ad curandum vlcus simplex] Cum vlcus sit solutio continui facta per erosionem, necessario ei insunt duo vitia: diuisio vnitatis, & cauitas, cum erosio sine cauitate esse non possit, teste *Galeno* & experientia. Duæ igitur intentiones proponuntur Chirurgo, volenti rite atque ordine curare vlcus ἀπεξόχην: prior est repletio cauitatis, altera est *consolidatio diuisæ vnitatis*. Vtramque operatur perficitque substantia subiectorum *corporum*, *vsa pro materia* sanguine bono & laudabili tam in quantitate quam qualitate. *Si igitur* substantia totius corporis & partis vlceratæ temperata *sit*, *conseruanda* erit illa temperies aëre, cibo, potu, somno, vigilijs, omnibus *mediocribus* & temperatis, nec non euacuatione excrementorum, & quiete partis affectæ, vitatis grauioribus animi passionibus. Magnam igitur adhibebit Medicus diligẽtiam, vt bonam partis dispositionem conseruet per res similes, & si forte illa deperdita sit, reparanda erit per contrarias, tam bona victus ratione quam medicamentis. Si sanguis sit laudabilis, conseruatur per eadem media: si deficiat, augetur per alimenta boni succi copiose sumpta. Si sanguis abundet nimium, minuitur per phlebotomiam, si peccat qualitate, corrigitur qualitate contraria. Si humores superflui sint in massa sanguinis, euacuandi erunt per conuenientem purgationem.

Interea

Interea autem (inquit *Galenus cap. III. libri III. Method.*) dum natura replet cauitatem carne, quam creat ex ſanguine, diffundens illum, coniungens, glutinans, aſſimilans, id eſt, excoquens, neceſſario duplex generatur excrementum; vnum liquidius humidiuſque quod ἰχὼρ appellatur, alterum craſſius, quod ῥύπος dicitur: illud reddit vlcus humidum hoc facit ſordidum. Tam hoc quam illud (cum vtrumque aduerſetur naturæ) impedit actionem eius, vnde auferendum eſt per contrarium eius. Oportet igitur exſiccare humiditatem, & emundare ſordiciem. Vtrumque commode fieri poteſt per medicamenta ſarcotica, quæ purgant mediocriter atque ſiccant in primo gradu, ita vt non nimis calefaciant, extenduntur tamen ad maiorem humiditatem & ſiccitatem, calorem atque frigus. Thus enim & farina hordeacea cum fabacea exſiccant mundantque minus; reſina vero, terebinthina, pix abiegna, mel deſpumatum, vel roſaceum, pompholyx, maiorum in ea operatione ſunt virium; fortiora etiam his ſunt, farina erui, ariſtolochia, iris, myrrha, opopanax, & his ſimilia, in quorum omnium vſu prudens Medicus rationem habebit naturalium virium totius corporis, & partis vlceratæ, huius ſitus, formationis atq; virtutis.

Porro ſi iam vlcus repletum ſit, obducendum eſt cicatrice, quæ aliud eſt nihil, quam caro calloſa inducta loco pellis, quę nō minus quam ipſa caro eſt opus naturæ, adiutæ à Medico, quæ vlceri iam carne pleno applicat medicamenta epulotica, quæ exſiccant carnem ſine acrimonia, quæ claudunt reſtringuntque. Huius generis ſunt *aloe, plumbum* vſtum, galla immatura, cortices granati, *anethum vſtum*, cucurbita ſiccata & vſta, ſanguis draconis, lithargyron, pompholyx, ęs vſtum, flos ſiue ſquama æris, cadmia vino lota, & his ſimilia, de quibus copioſe agit Galenus libro IV. de compoſitione medicamentorum in genere. His dum vtimur, captamus ſimul indicia à natura partis, quę quo magis ſicca eſt, tanto ſicciora deſiderat medicamenta.

XIX.

Quando vulcus eſt compoſitum cum affectione quadam contra naturam quæ curam illius impedit, annitendum eſt, vt hæc auferatur antequam ad ipſius vlceris curam deueniatur. Hinc apparet, ſi cauſa efficiens vlceris ſit præſens, ab hac incipiendam eſſe curationem, ſiue ea pro-

De cura vlcerum compoſitorum.

proueniat à vitio totius corporis, siue ab aliquo membro principali, vel à parte affecta. Quapropter si corpus sit plethoricum, quamprimum mittendus erit sanguis: si sit cacochymum, erit purgandum: quod si cerebrum, epar, lien, aut aliud membrum princeps mala laboret dispositione, ideoque gignat copiam vitiosorum humorum, qui ad vlcus affluunt illudque reddunt dysepuloticum, afferendum ante omnia remedium est vitio partis mandantis, antequam curare incipiamus partem recipientem. Ad impediendum autem descensum humorum, vtile erit, totum circuitum munire repercussiuis. Si vero in ipsa parte generentur vitiosi humores, qui faciunt vlcus cacoethes, qualitate quadam sua manifeste maligna, oppugnanda hæc est per contrariam. Hoc si medicamento obtineri non possit, ferro aut igne extirpandum erit malum. Præterea si morbus aliquis coniunctus sit vlceri, qui id acerbius reddit, inflammationem, puto, varices, vel tale quippiam, is morbus primo tollendus est, cum sit in causa, ne vlcus curam recipere possit. Idem faciendum est, si id comitetur graue aliquod symptoma, laborandum erit vt id primo mitigaretur, tanquam malum magis vrgens. Sic quoque necessarium est, vt nimiæ sordes abstergantur, humiditas abundans desiccetur, caries ossis cauterio auferatur, excrescentiæ carnis consumantur, callosæ margines labiorum vlceris abscindantur priusquam ipsa cura tentetur.

NOTÆ.

Intentiones Galeni tres.

Quando vlcus est compositum] *Galenus cap. XII. libri VI. Method.* monet Medicum, vt in cura morbi complicati tria præcipue capita sibi proposita sciat: causam, ordinem, & vrgens. Causa, vult ante omnia auferri, cum hæc morbum producat. Ordo exigit vt dispositio impediens curam, è medio tollatur primo, estque causa (vt loquimur) sine qua non. Vrgens requirit, vt primum illis malis afferatur remedium, à quibus plus periculi formidandum est. Methodicus igitur Chirurgus, secutus monita *Galeni*, curaturus vlcus complicatum, primo considerabit, an causa vlceris cum eo coniuncta sit, vt ea primo auferatur, deinde tentetur cura vlceris. Secundo, an ibi morbus quispiam concurrat, implicatus vlceri, quo non remoto, ipsum vlcus sanari non possit, vt ab illo potius incipiatur cura quam ab hoc prospiciet. Tertio, si periculosum aliquod symptoma adsit, vt huic quam primum obuietur, omissa etiam propria vlceris cura, donec illi satisfactum sit, se-

sit, serio animaduertet. *Guido de Gauliaco* quatuor proponit intentiones vlcus complicatum Methodicè carere volenti: prima est, vt præscribatur conueniens viuendi ratio: secunda, vt diuertatur & retineatur causa antecedens: tertia; vt auferantur malæ dispositiones & accidentia vlcus comitantia: quarta, vt incarnetur & cicatricetur velut vlcus simplex. *Quatuor Guidonis intentiones.*

Primo igitur ratio victus præscribenda est tenuis vel abundans, pro viribus languentis & qualitate humorum. In considerandaqualitate ciborum ratio habenda est temperamenti & humorum, qui prædominantur in corpore, & ad partem confluunt: vt, si illi sint calidi & acres, exhibenda erunt alimenta frigida, vt corrigatur calor & obtundatur acrimonia. I.

Causa antecedens diuertetur aut sistetur euacuando & retrahendo humores peccantes, tam in quantitate quam in qualitate, siue ij abundent in corpore, siue ad partem affectam affluant; quod fit missione sanguinis, purgatione, cauteriis, ligaturis, frictionibus, fomentationibus factis in parte opposita, & repellendo materiam retro, vlcus per repercutientia. II.

Tertiæ considerationi variis modis satisfacimus, pro vt natura cuiusque dispositionis & symptomatis complicati cum vlcere exigit. Si igitur intemperies aliqua coniuncta sit vlceri, auferenda statim est per contrariam, puta, calor per res frigidas, quale est vnguentum Rhasis, cerusatum, aqua & succus plantaginis, rosarum, solani, sedi. *Intemperies frigida* corrigitur fotu vini calidi, in quo *bullierint* absynthium, mentha, hyssopus, pulegium, calamintha, rosmarinus, stœchas & similes herbæ. Facit & huc vnguentum de althæa & basilicum. Humidis opponuntur vnguenta desiccantia, quale est rubrum & diapompholygos; siccis fotus aquæ calidæ, suadente *Galeno in quarto Methodi.* III.

Si adsit dolor, mitigetur per anodyna.

Si Phlegmone, Erysipelas vel alius tumor complicatus vlceri, curandus erit per remedia vniuersalia & conuenientia, veluti nos suo loco ostendimus.

Si superfluitas carnis, quam Græci vocant Hypersarcosin, in vlcere creuerit, auferatur nouacula vel cauterio, vel medicamento corrosiuo, quale est alumen vstum, puluis de mercurio, ærugo, chalcanthum vstum, vnguentum Apostolorum & Ægyptiacum, aqua fortis.

Si la-

Si labia vlceris calloſa ſint atque dura, ſuadet *Galenus* illa abſcindere vſq; ad partem ſanam: & ſi partibus vicinis vlceri prauus inſideat color, conſulunt Auicenna & Hippocrates, vt ſcarificentur, iiſq; cucurbitulæ imponantur.

Quod ſi varices adſint in femoribus aut tibiis, qui morantur vlcus, tentanda eſt eorum cura per remedia vniuerſalia & topica adſtringentia, adhibitis conuenientibus faſciarum obligationibus: quod ſi his remediis cedere nolint, mandant *Hippocrates*, *Paulus & Aëtius*, vt abſcindantur. Primo igitur fit inciſio in cute ſuper corpus venæ, deinde aperitur varix, & extrahitur ſufficiens quantitas ſanguinis; hinc ligatur tam ſupra quam infra filo ſerico duplice, & abſcinditur, vtraque eius extremitate ſe retrahente atq; occultante.

Et os curioſum in vlcere auferendum eſt. Hoc vt fiat neceſſe eſt, vt detegatur os corruptum, nudetur ab omnibus partibus: deinde vt vratur candente ferro, ſemel atque iterum applicato, vbi id nigrum eſt, aſperum & carioſum: vel vt radatur impreſſa ſatis profunde radula donec ſanguis profluat, & os appareat album ſolidumque. Si vero caries altius penetrauerit, perforandum erit os pluribus foraminibus, quæ tantum, quantum ipſum malum, penetrent: deinde immittendum ferrum candens, donec os totum ſiccum euadat: hoc enim facto quicquid corruptum eſt, ſeparabitur ab oſſe inferiore, replebiturque cauitas carne, parumque aut nihil humiditatis eo affluet. Tam diu enim exſiccandus eſt locus, donec pars oſſis corrupta ſeparetur. Præſtabunt hoc optime medicamenta *cephalica*, de quibus egimus in cura vulnerum capitis. Aufertur & quandoq; caries oſſis immiſſo feruente oleo, vel aqua forti ſiue corroſiua, aut alio cauterio potentiali. Os vero quod omnino corruptum eſt, neceſſe eſt vt totum abſcindatur.

Anno ſalutis M.D.XCIII. cum Muſicus quidam in vrbe Remorum grandi inflammatione correptus fuiſſet, ſuperuenit ei vlcus in ſiniſtri cruris parte interiore, quatuor tranſuerſos digitos ſupra malleolum. Cum tempus fere menſtruum effluxiſſet, tam propter cacochymiam totius corporis, quam malam affectæ partis diſpoſitionem, repente noua accidit affluxio humoris, tanta quidem & tam maligna, vt extincto naturali membri calore, ſubito id gangræna inuaſerit, quæ tamen ſublata fuit. Sed ab eo tempore cœpit continuo exire per vlcus inter muſculos & perioſtium ſanies fœtida, magna quidem copia. Vnde communicato

nicato consilio cum Antonio Piscatore, Iohanne Testeleto & Iohanne Iuberto Chirurgis in Remorum vrbe iuratis, visum est mihi atque illis, incisionem facere vsque ad os, recta per longitudinem tibiæ ad quinque vel sex digitos. hoc facto, cum os nudauissemus, inuenimus id nigrum, scabrum totumq; carioſum.

Intellecta mali grauitate constituimus id terebrando perforare vsque ad medullam, idemque facere pluribus in locis minoribus terebellis, deinde bis terue applicare cauterium actuale, impositis pulueribus catagmaticis, factis ex radicibus iridis Florentinæ, aristolochia, mastiche, myrrha, farina hordeacea, & his similibus: postea visum est consumere & desiccare humiditatem superfluam ossis carioſi, & adiuuare naturam hoc pacto in separando & exfoliando, vtque posset sanam ossi superinducere carnem, & id quod corruptum fuerat, expellere. Aliquãto tempore post, cum animaduerterem totum os detrimentoſum, aliquo modo eleuatum, & prope ab omnibus partibus separatum esse, extraximus id omnino foras beneficio instrumenti eleuatorij. Ex eo tempore vidimus, quo pacto cœperit caro generari in modum granorum mali Punici, in ipsa cauitate loco medullæ, super osse inferius sano, eleuata à natura & foras propulsa parte ossis superiore corrupta, ad longitudinem vnius palmi, & latitudinem duorum pollicum. Ablata hunc in modum omnino carie, restabat, vt consolidaretur tam grande vlcus: quanquam non sit dissimulandum, remansisse particulam eius, quæ inducta cicatrice claudi consolidariq; non potuit.

Vides, Lector, primo omnium curandos esse morbus & symptomata complicata cum vlcere, deinde ad propriam huius curam accedendum, quæ in eo consistit, vt repleatur cauitas carne, deinde cicatricetur, velut à nobis dictum est in cura vlcerum simplicium.

* *
*

N. ABRAHAMI FRAMBESARII CANONVM ET CONSVLTATIONUM Medicinalium LIBER NONVS.

Complectens Methodum curandi Fracturas ossium & Luxationes.

REGVLA I.

Quid sit fractura.

FRACTVRA est solutio continui, facta in osse, ab aliqua causa externa, quassante, comminente & conterente, Græci vocant κάταγμα. Estque fractura vel simplex, vel complicata cum alia aliqua dispositione contra naturam.

NOTÆ.

Transitus ad morbos ossium.

Fractura est solutio continui.] Hactenus de morbis partium corporis mollium diximus, qui auxilio manus indigent; restat vt etiam illos persequamur, qui ossibus superuenire solent. *Si igitur ossa violenti aliquid perpetiuntur,* vel rumpuntur, vel mouentur à loco suo: tunc duplex ægritudo ossibus accidit: Fractura & Luxatio.

In definitione fracturæ genus posuimus *solutionem continui*: addidimus *factam in osse*, ad differentiam tumorum, vulnerum & vlcerum, quæ carnosis accidunt partibus. *ab aliqua causa externa quassante, comminuente & conterente,* id est, prouenientem, à contusione, lapsu è sublimi, ictu, vel allisione ad corpus durum & graue ad differentiam Luxationis, quæ fit à relaxatione interna, vel tensione externa.

Differentia fracturarū.

Simplex vel complicata] Principalis fracturarum differentia sumitur ab

tur ab earum essentia, vnde appellatur simplex vel complicata: huc enim omnes diuisiones reduci possunt. Galenus secutus sententiam Hippocratis & ipse duas tantum fracturarum facit differentias à forma petitas. Prior est, quando os transuersim frangitur, posterius, quando in longum finditur instar baculi.

Cum autem ossa diuersimode rumpantur, Græci fracturis illis diuersa imposuerunt nomina, quorum tamen Galenus rationem non habet. vocant ergo ῥαφανηδὸν, fracturam in raphano, vel καυληδὸν, in caule, vel σικυηδὸν, in cucumere, quando os est simpliciter ruptum per transuersum, nec in festucas aut testulas fissum. Et σχιδακηδὸν quasi asseris modo, cum os in longitudinem tantum finditur: & ἀλφιτηδὸν, ad similitudinem pollinis in farina, καρυηδὸν, in nuce, cum os comminutum est in plures exiguas particulas, magnitudine grani triticei vel siliginei, crasse moliti, vel nucis contusæ malleo super incudem. Quando pars percussa non defracta est, sed ex opposito contrariis aduersisue diuisa fissuris, tunc à Græcis dicitur ἀπόχημα; eiusmodi autem fissuras fieri statuunt *Hippocrates, Celsus*, & *Soranus*. Ab horum opinione discedit *Aegineta*, sed recentiores illis adhærent, adducentes in testimonium experientiam.

Ponit *Albucasis* cum recentioribus etiam alias differentias fracturarum, à locis in quibus contigerunt, petitas, veluti fractura clauicularum, costarum, brachiorum, crurum, aliarumq; partium corporis.

II.

Cognoscitur os ruptum iudicio sensus, dum enim tractatur locus quassatus, inueniuntur partes ossis separatæ, auditurq; strepitus quidam ex attritu ossium sese inuicem contingentium, figura membri apparet inæqualis, æger sentit dolorem, neq; fracto membro vti potest. *Signa fractura ossis.*

NOTÆ.

Cognoscitur os ruptum] Sunt signa fracturarum sensibilia: percipiuntur enim tactu, auditu & visu, si os ruptum sit, præsertim ruptura transuersa & in extremitatibus. Iudicamus etiam esse ibi fracturam, tam ex magno dolore, qui oritur à læsione periostij, & membranæ quæ operit medullam, sed & sensu aliarum partium, *Signa fractura ossis.*

quæ premuntur aut punguntur; quam impotentia partis affectæ, inprimis si fractura contigerit in osse adiutorio, in maiore osse cruris: radij enim, qui maioribus ossibus in brachiis & tibiis substernuntur, seruiunt tantum sustinendis musculis, non corpori, vt ossa grandiora.

Si vero fractura vel potius fissura sit secundum longitudinem ossis, ea non deprehenditur, nisi per extuberantiam quandam non naturalem in substantia ossis, cum dolore & inæqualitate, vt Guido ait. Auicenna putat multum facere ad cognitionem fracti ossis, in quacunque parte sit, notitiam causarum præcedentium. Sed sane coniecturalia duntaxat sunt illa signa, non vero certa. Anno Salutis M. D. XCIV. mense Decembri ciuis quidam Remensis sexagenarius, nomine Sobinetus, cum descensurus in cellam vinariam, per triginta gradus scalæ delapsus fuisset, accepit vulnus in fronte, transuersum digitum supra oculum sinistrum, penetrans vsque ad pericranium: hic si quis in sola magnitudine causæ substitisset, facile iudicasset fractum esse cranium, necesse ergo esse, vt aperiretur id, atque terebraretur: cum autem aliud signum fracti cranij non appareret, quam nuda illa coniectura, omissa illa operatione curatus fuit, & spacio octo dierum persanatus à Simone & Iohanne Vatriis, Chirurgis Remensibus, me præsente.

III.

Quid sit luxatio.

Luxatio est prolapsus articuli extra suum proprium locum in alienum, *impediens motum voluntarium*, proueniens ab aliqua violenta tensione externa, *vel relaxatione interna ligamentorum*. Græci vocant ἐξάρθρημα, quando iunctura *dislocatur*, vt caput ossis deferat acetabulum suum. Παρέρθρημα Græci vocant, quam nos detorsionem dicere possumus, quando ossa paulum duntaxat auersa sunt. Est autem Luxatio vel simplex vel complicata siue coniuncta cum alia quapiam dispositione contra naturam.

NOTÆ

Luxatio est prolapsus] Definiui Luxationem cum *Paulo Aegineta*, exitum articuli extra proprium suum locum in alium non consuetum, vnde impediatur motus voluntarius: adiuncti vero etiam, prouenire eam

eam per violentam tensionem externam, vel relaxationem internam ligamentorum, quia omnis dislocatio prouenit vel à causis externis, cuiusmodi sunt, lapsus ab alto, plaga liuida, lucta, extorsio, accubitus, aliæque res similes, quibus membrum violenter extenditur: vel à causis internis, velut ab humoribus pituitosis, qui colliguntur vel descendunt in iuncturas tanta abundantia, vt madefaciant, relaxent & lubrica reddant ligamenta quibus ossa colligantur, eaque ad extremum extra acetabulum suum extrudunt. Videmus hoc sæpe contingere in coxendice per morbum ischiaticum, inque vertebris, vnde ægri gibbosi & distorti euadunt, quia vertebræ illæ à proprio loco demotæ sunt.

Græci vocant] Luxatio completa est vel incompleta. Completa dicitur, cum os omnino exit extra suum acetabulum: incompleta, quãdo non omnino elapsum est. Differentia hæc (vt *Paulus* ait) in eo tantum consistit, quod in vna, sint ossa magis separata, quam in altera. Illa tamen, in qua articulus plane è cauitate sua prolapsus est, nominatur à Græcis ἐξάρθρημα, dislocatio; hæc vero, in qua caput ossis aliquantum duntaxat à loco acetabuli sui motum est, vsque ad marginem eius, ab ijsdem Græcis παράρθρημα vocatur extorsio à nobis. *Differentia luxationum.*

Fit autem vtraque species quatuor modis: in parte anteriore, posteriore, interius, vel exterius.

Luxatio simplex est] Præter hanc differentiam, etiam alia est, ab essentia luxationis desumpta, vnde & appellatur simplex vel composita.

IV.

Si dislocatio fuerit in iunctura, animaduertitur tumor in eo loco vbi os prolapsum est, vt cauitas quædam in loco vnde exiuit: sic vt membrum non sit sibi simile, neque possit moueri, magnisque vexetur doloribus. *Signa luxationis.*

ANNOTATIO.

Communia luxationis signa sumuntur à tribus rebus (secundum *Auicennam*) à mala conformatione partis affectæ, quæ in vno latere ostendit tumorem contra naturam, in altero cauitatem insuetam: ab offensa actione, puta difficultate vel priuatione motus: & dolore consequente, orto inde, quod os non sit in proprio suo loco, sed premat carnem cum distensione neruorum.

REGVLÆ PROGNOSTICÆ.

De euentu Fracturarum in ossibus & Luxationum.

I.

Prognosis fracturarum.

OMINAMVR & prædicimus pericula in fracturis ossium, & diuturnitatem curæ earum, sumpto iudicio à magnitudine & natura tam ossis, quam fracturæ, & à morbis symptomatibusque, quæ eas comitantur.

ANNOTATIO.

Per naturam ossis intelligimus ossium temperamẽtum, figuram, connexionem & situm: per naturam fracturarum, earum speciem & figuram. Vt autem melius iudicemus de euentu fracturarum, ratio etiam habenda est ætatis, & temperamenti sexus, & diætæ quam æger obseruat, nec minus tempestatis anni & dispositionis aëris.

II.

Fractura periculosæ quæ sint.

Est ergo fractura periculosa, quando os fractum magnum est, aut si in plures sit comminutum partes, aut si ingens sit quassatio, vel non *longe à iunctura*, vel complicata cum inflammatione vicinarum partium, *distensione neruorum*, acuta febri, alijsq; validis accidentibus. Sic quoq;, quo grandiora sunt confracta ossa, eo plus temporis requirunt ad consolidationem. Præterea quo sunt duriora aut siccciora, eo difficilius recoalescunt: contra, quo *molliora vel humidiora*, eo facilius curam recipiunt, sicut in ossibus puerorum apparet.

NOTÆ.

Fractura periculosa est] *Hippocrates in libro de Fracturis* ait, non facile cõualescere eos, quibus os femoris vel brachij fractum per cutem exit, quia hæc ossa grandia sint, copiosamq; habeant medullam, & fere complures partes maximi momenti, puta nerui, musculi & venæ simul lædantur. Affirmat *Celsus cap.* x. *lib.* VIII. parum habere periculi, si scapulæ, brachia, femora, crura, digiti rumpantur in medio: tanto autem periculo-

culoſiorem eſſe fracturam, quo propior ſit capiti oſſis, ſuperiori vel inferiori, quod tunc multo acerbiores dolores excitet, & difficulter curetur. Illam quoque rupturam minoris momenti eſſe, quæ ſimplex ſit & t anſuerſa: moleſtiorem multo, in qua feſtucæ & aſſulæ: peſſimam ſi illæ ſint acutæ & obliquæ.

Sic quoque quo grandiora ſunt] Certum eſt, quo maiora ſunt oſſa, eo plus illa requirere temporis, donec vniantur, cuiuſmodi eſt os femoris, quod de ſententia Hippocratis ante diem quinquageſimum non coit. Oſſa vero cruris & brachij coaleſcunt minore tempore, nempe intra quadrageſimum diem. Mandibulæ, gena, clauiculi, ſternum, omoplatæ talus, os manus & plantæ pedis curantur, teſte *Celſo*, vigeſimo die.

Præterea (vt *Auicenna* ait) defectus alimenti viſcoſi & nimis frequens inſeſſio in aquam calidam, vel lauacra impediunt, ne os coaleſcat, vt & crebra mutatio rerum quæ fracturæ applicantur, puta faſciarum, compreſſarum, atellarum ſiue ferularum: nimia adſtrictio fracturæ, motus incompoſitus partis ægræ, tempus anni, regio & his ſimilia. Vnde vix ac ne vix quidem certa regula præſcribi poteſt, quanto tempore generari callus poſſit.

Præterea quo ſunt duriora] *Galenus cap.* v. *lib.* vi. *Methodi* affirmat, quo duriora atque ſicciora ſint oſſa, eo difficilius conſolidari. Contra, quo ſint molliora vel humidiora, tanto facilius ea ſeſe amplecti, quod patet in puerulorum oſſibus.

Nam & communiter fracturæ oſſium facilius curantur in iuuenibus quam grandioribus natu, quod oſſa iuniorũ adhuc plena ſint ſucco glareoſo & viſcoſo, & abundent humiditate naturali, radicali & ſubſtantifica: ſicut & oſſa confracta in corporibus temperamenti ſanguinei facilius reduniuntur, quam in cholericis.

III.

Signa prognoſtica, è quibus ſumitur iudicium, an luxatio ſit periculoſa & ad curandum difficilis, conſiſtunt in primis in ipſius luxationis magnitudine, in cauſis illius & tempore, in morbis & accidentibus quæ eam comitantur. *Prognoſis luxationum.*

ANNOTATIO.

Sumuntur & aliquando ab inclinatione ossis luxati, à figura articulorum, & habitudine corporis.

IV.

Quæ dislocationes sint præteris periculosæ.

Ossa valde luxata & lõgius remota à cauitate sua, difficilius reducuntur: estque plus periculi in dislocatione proueniente à causa interna, quam ab externa: cum constet, iuncturam semel disiunctam per humorem aliquem superfluum, qui ligamentum relaxauit, etiamsi reducatur, semper tamen obnoxiam esse subsequenti dislocationi. Luxatio vetus, quia cauitas iuncturæ repletur carne, & caput ossis sibi aliquando alium situm deligit, non bene restitui potest in naturalem suum locum, & si forte remittatur, non diu ibi manet, sed mox rursum foras prolabitur. Luxationes coniunctæ cum vulnere, inflammatione, conuulsione, vel alijs grauibus accidentibus, sunt longe periculosissimæ.

NOTÆ.

Ossa valde luxata] Etiam dislocatio in qua ruptæ sunt margines concauitatum ossis, pessima est, ait *Guido*. Cum enim articuli remittuntur in locum suum, diu ibi hærere non possunt, sed quauis leui occasione rursus excidunt.

Estque plus periculi] Luxatio à causa interna remissa (inquit *Paræus*) facile de nouo dislocari potest, quia ligamenta imbuta & madentia humore superfluo, in acetabulum illapso, non possunt os firmiter continere. Idem quoque accidit, si ligamenta rupta sint: nam si quis putat, ægrum iam conualuisse, ossa rursus exeunt è loco suo, iterumque remissa, non possunt ibi diu contineri. Interdum ligamenta non prorsus abrupta sunt, sed portio quædam illorum, vnde actio partis illius debilitatur, non vero omnino perditur.

Luxatio vetus] Omnis inueterata dislocatio & tractu temporis indurata (ait *Guido*) difficilime curatur, estque ferme incurabilis, cuius rei ratio est, quod locus iste in quem ossis caput se demisit, succedẽte tempore durus fit & callosus, obtinetque locum iuncturæ, quodque acetabulum impletur carne ab humore superfluo generata, qui se paulatim in eam cauitatem insinuauit, quodque ligamenta sint nimis extensa.

tenſa. Quin imo, ſi quis luxationem non tempeſtiue remittat, ſolet ſuperuenire inflammatio & alia accidentia, quæ reductionem impediunt. Vides cauſam, ob quam *Hippocrates* iubeat reduci omnes articulos diſlocatos, dum adhuc calent à dislocatione, ſi fieri poſſit.

Coniunctæ cum vulnere] Author eſt *Auicenna*, luxationes coniunctas cum vulnere, inflammatione vel magno dolore, præterquam quod difficilime curantur, non eſſe ſine euidenti periculo, vt ſatius aliquando videatur in tali caſu, partem luxatam non reducere, quam id tentare, quod hoc vix fieri poſſit ſine læſione, vel etiam ſine periculo ſuperuenientis mortis.

Quæ Luxatio incurabilis.

Si caput (inquit *Tagautius*) excidat aliquando retrorſum, nunquam in cauitates ſuas remitti poterit, ſed continuo & ineuitabiliter ſequetur mors, ob compreſſionem medullæ ſpinæ dorſi: Pariter & vertebræ ſpinæ, quando illæ omnino è loco ſuo motæ ſunt, & mandibula vtrimque dilapſa; ſi ante remiſſionem iam adſit inflammatio difficulter reſtituuntur.

Quid faciat, natura iunctura-rum ad reſtitutionem luxationis.

Diſiunguntur autem vel reiunguntur etiam oſſa facilius vel difficilius, pro natura iuncturarum. Sicut enim genu facile excidit loco ſuo, ſic etiam ſine magno labore reponitur. Nec multum creat labo-ris reſtitutio luxationis digitorum: at vero cubitus, ſicut tarde moue-tur & exit à ſtatione ſua, propter multas eminentias & cauitates, ita quoque non ſine multa moleſtia reſtituitur ob eandem cauſam. Scapula, vt facile exilit, præſertim in hominibus macilentis, ita quoque reducitur ſine magna difficultate in locum ſuum: quod & de alijs iudicamus.

Quid habitudo corporis valeat in iuncturis.

Celſus cap. XI. *libr.* VIII. ait habitudinem corporis & neruorum multum huc facere: ſi enim corpus gracile ſit, ſi humidum, ſi nerui & ligamenta debilia, os luxatum facilius reſtituitur ſed & facilius, & prima occaſione rurſus elabitur, ægreque relocatum continetur.

Quibus contrarium eſt temperamentum, horum oſſa, etſi difficilius luxata remittantur, firmius tamen reſtituta hærent.

REGVLÆ.

Ad recte ac methodice curandas fracturas ossium, & luxationes iunctur arum.

Scopi in fracturis curandis tres. CHirurgo os fractum restituere cupienti, tres proponuntur scopi: primus est, vt reducat partes ossis rupti, in suum locum: secundus, vt eas ibi contineat, faciatque vt se mutuo amplectantur & conglutinentur: tertius, vt caueat, ne noxium aliquod accidens, puta inflammatio, febris, dolor magnus superueniat, ijsque quæ iam forte superuenerint, remedium afferat.

1. 2. 3.

Galenus lib. VI. *cap.* V. *Method.* ostendit, principalem scopum Medici in curanda ruptura ossis in eo consistere, vt vniat atque coalescere faciat partes ossis diuisas. Ad hunc finem vt perueniamus, quadruplici consideratione opus esse ait Guido. prima est, vt os ruptum remittatur in locum suum: secunda, vt ibi conseruetur; tertia vt coalescat beneficio intercedentis calli: quarta vt corrigantur accidentia. Mihi vero satius visum est, secundam & tertiam in vnam colligere, vnde & tres tantum scopos posui.

II.

Modus perueniendi ad primum scopum. *Vt autem reducantur partes ossis rupti in locum suum*, necesse est, vt extendatur membrum manibus ministrorum, aut vinculis circumpositis, aliquando etiam *machinarum atq; instrumentorum* vsu, si opus sit, & interim comprehendere membrū ambabus manibus vtraq; parte, & bene reiungere atque reconcinnare fragmina ossis rupti: & si quæ pars alicubi paulo altius eleuetur, eam in rectitudinem remittere, adhibita cura, ne eminentiæ ossis rupti conquassentur: deinde paulatim relaxandum est membrum extensum, vt musculi se rursus colligant sicut antea. Vtque retineantur vnitæ atque reiunctæ partes ossis, quæ ruptæ fuerant, necessarium est, vt imponantur illis medicamenta restringentia, compressæ, ferulæ, fasciæ & ligaturæ, vtque teneatur membrum affectum recte ligatum in sua figura & situ naturali, sine aliquo motu. Cumq; fuerit tempus, adiuuanda est natura in generatione calli,

Ad secundum.

Ad tertiū.

calli, vt conglutinentur partes ossis rupti, seque mutuo amplectantur, quod fit vsu alimenti viscosi & probe nutrientis, & applicatione medicamentorum substantiæ emplasticæ. Ad præcauendam autem superuenientem ab initio inflammationem, febrem, aliæque grauia accidentia, leuiter nutriendus est æger cibis delicatioribus, imperandumque ei, vt abstineat à vino & carnibus, donec necesse sit vt callus crectur. Est & aperienda vena, euacuanda excrementa, fouenda pars affecta oleo rosaceo, de myrtillis, fasciæ & compressæ tingendæ in oxycrato, oxyrrhodino, alijsque pariter repercutientibus & corroborantibus, vt impediatur fluxio, quæ causa est inflammationis. Quod si forte illa, iam superuenerit, applicentur remedia paregorica, & relaxetur aliquantum ligatura. Quod si vulnus cum fractura coniunctum sit, auferenda sunt exigua fragmenta & festuculæ, pungentes carnem, commissis cæteris inter se. Hinc suppuretur, mundificetur, incarnetur & ad cicatricem perducatur vulnus, imponendo semper ossi patenti medicamenta desiccantia, & laxæ habendæ sunt fasciæ, neque tam celeriter apponendæ ferulæ. *Ad quartum.*

NOTÆ.

Vt autem reducantur partes] Vt ad primum scopum perueniamus, requiruntur duæ operationes: prior est extensio membri: posterior apta & recta partium fracti ossis collocatio. Vt primum enim ossa rumpuntur, reducunt se masculi versus originem suam, vnde impossibile est, eos reducere, nisi prius reducatur *membrum fractura* affectum. Fit autem extensio membri fracti (vt *Galenus* ait) vel manibus ministrorum, si membrum paruum sit, vel vinculis circumpositis, vel per machinas, vt nobis ostendi t Hippocrates in sua antitasi, id est contraextensione ossis. Cogitur enim Chirurgus vti machinis, quando manus non sufficiunt ad trahendum, sicut in fracturis maiorum ossium & robustis corporibus. Magna tamen hic cautione opus est, ne nimis illa omnia fortiter intendantur, neue rumpantur musculi aut nerui, oriaturque inde dolor, conuulsio, paralysis, gangræna, aliaue pernicioſa accidentia. *Cur necessaria sit extensio membri.* *Cautela in extensione.*

Igitur si membrum (inquit *Celsus cap.* x. *libri* VIII.) valide extensum fuerit, paulo vltra naturalem suam longitudinem, tunc impellenda sunt ossa, vt redeant in locum suum, & si quid ibi protuberet emi-

emineatue, deprimendum manu: inprimis autem (ſuaſore *Galeno*) cauendum, ne, dum id fit, eminentia quæpiam oſſis rumpatur, quia ſegmen aliquod aut minima particula incidens partibus ſeparatis earum impediat redunionem: vel ne aliquid relinquatur ſpacij inter ipſa oſſa, in quo colligi poſſit ſanies, ſucceſſu temporis totam illam partem corruptura.

Vtque retineantur] Facta reductione veniendum eſt ad ſecundum ſcopum, vt os ruptum & remiſſum firmiter retineatur in loco ſuo. Neque enim ſufficit, vt os fractum concinne ſit repoſitum, ſed oportet vt ita compoſitum maneat, ne vllo modo ſe mouere poſſit. Fit hoc beneficio faſciarum & ligamentorum, quæ non nimis debent eſſe arcta, vt conſtringant lædantque, neque nimis laxa: Ita tamen, vt membrum prius perunctum ſit cerato molli (quod *Hippocrates & Galenus* ſuadent) vel oleo roſaceo tepido (vt recentiores malunt) aut oleo de myrtillis, vel maſtiche, inſperſo etiam puluere è maſtiche. Prima obligatio facienda eſt faſcijs, quos Hippocrates appellat ὑποδεσμίδας: deinde linteis, quæ vocamus compreſſa: poſt hoc tænijs foras conuolutis, quas Græci vocant ἐπιδεσμοὺς: conſequenter ferulis, & poſtremo lemniſcis, quibus continentur ferulæ. Faſciæ ſunto lineæ, leues, delicatæ, molles, ſine futuris, firmæ tamen, non ſiccæ, ſed madefactæ oxycrato, oxyrrhodino, vino craſſo & auſtero, vel alio liquore appropriato. Conuenit & ligamenta iſta lata eſſe, præterquam vbi membra ſunt inæqualia, ibi enim anguſta ſunt meliora: longitudo ijs tanta eſſe debet, vt ſufficiat oſſi, quod remiſſum eſt, firmiter continendo.

Faſciæ inferiores, quæ primum locũ obtinent in obligando, quæque partem immobilem tenent, & dum repellunt, inflammationem ab illa arcent, duæ vel tres ſunt: quarum prior ter circumuoluta fracturæ, ſurſum ducitur in formam cochleæ: ſecunda contrario ductu pergit à fractura deorſum: & tertia gyratur ſuper has adſcendendo.

Ad ſecuritatem autem & firmitatem huius primæ obligationis, ipſiuſq; adeo fracturæ inuenit *Hippocrates* adminiculũ quoddam, quod eſt, vt applicentur compreſſæ cerato humido coopertæ, quæ ipſi ligamento pares ſunt in longitudine, latitudine trium vel quatuor digitorum. Faſciæ ſuperiores, quæ compreſſis illis imponuntur, debent eſſe duæ, interq; ſe æquales, ducunturque contrario plexu, ita, vt vna ab inferiore loco ſurſum adſcẽdat verſus dextram, altera à ſuperiore deſcendat verſus ſiniſtram.

Tan-

Tandem his omnibus accommodandæ ſunt ferulæ ſiue aſſulæ, vt contineant os in loco ſuo, & totam ligaturam firmiorem præſtent. Vtebantur his veteres nullo modo ante ſeptimum diem, metu inflammationis: at recentiores (niſi inflammatio adſit quæ prohibeat) applicant illas primo ſtatim die. Oportet autem vt ferulæ ſint leues, vnitæ, inuolutæ cannabe vel lana hinc & illinc breuiores quam ligatura, eo loco vbi fractura eſt, latiores & fortiores, ita vt vna ab altera tranſuerſi digiti latitudine diſtet, caueaturque ne applicentur iuncturis vel eminentiis oſſium. Cætera Chirurgo nota ſint oportet. Membro ad hunc modum obligato, danda eſt opera, vt id ita collocetur, velut ſitus eius requirit, & vt quam maximè à dolore abſit.

Præcipit *Hippocrates* vt ſoluatur ligatura alternis diebus, donec ferulæ imponantur fracturis, vt adhibeatur parti ægre fotus aquæ calidæ ad euacuandos humores ibi contentos, quos neceſſe eſt per euaporationem educere, ne dolorem concitent vel pruritum,

Adiuuanda natura in generatione calli] Notandum eſt, oſſa rupta ob ſiccitatem ſuam ſe non poſſe amplecti inuicem, quod tamen caro poteſt, ſed quod denuo coniungi & velut conglutinari debeant intercedente dura quadam ſubſtantia, quam callum appellamus, quæ generatur ex eo quod reſtat à proprio eorum nutrimento. Sicut enim colla ſiue glutinæ coniungimus diuerſas partes ligni, ſic callo fracta ruptaue oſſa, vt agglutinari potius quam concreſcere dicantur. Hac de cauſa talis victus ratio obſeruanda eſt, quæ generet ſanguinem tam in quantitate quam in qualitate aptum ad producendum callum. Vbi igitur callus incipit creſcere, debet æger vberius nutriri quam antea, cibis ſuccu-lentis & glutinantibus, cuius generis ſunt pedes vitulini, veruecini, hædini, oriza, & his ſimiles. Adiuuant & medicamenta ſubſtantiæ emplaſticæ, quęq; moderatè calefaciunt, incrementum calli (teſte *Galeno*) ſicut ex aduerſo reſoluentia callum minuunt: ea vero quæ ſanguineis applicamus vulneribus, cõſeruant callum iam generatum. Dabunt faſciæ inferiores (ait *Paulus*) indicium generati calli, ſi abſq; vulnere appareant ſanguineo colore tinctæ. *De generatione calli in oſſibus.*

Ad præcauendam autem] Eo ipſo duce curat Chirurgus os fractum, debet continuo obuiare accidentibus, quæ tertia eius eſt intentio. Id optime faciet, ſi ſtuduerit impedire omnibus modis fluxionem ad partem *Tertius ſcopus in cura rupti oſſis.*

tem affectam properantem, vt arceatur simul inflammatio, dolor, & alia id genus accidentia. Hinc est quod *Hippocrates in libro de fracturis* præcipit, vt æger ab initio vsq; ad decimum diem tenuiori & angustiori victu vtatur, interdicto vsu vini & carnium; vtque vescatur tantum cibis tenerioribus, hordeo mundato, rumice, malua, atriplice, beta, cucurbitis, piscibus saxatilibus aliisque similibus alimentis, quæ beneficium alui saluum præstant, quod per id tempus maius ab inflammatione quam aliis accidentibus immineat periculum. *Galenus cap. IV. lib. VI. Methodi* insuper monet, eo ipso tempore phlebotomiam & purgationem improbari non solere, in eum ipsum finem. Præter autem hæc remedia vniuersalia, topica quoque multum ad rem faciunt, quibus inest virtus corroborandi & humores repellendi.

Quid faciendum in vulnere.

Quod si vulnus] Si fractura (inquit *Aegineta*) coniuncta est cum vulnere & fluxu sanguinis, hic primum omnium sistendus est. Si inflammatio, vtimur remediis conuenientibus. Si caro valde contusa est & liuida, scarificamus, ne gangræna partem inuadat. Si iam gangræna superuenerit, vel alia quæpiam putrefactio corrodent, afferimus remedia quæ conuenire iudicamus. Si pars ossis non magna conspectui patet, vbi prius abstulimus testulas & fragmina contusi ossis, (idque ex disciplina) quæ mouentur & pungunt partes vicinas, iungimus labia vulneris per suturam, vel alio modo, curamusque id vt alia vulnera sanguinea. Quod si magnum aliquod os emineat & extet, quod facta extensione non redeat in suum locum, obstante magnitudine eius, ibi magna vtendum est prudentia & diligentia. Censet *Hippocrates*, si ossa lacertorum & femorum fracta extra promineant, ea prorsus restitui redaptarique non posse, prædicitque periculum ab inflammatione, non sine conulsione musculorum & neruorum propter extensionem. Nos tamen tempus docuit, aliquoties in his manum non frustra adhibitam fuisse, si extensio ossis prominentis facta fuit primo die antequam superuenerit inflammatio, vel circa nonum diem, vbi illa iam finita fuerit. Nos quidem remittimus tale os vtentes instrumento quodam, quod Græci *mochlisson* vocant; ligatura vero ad hunc modum habet. Fiunt reuolutiones circulares fasciæ super partes, quæ sunt ab vtraque parte vulneris: & reuolutiones obliquæ secundum longitudinem vlceris, vt decussatæ fasciæ figuram litteræ X. exprimant. Si vulnus sordidum sit & impurum, adhibentur mundificantia & abstergentia: si vero pu-

ro purum, vnguenta incarnantia cum linamentis. Postquam vulnus carne repletum fuerit, applicanda erunt assulæ siue ferulæ. Quidam eas apponunt ab initio, sed non circa vlcus, easque vel astringunt vel relaxant vt occasio & necessitas requirit. Si facienda est exfoliatio vel separatio particulæ alicuius ossis (quod inde cognoscitur, si plus humoris liquidi de vulnere prodeat, quam solebat, & caro circa vlcus mollis & inflata eleuetur) laxiorem facimus ligaturam, deinde extracto fragmento ossis, quod fit vncinulo vel alio simili instrumento, eam rursus adducimus. Interea temporis dum vlcus durat, applicamus supra linamentum emplastrum aliquod, habens virtutem impediendi inflammationem, facimusque ligaturam simplicem, quæ singulis diebus aperiatur, non oblata inferiore ligatura. Et hæc sentit *Aegineta*.

Error in fractura ab Hippocrate deprehensus.

Reprehendit *Hippocrates in libro de Fracturis* Chirurgos, qui extendere & obligare solebant fracturam vlcere nondum curato: deinde eos qui obligabant partes vicinas vlceri, & non ipsum, causantes hoc modo inflammationem & gangrænam in vlcere. Nec minus eos, qui primis quatuor diebus nullius rei rationem habebant præterquam vlceris, quarto demum die extendentes & obligantes fracturam, quo die inflammatio omnium maxima est. Nec eos probat, qui obligabant fracturas vlceratas cum eminentia ossis, ac si essent fracturæ simplices, nempe subligationibus strictis angustisque, cum eas adhibitis compressis obligare debuissent, vt continerent duntaxat membrum. Quod supereſt, inuoluit Hippocrates post primam *reuolutionem* totum vulnus vna ligatura latiore, vt nihil omnino apertum maneat. Et quia ligaturam facit laxiorem, quam si nullum vulnus adesset, compensat laxitatem illam multitudine fasciarum, vna super alteram imposita, compressas tingit vino nigro & austero, ad roborandam partem & repercutiendos humores.

Error modernorum à Pareo obseruatus.

Inuenias complures Chirurgos, qui ab initio vsque ad finem aliis non vtuntur medicamentis quam adstringentibus & emplasticis, contra Methodum Hippocratis & Galeni, cum constet, adstrictione illa & emplastratione illos obstruere poros cutis illius membri. Hoc dum faciunt, augent calorem extraneum, vnde grandis prouenit pruritus, generaturque sub cute humiditas serosa, acris mordensque, vnde gignitur vlcus. Iubet *Hippocrates* ægrum, vti ratione viuendi arctiore

& te-

&tenuiori quam si vulnus nullum adesset. Idem facit *Celsus*, qui & suadet secare venam, si non videatur satis sanguinis è vulnere prodiisse, vt occurratur inflammationi, febri aliisq; accidentibus, monetq; potiorem habere curam vulneris quam ossis.

Pater meus, postquã abstulisset fragmentula ossis rupti separata, inprimis operam dabat, vt decenter mundaretur vulnus, corroborataq; pars affecta præseruaretur à gangræna aliisq; pernicios is accidentibus. In hunc finem exhibebat ægro potionem suam vulnerariam, qua ab initio vti solebat, postea secundam. Ipsi vulneri non imponebat medicamenta suppurantia, neque pinguia aut humida, sed ab initio vtebatur clementer mundificantibus, deinde fortioribus. Adhorrebat autem à topicis emplasticis, quorum loco applicabat corroborantia.

Exempla aliquot curatarum fracturarũ cũ vulnere.

Non pigebit autem inter tot egregias curas fractorum ossium cum vulnere, quas adolescentulus ipsum feliciter perficere vidi & notaui, duas tresue notabiliores in gratiam iuniorum Chirurgorum adscribere, vt habeant in quo se exercere possint.

I. Anno à nato Christo M. D. LXXIX. accidit, vt miles quidam è centuria Fratris Regis persequeretur, rusticum hominem è pago Tupignio, cumque eum assequi non posset fugientem per campum, iratus miles tormentum quod ferebat, in eum explosit, globoque medium miseri lacertum percussit, tanto quidem cum impetu, vt os brachiale omnino confringeretur, & ad quatuor digitorum longitudinem penitus comminueretur, adeo, vt cum extracta fuisset omnia fragmenta ossis rupta atque separata, tantum hiauerit vulnus, vt per id, atque ita per totum brachium traiici manus facile posset. Ibi pater meus non parum metuebat superuenturam gangrænam, vnde neque suppuratiuum, neque pingue quippiam aut humidum vulneri imponebat, neque circa vulnus applicabat refrigerans aliquod aut emplasticum: Sed prima vice lauabat vulnus aqua sua vitæ destillata cum marrubio, saluia, betonica, aliisque deficcantibus: deinde apponebat mundificatiuum suum, compositum è duabus partibus mellis albi, & vna parte terebinthinæ. His imponebat compressas bono permadefactas vino, in quo coxerat saluiam, absynthium, agrimoniam, aliaque pariter corroborantia, cumq; bene obligasset brachium, circumposuit ei corticem tiliæ arboris, præscriptaque bona viuendi ratione, exhibuit ægro potionem suam vulnerariam, qua sub initium vti solebat: ad hunc modum primis sex diebus

eum

eum curauit. Deinde parauit mundificans fortius, è foliis marrubij & centaurij, ex radicibus iridis contusis, quarum herbarum omnium singulos manipulos macerauerat per XXIV. horas in aqua sua ardente, expressumq; inde succum coxerat cum melle ad firmam consistentiam. Hoc mundificante vsus est deinceps bis in die, non tantum in puluere, intinctis in id linamentis, sed & circa brachium in forma linimenti ad desiccandum & corroborandum membrum. Aliquando etiam cum videret opus esse maiore absterſione in vulnere addebat alumen, æruginem & his similia. Ad hunc modum perrexit, donec mundificatio perfectè absoluta fuit, vbi incarnauit cauitatem, immissis turundis breuioribus ab vtroque latere. Repleta ad hunc modum lacuna carne, cæpit ea paulatim firmior fieri & callosa, ad faciendum officium ossis, sustinebatq; se iam brachium sua sponte, neq; curuabatur amplius in loco vulneris. Sicq; factum est, vt tanta fractura penitus consolidaretur, & ad cicatricem perduceretur vulnus spacio quinq; mensium.

II. Historia, curata fractura cum vulnere.

Mense octobri anni salutiferi partus M.D. LXXXI. Vir nobilis quidam Castelleti in Arduenna sylua Toparcha, cum militaret in agro Cameracensi pro Alenconio Duce, recepit ictum glandis plumbeæ maioris in medium crus dextrum, qui ictus vtrumque os cruris penitus contriuit comminuitque ad quatuor digitorum transuersorum longitudinem, dilaceratis perruptisque cum cute partibus musculosis suræ. Chirurgi Regij, cum viderent læsionis magnitudinem & difficultatem, iam expediebant instrumenta, vt amputarent penitus crus male affectum. Dum in eo toti sunt, forte superuenit Dux Elbouius, qui nolebat permittere, vt ei crus abscinderetur, dicens, videri sibi adhuc locum esse manui medicæ. Illi igitur aliud nihil tunc quidem quam defensiuum applicuerunt, factum ex bolo Armena, farina triticea, oleo rosato & oxycrato. Postero die æger monitus à dicto Principe misit ad Guisam oppidum, qui patrem meum vocarent ad curam tanti vulneris suscipiendam. Venit is, detectoque vulnere, cum scrutatus id fuisset digito, extraxit bonam partem fragmentorum & festucarum quassati ossis. Expurgata sanie traiecit grande linamentum mundifico perunctum vnguento è duabus partibus mellis albi & vna terebinthinæ per vulnus, adiectis pluribus turundis eodem medicamento illitis, puluilliſque similibus: ablato que emplastro defensiuo, quod obstructis poris suffocabat calorem naturalem, stupefactis mor-

tificatisque membris, imponebat toti viciniæ vulneris stuppas cannabinas immersas vino, in quo coxerat saluiam, absynthium, agrimoniam, marrubium, & similes herbas, ad viuificādum & corroborandum membrum: deinde obligauit crus, vt conuenit, idq; deposuit suauiter in corticem tiliæ. Ipsi ægro bonam præscripsit diætam, cum potione vulneraria, quam ab initio sauciis exhibere solebat. ad hunc modum tractauit eum primis sex diebus. Hinc, cum vulnus ad suppurationem venisset, cœpit id quotidie bis curare, lauare, & syphone aquam suam vitæ inspergere, vsus intus mundificante ex melle cocto cum aqua eius ardente, in qua macerauerat marrubium, centaurium & iridem, vnxitque totum membrum. Si videbatur opus esse maiore absterſione, addebat æruginem & alumen. Mutabat etiam iusto tempore potionem vulnerariam in aliam magis desiccantem & abstergentem, estq; ad hunc modum persecutus curam, donec ea absoluta fuit.

Tertia Historia.

Aliquanto tempore antequam superiora illa contigissent, accidit, vt Faiettæ Dominus, Legatus Ducis Guisij, cum Lutetiæ Parisiorum esset ictum vngulæ equinæ in crure reciperet grauissimum, vnde latè os tibiæ fractum fuit cum vulnere, quod quamuis diligentissime curatum fuerit per duos menses à Iuniore chirurgo Ducis Guisij, homine docto in sua arte, cui & Ambrosius Pareus sæpe adfuit, aliique chirurgi Parisienses expertissimi; impedire tamen ob nimis magnam contusionem non potuerunt, ne vicinæ partes apostematibus exulceratę fuerint: quæres eos ad consilium amputandi cruris adduxit. At æger cum à tam odioso remedio abhorreret, vocauit ad se Patrem meum, quocum profectus in arcem Guisianam, per quatuor menses eodem ferme modo curatus est, quo nobilis ille, *cuius in superioribus recitauimus historiam*, eo quidem euentu, vt firmiter insistere cruri & deinceps rectus ingredi potuerit.

III.

In quibus consistat cura luxationis.

In cura luxationum tres scopi proponuntur Medico, vt & in cura fracturarum. Primus est, vt remittatur os dislocatum in locum suum: secundus, vt remissum ibi maneat; tertus, vt impediantur noxia accidentia, vel si iam superuenerint corrigantur.

NOTÆ.

Cum omnis luxatio consistat in vitiosa situatione partium, erit cura-

curatio eius nihil aliud, quam correctio vitiati situs, vt bene Gormelenius inquit post Tagautium, sequente vtroq; Galenum.

Hoc vt obtineatur, proponit *Guido* Chirurgo quatuor intentiones. I. vt remittat os dislocatum in suum acetabulum; II. vt id in eo conseruet: III. Vt impediat quę superuenire possent; IV. vt corrigat ea quæ iam superuenerunt. Mihi tamen compendiosius visum est, ad tres reducere, coniunctis tertia & quarta.

Ad reponendum os dislocatum opus erit, vt fiat extensio membri manibus, vel vinculis aut instrumentis propriis, deinde impellẽdum est os quod excidit, clementer in suum acetabulum, per eandem viam per quam exiuit. Remissum ita, continendum est firmandumq;, ne denuo excidat, per restringentia, compressas, ligaturas, collocando partem affectam conueniente loco & situ, vt quiescat. *Prima intentio.* *Secunda.*

Ad præcauendam autem inflammationem, fluxionem, & dolorem qui illam mouet, admouenda sunt non tantum restringentia aliaque remedia topica, quæ corroborandi vim habent, sed etiam victus tenuis obseruandus, modiceq; refrigerans, tantisper donec membrum extra periculum inflammationis fuerit: accedente, si opus sit, phlebotomia & purgatione. Vbi vero phlegmone luxaturam comitata fuerit, huic ante omnia remedium afferatur necesse est, Si vero accesserit vulnus ad luxationem vel fracturam, tentanda est primo restitutio dislocati ossis in locum suum, deinde curandum vulnus vel fractura. Si luxatio vetus sit, & iam indurata, necesse est vt emolliatur durities illa, antequam tentetur reductio. *Tertia.*

NOTÆ.

Ad reponendum os] Ad primum scopum vt perueniamus, duæ operationes sunt necessariæ: prior est, vt extendatur membrum luxatum, trahendo id, donec liberum spacium sit inter ossa disiuncta. Hoc vt fiat, prout musculi & ligamenta sunt valida, & ossa huc vel illuc transportata sunt, vtimur nunc quidem manibus tantum, alias vinculis, aliquando machinis, non secus ac in fracturis. *Operationes in primo scopo duæ.*

Posterior operatio est, vt propellatur os dislocatum in locum suum. Hoc dum facit Chirurgus, diligenter considerabit (vt *Galenus* ait) vbi dislocatio articuli initium sumpserit, quo prodierit, vbi cõstiterit. hinc tentanda est reductio eius in locum suum per eandem viam, redeundo

vsque ad initium luxationis. Cognoscitur autem os dislocatum iam restitutum, cum auditur sonus aliquis, intrantis in acetabulum suum ossis, & cum pars, quæ eleuata fuerat, tam tactu quam visu similis apparet membro sano in figura & magnitudine.

In secundo. *Remissum ita continendum est*] Facta extensione membri luxati, quę Græce dicitur ἀνάτασις, & reductione ossis demissi in suum locum, quam iidem Græci vocant ἀπένθυσιν & κατάρτισιν: incumbit id retinendi labor, qui consistit in duabus rebus: in ligatione, quæ Græcis est δέσις, & situatione membri in figura mediocri, vbi requiescat expers doloris: Græci vocant ἀπόθεσιν. Est autem ita ligandus articulus, vt fasciæ stringant & repellant à latere, quo pars receperat, vtque sint laxæ in loco vnde illa prodierat, sicut præcipiunt *Hippocrates & Galenus*.

Recentiores muniunt retinentque iuncturam restitutam oleo rosato, operculis compressisque intinctis in albumine oui, itemque cum fasciis in oxycrato madefactis, longitudinis & latitudinis conuenientis, aliquando etiam ferulis è corio factis, aut sæpius duplicata charta. Hanc ligaturam circa septimum diem resoluunt (nisi inflammatio vel aliud aliquod accidens cogat citius soluere) fouentque partem aqua moderate calida: deinde imponunt emplastrum compositum è farina volatili, puluere rubeo & albumine oui. Ipsum membrum collocant figura conueniente, quæ longissime à dolore absit, vt quiescat ex consilio *Hippocratis*. Sub finem curæ fouent partem luxatam (ad corroborandam eam vlterius) decoctione quadam è rosis, absynthio, & muscoquerno: imponuntq; ad extremum oxycroceum.

Ad præcauendam autem.] In omni iuncturarum restitutione (inprimis si validus aliquis articulus sit dislocatus) præcipit *Hippocrates*, vt ratio victus obseruetur tenuis, vsq; ad diem septimum. *Celsus* vero consulit, vt ab omni cibo abstineatur per totum triduum, aliquando etiam vsque in quintum diem, metu inflammationis, qua finita, sine metu, permittit abundantiorem victum, etiam vsum vini, sed modicum. *Guido & Tagausius* suadent etiam, à principio auertendam fluxionem per sectionem venæ & purgationem, si opus sit.

Vbi vero phlegmone] Si pars luxata vexetur dolore vel inflammatione antequam vocetur chirurgus, omittenda est restitutio, donec dolor con-

conquieuerit, & inflammatio fuerit mitigata, velut *Celſus* præcipit poſt *Hippocratem*, ne excitetur conuulſio, diſtenſio neruorum, aliaque noxia accidentia, ſi fiat extenſio membrorum, vt Guido teſtatur. Ad mitigandum autem dolorem & inflammationem, imponatur lana ſuccida hydrelæo madefacta (id eſt aqua & oleo moderate calido) addito, vt ille ſuadet, pauxillo vini.

Si vero acceſſerit vulnus] Si vulnus comitatur luxationem, ſuadet *Galenus cap.* IX. *libri* III. *Methodi*, ante omnia rationem habendam vulneris, applicatis medicamentis non tantum glutinantibus, aut quæ proprie conueniunt recentibus vulneribus, ſed multo magis mitigantibus, propter metum conuulſionis. In morbis enim mixtis & compoſitis (inquit ille) vtendum eſt curatione mixta. Tentandum tamen nihilominus eſt, ex conſilio *Guidonis & Tagautij*, vt ab initio antequam pars luxata cum vulnere corripiatur inflammatione, clementer reponatur iunctura in locum ſuum. Quod ſi non ſine multa vi id fieri poſſit, relinquenda eſt, ſuaſore *Hippocrate*, ob metum noxiorum ſymptomatum, tractandumque ſolum vulnus, & ſubueniendum accidentibus vel præſentibus vel futuris.

Vel fractura.] Si luxatio & fractura ſimul eandem affligunt partem, præcipiunt recentiores, vt reſtituatur prius luxatio, ſi fieri poſſit, deinde reduniatur os ruptum. Si id fieri non poſſit, vt primo reconcinnetur fractura, quæ vbi firmiter coaluerit, tunc ad reſtitutionem articuli dislocati veniatur. *Luxatio cum fractura.*

Si luxatio vetus eſt] Si in luxatione veteri ſucceſſu temporis calloſa durities genita fuerit, antequam ad eam reponendam accedatur, oportet (vt *Guido* ait) eam fouere aqua moderate calida, decoctione inquam de malua, biſmalua, fœnugræco alijſque ſimilibus: deinde inungere vnguento de althæa, & imponere emplaſtrum diachylon magnum, vel huius loco lanam ſuccidam madefactam mucilagine aliqua emolliente, vt vim habeat emolliendi. Attamen quando caput oſſis adiutorij, vel femoris ſucceſſu temporis locum contuſum durum fecit atque calloſum, in quem id deſcendit vel adſcendit, & acetabulum eius interim carne repletum eſt, quanquam pars indurata emolliri poſſit fotibus, linimentis, emplaſtriſque malacticis, rumpique carnoſitas, quæ occupauit iuncturæ cauitatem, mouendo hinc inde atque agitando membrum luxatum, vt deinde reducatur os in locum ſuum: num- *Vetus dislocatio.*

quam tamen, etsi reducatur, firmiter hærebit in acetabulo suo, vt ostendit *Pareus* capite quinto libri de luxationibus.

Vide ad hunc locum, Lector, quid conclusum fuerit in consultatione, quam habui anno M. D. LXXXVI. cum multis celeberrimis Medicis & Chirurgis Parisiensibus, pro D. Monticuli, super luxatione coxæ, quam historiam inuenies libro sexto, in explicatione octaui canonis prognostici.

FINIS.

N. ABRA-

N. ABRAHAMI FRAMBESARII ARCHIATRI REGII, APOLOCIA,

Qua innocentia Medicamentorum Chymicorum asseritur aduersus falsas quorundam accusationes.

AD SENATORES REGNI Galliæ.

NON leue est aut tralatitium certamen, Senatores amplissimi, inter medicos nostri temporis, de vsu Medicamentorum Chymicorum. Quidam enim multum his tribuunt, præferuntque ea vulgaribus, vel ideo, quod suauiora sint, minusque creent fastidij. Alij contra nihili ea faciunt, vtque maiore ignominia notent, inutilia eo pronunciant, periculosa & noxia, tam medico quam ægro. Mihi vero facile erit ostendere, turpiter falli posteriores hosce, eorumque rationes fundamentales aliud nihil esse quam vanas & friuolas opiniones.

Nihil est necesse (inquiunt) vt resoluantur simplicia medicamenta in sua principia, cum tota atq; integra conueniant curæ morborum. Ad hoc nos respondemus: ea ob crassam suam impuramq; substantiam sæpe non posse in effectum producere vires virtutemq; suam. Vtile igitur est, ea subtiliora reddere atq; puriora artis beneficio. Sicut enim flos farinæ, si à furfuribus separaretur, multo plus facit ad nutritionem corporum, quam frumentum integrum: Sic pura essentia Rhabarbari, Aloës, Chalcanthi, Cinnamomi, aliarumq; specierum multo plus vtilitatis affert in cura morborum, quam si omnia impura exhiberentur. Adde, quod medicamenta, vt ea à natura generãtur, fere semper in se continent

tinent noxiam quampiam qualitatem & contrariam, quæ adminiculo artis auferenda est. Regerunt aduersarij è vestigio, admisceri posse corrigentia. Atqui hoc est augere molem medicamenti sine vlla necessitate: deinde potest bene separari nobilior remedij portio beneficio artis à crassa materia, & auferri qualitates noxiæ, nostræque intentioni aduersantes quæque, vt residuum, quod manet, liberius operari possit: quid igitur necesse est, retentis facultatibus inutilibus, adiungere eiusmodi res, quæ vel nihil omnino ad rem faciunt, vel quæ aliquid incommodi afferant facultatibus vtilibus?

Inferunt alterius remedia Chymica dum vi artis subtiliora efficiantur, amittere vim virtutemque suam. Cum enim virtus dependeat à forma, hac destructa, facultas euanescit. Hoc vero recte intelligendum est. Non pereunt facultates, siue respicias naturam remedij, vnde illæ prodeunt, siue industriam operantis, qui illas producit: tantum abest; vt illæ pereant, vt etiam viridiores appareant. Natura enim remedij obtinuit facultates à congeris diuersarum partium, quarum aliæ sequuntur formam totius, aliæ temperamentum cuiusque portionis. Sicut autem libere confitemur, primas in nihilum redigi, cum forma totalis aboletur: ita contra negamus vltimas annihilari. Ex aduerso vero sic statuimus, facultates illas à iugo formæ liberas, in suis liberiores esse functionibus. Quod si remedia vulgari modo præparata per infusiones & decoctiones retinent virtutem suam purgantem, resoluentem, vel aliam aliquam: qua de causa hac ipsa virtute spoliabimus medicamenta Chymica? Extractiones enim & distillationes non auferunt facultates vtiles, sed separant tantum id, quod impedire eorum possit aut retardare actionem. Contra vero, *multo fortiora sunt Chymica*, quam infusiones ad decoctiones, ad transferendam temperaturam, & per cõsequens virtutem medicamenti ex vno subiecto in alterum. An non videtis; quomodo Medicus auxilio artis Chymicæ imitetur naturam, quæ tunc demum ad epar transfert cibos à ventriculo acceptos, postquam eos separauit à crassis excrementis, & hinc per ministerium venarum mittit magis puram partem alimenti ad quamuis partem corporis? neque enim cibi in ventriculo leuiter cocti, statim nutriunt, cum necesse sit, vt multas recipiant mutationes, antequam subministrent membris nutrimentum. Sic quoque medicamenta, non ideo quia sustinuerunt quamcunque leuem ebullitionem aut talem alterationem,

tionem, vt vos vultis, feliciter curare possunt molestissimos intestinorum morbos. Necesse est, vt exactius præparentur, vt prompte deportari possint, sicut alimenta, ad partes corporis longius distantes.

Atqui, (replicabunt aduersarij nostri, licet remaneant facultates medicamentorum Chymicorum, tamen deperdent multum de vigore suo, cum inhæreant tam exiguo subiecto, sicut videmus in calore ignis, qui minus est efficax in flamma corporis exilis, quam in carbone viuo, vel ferro candente, vel alio corpore solido. Hic responsio in promptu est. Non negamus vnitas vires fortiores esse, & calorem inclusum ardentiorem, sed affirmamus, eundem ipsum effectum se exercere in præparatione Chymica. Quando enim remedium simplex est integrum, pars illius à qua dependebant vires prædominantes notabilis alicuius caloris, eo non sola gaudet, sed & eas vires communicat alijs, quibus adhæret, vnde calor hinc inde dispersus tam magnus non est. At vero simul ac pars illa sequestrata est à societate aliarum, quibuscum cohæserat, tunc proprie fruitur possessione diuitiarum suarum. Tantum igitur abest, vt facultates eius diminutæ sint, vt contra duplo vel triplo fortiores sint. An non hoc est idipsum quod *Galenus* ait primo libro Simplic. Medicamenta quæ sunt partium subtiliorum celerius agere, & quæ sunt partium crassiorum agere tardius, quanquam vtraq; ijsdem prædita sint facultatibus? Tenuitas igitur subiecti hic nihil impedit. Cibus, quantumuis sit subtilis, non perdit ideo vires suas: testatur hoc experientia, quod quamuis arte Chymica ad summam adducatur subtilitatem, eo facilius conuertatur in nostram substantiam. Quod si tenuitas partium nihil nocet facultati nutritiuæ, multo minus incommodi afferet purgatiuæ.

Neque perdenter facultates remediorum ob defectum artificis, si recte calleat artem separandi à se inuicem partes differentes, noueritq; gradus ignis, qui requiritur, aliasq; res huc facientes. Neq; enim separabit per vstionem virtutem purgantem, quæ inest Rhabarbaro, neq; attrahet per distillationem, nisi eam prius extraxerit è substãtia terrestri, auxilio proprij dissoluentis. Extremum robur quod inest Antimonio ad prouocandum vomitum, penitus subuertit intestina. Hoc robur, hanc vim nemo domabit nisi totaliter consumat exhalationes eius per violentiam ignis, vt ex Cathartico fiat Diaphoreticum. Nos igitur non negamus, quin amittantur & euanescant vires atq; facultates medica-

menti, si id non cõuenienter præparatũ sit. At si quis rite obseruet conditionẽ rerum seperandarũ, vt illæ quæ fortiter inhærẽt substantiæ terrestri, oppugnẽtur maiore vi ignis; quæ vero aëreæ sunt & fluidæ magis, gradu ignis moderatiore, tñ aberit vt partes remediorum spoliẽtur, p- prijs suis qualitatibus, vt contra plus habituræ sint vigoris ad obeundas functiones suas, neq; adeo defatigaturæ naturã morbo per se satis afflictam. Nemo aũt vel in dubiũ vocare poterit, quin facultates illæ tunc plus habeant vigoris cum cõmunis consensus *Hippocratis*, *Galeni* & aliorum id testetur, qui vno ore fatentur resoluẽda esse remedia diuersarũ partium, vt liberius exerant virtutes suas. Sed & ratio plus valet auctoritate illorum. Certum n. est, virtutes differentes partium diuersarum vnius medicamenti, si iungantur simul, sese inuicem impedire. Sic cum vna sola qualitas requiritur, magis expediet, vt aperiatur totũ, quo qualitas illa producatur, sequestratis cæteris, quæ impedire vel corrũpere poterãt illius actionẽ. Æstimãtur præterea inutiles, quod cum sint in tã exigua quantitate, in nihilum redigantur per naturales vires corporis, sic vt pereant in transitu vel pugna naturæ contra morbum. Atqui nos affirmamus, quod ideo, quia exutæ sunt vestimentis partiũ inutilium, & per consequens magis nudæ, non debiliores sint quam antea, quia id, quod diminutum est de quantitate, liberaliter cõpensatur in qualitate: apparet hoc in essentia Anisi, Cinnamomi, Chalcãthi, cuius duę vel tres guttæ plus habent virtutis, quam magna quantitas integræ substantiæ: vnde apparet, medicamenta Chymica non esse inutilia.

Et hactenus quidem primam aduersariorum rationem confutauimus: accedamus ad secundam, quæ hæc est. Medicamenta Chymica non sunt extra periculum, *quia statim eo ipso dum præparantur, acquirunt extremum gradum caloris*: qua de causa tam violenter agunt, vt temperatura corporis humani non possit perferre earum actionem, sed statim succumbat viribus. Negari enim non potest, ignem externũ, quo solo, vtuntur Chymistæ, imprimere notas caloris sui rebus quas tangit. Hoc vt credamus, præter experientiam inducit nos ratio. Finis enim omnis actionis est, vt id quod patitur simile fiat agenti: cuius rei digestio alimentorum sufficiens erit testimonium, cuius vltimus gradus est assimilatio. Non est autem vlla qualitas, quæ se celerius insinuet in rem patientem, quam calor. Subtilis hic est, penetrat per angustissimos meatus, conuertitque id in se, quod parum resistit, id vero quod repugnat, quan-

quantum poteſt exagitat: & niſi id penitus ſuperet vincatque, partem tamen illius reddit ſibi ſimilem. Adde quod ſpiritus vini ardentis, cuius adminiculo Chymici ſuas faciunt extractiones, magnum eſt caloris incrementum. Quibus conſideratis ſatius erit, contentum eſſe veteribus remedijs, omiſſo vſu nouorum illorum.

Fatemur cum *Galeno & Ariſtotele*, inter omnia medicamenta vſta ne vnum quidem eſſe, quod ſit abſolute frigidum, adeo cunctis inhæret quoddam ἐμπύρευμα, quod tamen aqua facile elui poteſt. Et quamquam medicamenta, quæ naturaliter acria non ſunt, calidiora reddantur per vſtionem, illa tamen, quæ acria ſunt, frigidiora fiunt, ipſius *Galeni* teſtimonio. Sic Chalcitis vſta non amplius eſt tam acris, reductis tunc partibus eius ad maiorem tenuitatem, vt & omnes aliæ res vſtæ, quæ cum lauantur, moderatiores fiunt minuſque mordaces. Sententia igitur *Galeni* eſt, quod res acres multum deperdant de calore ſuo, vt tenuiores fiant. Sed calor vehementer concluſus acquirit vires. Carbo enim viuus promptius vrit quam flamma. Quandoquidem igitur calor acquiſitus medicamentis per contactum ignis, quem calorem Græci ἐμπύρευμα vocant, facile corrigitur per ablutionem ignis, itaque nihil ab eo metuendum eſt. An non videtis Arſenicum, calcinatum cum nitro amittere acrimoniam ſuam mordacemque calorem dum ſæpius lauatur aqua calida? Quod ad Aquam Vitæ attinet, cuius ope fit extractio ſpirituum, exhalet illa adeo, vt vel parum vel nihil caloris remaneat: & ſi quid remanſerit, non adhibetur à prudẽte & *rationali* medico, niſi ſuo loco & tempore, quando id finis & ſcopus curæ permittit: vt ita nihil ſuperſit, cuius nomine calor ille ſuſpectus eſſe debeat in medicamentis Chymicis. Si igitur medicamenta vſta vel extracta cum ſpiritu vini exempla ſunt è calumnia, quod attinet ad nimium eorum calorem, multo magis illa immunia erunt, quæ deſtillantur aut præparantur per aliud medium quam feruorem ignis. Metuemus ne igitur calorem, qui nullus adeſt, cum ille metuendus non ſit, qui, quanquam præſens eſt, nihil tamen noxij habet? Quid enim iuſtius poſſit exiſtimari ab externo calore exaſperatum, quam diuerſa genera ſalis? Atqui teſtantur Chymicæ artis peritiſſimi, qui ſalium illorum obſeruauerunt notas & qualitates, nihil eſſe frigidius. Sed fateamur ſane in illorum gratiam, ſales illos eſſe calidos, & ideo quidem, quia tenuitate acrimoniæ ſuæ exulcerant cutem externam: credemus ne igitur, eandem illis ineſſe

violentiam, si intra corpus sumantur? Ranunculus & allium sine noxa comeduntur, & tamen si foris imponantur, eleuant in ampullas cutis superficiem. Quis est qui ignorat, vsum cantheridum intra corpus olim familiarem fuisse veteribus, nihil metuentibus sibi à notis, quas exterius corpori imprimunt? Considerandaigitur est diuersitas patientis. Res fortiores sentiunt maiorem repugnantiam in interaneis, ob vim caloris naturalis, qui in tantum non apparet foris, neque ijs tam valide obluctatur. Hinc nos metus nimis fortis medicamenti impedire vel terrere non debet, quo minus eo prudenter vtamur. Augentur quidem facultates, sed non omnes, verum eæ tantum, quas augeri expedit: malignarum enim excessum iam correximus præparatione artificiali. Et si vel maxime illæ creuissent, non tamen proinde plus est periculi in vsu remediorum Chymicorum, quam eorum quæ præparantur vulgari modo, dummodo sumantur in minore quantitate. Pro scrupulo enim medicamentorum Chymicorum, datur vulgo dragma vna vel duæ cœterorum. Quod si dragma vna vel plures exhiberi possunt sine periculo, quid ni etiam scrupulus vnus? Sed proponent fortasse hic nonnulli nobis quæstionem. Posteaquam ars euoluit aufertque opercula, in quibus natura inuoluit virtutes remediorum actuales, vt extendi eæ liberius possint: deinde adiungit alias res quibus retardet illarum excessum, an non satius fuisset, retinere mixturam naturalem? Accipe responsionem negatiuam: neque enim hoc satius fuisset. partes enim remediorum differentes miscentur per naturam in alium finem, quam per artem. Natura respicit vitam vegetabilem: Ars vsum medicinalem. Natura igitur *multo arctius ligat res quas miscet*, vt qualitates inter se communicari possint. *Ars vero eas non tam arcte constringit*, quia rem quampiam applicat non in alium finem, quam vt refrenet actionem alterius. Exemplo sit Oleum Anisi, quod paruas habet vires, dum naturaliter inclusum est in semine integro, adeo, vt quantumuis multum Anisi, non sit tam efficax, quam guttæ aliquot olei eius extracti artificio Chymico: quas si miscueris saccaro, erunt singularis medicina ad tussim. Sic res, quas miscet ars, reprimunt excessum facultatum: illæ vero quas natura miscet, impediunt tantum quantum reprimunt.

Examinemus nunc tertiam rationem. Difficultas præparationum Chymicarum multas secum fert incommoditates, inquiunt illi. Remedia Chymica præiudicant Pharmacopæo & Medico, quia facile corrum-

corrumpuntur. Præiudicant ægro, quia pretiosa sunt, vt vix coemi possint. Cito corrumpuntur: quia sunt essentiæ subtilis, quæ dicto citius euanescit. Venduntur caro, quia non sine magno labore & sumptibus parari possunt. Nos vero omnia his contraria affirmamus. Nam medicamenta quæ corrumpuntur, patiuntur id vitio humiditatis aquosæ. Calor externus extrahit humorem intus latentem, cuius beneficio partes contiguę simul connexæ hærebant. Sublato vinculo dilabuntur pereuntque. Et hoc est quod *Galenus ait III. Comment. super III. lib. Epid. Aphorismo I.* φαίνεται ἐξ ὕλης μὲν ὑγρᾶς πᾶσα γίνεσθαι σηπεδὼν, αἰτίας δὲ δεχτικῆς, ἀλλοτρίᾳ τε καὶ παρὰ φύσιν δεσμοῦ συνεπιόντος δὲ ὑπὸ τῆς ἀκινησίας.

Igitur remedia chymica, quæ parum in se continent aquosæ humiditatis, minus subiecta sunt corruptioni. Phlegma enim inde exiuit, prima causa corruptionis. Hinc fit, vt qui velint longo tempore conseruare succos eos plerumq; excoquant, vel exponant Soli, ad consumendam humiditatem aquosam: partes enim aereæ & terrenæ sunt extra periculum corruptionis. Sic Chymici longo tempore conseruant spiritum, oleum, & portionem terrestrem simplicium, postquam sustulerunt phlegma artificio destillationis. Hinc nos concludimus, medicamenta Chymica non esse subiecta celeri corruptioni. Sed (dicent illi) Medicamenta chymica nimis magno venduntur precio. Respondemus, parari ea vt plurimum pro hominibus, quibus sunt mediocres facultates, & qui sanitatem opibus copiisq; suis præferunt. Quid quod quædam parari possunt, quæ non pluris venduntur quam vulgaria. Fac extractionem puræ essentiæ de Rhabarbaro, vnus scrupulus plus purgabit, quam duæ dragmæ radicis integræ: & sic poteris ægro exhibere vnum scrupulum extracti eodem precio, quo duas dragmas infusionis. Non negauerim, plus insumi temporis & laboris ad præparationem remediorum Chymicorum, quam vulgarium. Esto sane, fac vt diuites tibi æquum numerent precium, vt possis minoris vel etiam gratis ea præstare pauperibus. Neq; enim Chymicus bona conscientia debet exigere salarium vacationis suæ proportione Arithmetica sed Geometrica, vt ab alio plus ab alio minus poscat æris. Lex Christiana nos obligat, vt proximo idem præstemus, quod nobis ab illo præstari velimus: addita promissione, eos qui pauperibus in terris benefaciunt, in cœlis largam habituros remunerationem. Quid quod ipse Princeps nostri ordinis, Rex Medicorum Hippocrates nos monet, vt rationem habeamus facultatum &

opum eorum quos curamus, hortaturque nos ad liberalitatem, vetatq; omnibus modis, ne inhumani simus erga pauperes & peregrinos, affirmans si apud nos medicos reperiatur Philanthropia, non defore apud alios Philotechniam : innuens, beneficentia nostra decus & amorem arti nostræ conciliatum iri.

Intellexistis, Senatores amplissimi, quibus argumentis vtantur nonnulli, vt medicamenta chymica in odium & contemptum adducant, & earum rationes quam sint friuolæ & inanes.

Defendite igitur vestro patrocinio eos Medicos, qui iis vtuntur, amore boni publici: defendite ius causamque bonam eorum, vestramque auctoritatem, opponite eorum calumniatoribus. Complectimini vestro fauore eos, qui artem Medicam quotidie illustrare & perficere nituntur; discernite bonos Medicos à circumforaneis & Agyrtis, quorum ne meminisse quidem hoc loco debemus. Veri Medici Chymici verè sunt & vocantur Philosophi, quia studeant exactè cognoscere secreta naturæ, dum resoluunt medicamenta in sua principia, vtque solidiorem eorum adipiscantur notitiam, conantur ea penitus detegere & nudare, quare, quod secundum Philosophum *Nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Et hoc demum est vere studere præseruationi & curationi morborum.

*

FINIS APOLOGIÆ.

IDÆA

IDÆA
FRAMBESARIANÆ ACADEMIÆ,

Ad ampliſsimum virum, D. PETRVM IOANNINIVM, ſacri Conſiſtorij Comitem, Regij ærarij Præfectum, Montis-Iouij, Caniaci & Draciaci Baronem, Calliopæ Dominum.

SVB fauſto Chriſtianiſſimi Galliarum Regis auſpicio, (vir ampliſſime) Academiam molior, per vniuerſas orbis Chriſtiani regiones longè lateque propagandam, in qua Scholæ artium ad Humanitatem pertinentium, Dialecticę, Rethoricæ, Grammaticæ: Scholæ philoſophicæ cum Ethicæ, tum Phyſicæ: ac Scholæ Medicæ celebrentur. Cum homo duabus naturæ dotibus, ratione & oratione beluis præſtet, ad vtriuſque præfectionem, Humanitatis artes ſunt inſtitutæ, Dialectica ad rectum rationis vſum, Rethorica ad orationis elegantiam, & Grammatica ad eiuſdem proprietatem: quæ alias organa Logica nuncupantur, quod Homo ſit animal Logicum; vox vero λόγος rationem ac orationem ſignificet.

Prima claſſe Dialectica methodicè explicabitur, ad rationis vſum omnino referetur, quoniam (vt Socrates apud Platonem aſſerit) τὸ διαλέγεσθαι καὶ τῷ λόγῳ χρῆσθαι, ταὐτόν. acin thematis cum ſimplicis, tum compoſiti tractatione prorſus occupabitur. In duas partes inuentionem & diſpoſitionem tota diſtribuetur. Inuentio (topica id circo à Græcis appellata) locos demonſtrabit, è quibus rationes ducuntur ad materiæ propoſitæ explicationem. Quæ ad ſubiecti thematis declarationem adhibentur, attributa; quæ vero ad dubiæ quæſtionis veritatem argumenta dicentur. Loci communes propriis, primi deriuatis, ſimplices comparatis, ac conſentanei diſſentaneis præponentur. Diſpoſitio, qua rationes inuentæ cum materia propoſita diſponuntur ad iudicandum (vnde & iudicium dicitur) triplex ſtatuetur, enunciatio, qua diſponitur attributum cum ſubiecto; argumentatio, qua diſponitur argu-

argumentum cum quæstione probanda; & methodus, qua plures enunciationes aut argumentationes simul disponuntur, ad illustrandam materiam propositam.

Secunda classe Rethorica docebitur, in duas partes tota diuidetur, elocutionem & pronunciationem, elocutio in tropis & figuris: pronunciatio vero in voce & actione declarabitur.

Tertia classe Grammatica in duas partes, etymologiam dictionum singularum, ac syntaxim coniunctarum: per vtramque item fusas prosodiam & orthographiam diuisa, non minus perspicua, quam compendiaria methodo interpretabitur, communia semel exponendo, ac propria propriis locis digerendo.

Ab Humanitatis artibus, ad Philosophiæ penetralia patebit aditus.

In Scholis Ethicis, virtutes enarrabuntur, cum humanæ quæ ad vitam tranquille in hoc seculo degendam pertinent, tum diuinæ, quæ ad vitam æternam, beatamque nos ducunt. Inter humanas, mentis virtutes præcedent, sapientia, prudentia & ars; Morales sequentur, temperantia, fortitudo & iustitia. His subordinatæ suo quæq; ordine collocabuntur. Virtutes diuinæ triplices constituentur, fides, spes, charitas. Fidei Catholicæ articuli in Apostolico symbolo adnotabuntur, spes oratione Dominica fulcietur, charitatis opera in decalogo explanabuntur, Theologicarum virtutum praxis, sacramentorum vsu confirmabitur. Sic benè viuendi præcepta tradentur Christianis omnibus necessaria, non modo ex prophanæ Philosophiæ decretis, sed etiam ex sacris literis deprompta, ac orthodoxæ Theologorum doctrinæ consentanea.

In Scholis *Physicis, historia naturalis, cum* generalis, tum particularis prælegetur. In genere *principatus hominis notabitur, mundus* definietur, rerum naturalium principia & motus explicabuntur, corpora naturalia in simplicia & mixta, ac simplicia in cœlos & elementa diuidẽtur. In particulari cœlorum historia, de cœli natura & qualitatibus, deq; cœlo crystallino, firmamento, stellis fixis, atque planetis agetur. In historia elementari, primæ & secundæ elementorum qualitates, vires, numerus, situs & mixtio explanabuntur. Mixta dein corpora in imperfecta & perfecta distribuentur. Imperfecta definientur, & in meteora & mineralia diuidentur. In meteoron historia, ignitæ impressiones tum supremæ regionis, vt flammæ ardentes, stellæ transcurrentes & cometæ: tum mediæ, vt fulmina, fulguræ & tonitrua: aëreæ impressiones, quales sunt

les sunt venti, procellæ & typhones : & aqueæ impressiones cum mediæ regionis, vt nubes, pluuia, nix, grando; tum infimæ, vt nebula, ros, pruina & glacies exponentur. In mineralium historia, de metallis, auro, argento, cupro, ferro, plumbo, stanno, de lapidibus & gemmis, de succis in terræ visceribus induratis, sale, nitro, alumine, chalcantho, stibio, sandaracha, cadmia, cæterisque fossilibus differetur. Perfectè mixta postea definientur, ac in plantas & animalia diuidentur. In plantarum historia facultates animæ vegetatricis, procreatrix, auctrix, altrix, illiq; subseruientes attractrix, retentrix, coctrix & expultrix; vegetabilium partes, radix, truncus, folia, flores & fructus, enumeratio stirpium calidarum, frigidarum, siccarum & humidarum, primo, secundo, tertio quartoque gradu; ac specificæ purgantium & corroborantium proprietates recensebuntur. In animalium historia, animæ facultates animalis, vitalis, naturalis; corporis partes ex Anatomicorum placitis, & animantium species describentur. Facultas animalis in sentientem & mouentem, sentiẽs in exteriorem & interiorem sensum; mouens in appetitum & progressum distinguetur. Sub vitali facultate respiratio & pulsus continebuntur. Naturalis facultas longè in animalibus, quam in stirpibus perfectior demonstrabitur. Qua ratione nutriantur, augeantur & procreentur animalia docebitur, de generationis principiis, semine & menstruo sanguine tractabitur. Historia Anatomica partes corporis exprimet, primum continentes, deinde contentas. Inter continentes, similares præcedent, organicæ sequentur. Inter organicas, principes ministrantibus præponẽtur, vt cerebrum subseruientibus organis animalibus, cor vitalibus, iecur naturalibus. Inter partes contentas, humores priorem, spiritus posteriorem sedem obtinebunt. Animantes ad duas species reducentur, bestiam & hominem. Bestiarum tres differentiæ proponentur, aues, pisces & quadrupedes. Hominis præstantia secundum corpus & animam declarabitur, eiusque principatus in omnes mundi creaturas concludetur.

In Scholis Medicis, Candidati ad Apollinarem lauream aspirantes examinabuntur, de Medicinæ definitione, subiecto, fine & partitione interrogabuntur, omnes Medicinæ partes exagitabuntur, de rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, ad perfectam Medicinæ notitiam consequendam necessariis disputabitur, num physiologia quę corporis humani naturam explicat, sit Medicinæ pars disceptabitur.

Canones & Conſultationes ſubiicientur, quibus recta Medicinæ faciendæ via & ratio, præceptis & exemplis perſpicue demonſtrabitur.

Ambroſiopæa tandem tradetur, in qua elegantes medicamentorum præparationes, ad morborum curationem citò, tuto & iucundè moliendam præſcribentur. Hæc Academiæ noſtræ gymnaſia.

Sed tantæ molis opificium in ſtudioſæ iuuentutis gratiam inſtitutum, abſque Regis auxilio ad finem perduci nequit, Tu æquiſſime Præſes, cauſæ meæ patronus eſto. Quamuis opus viribus meis impar aggreſſus ſim, id tamen me præſtaturum confido, ſi ingenioli mei conatus fauore tuo adiuues. Tu Literatorum Mecœnas, Muſarum cultorem ab aduerſantium obtrectatione vindica. Tu iuris Gallorum propugnator, militiæ Gallicæ Archiatrum, Regio diplomate creatum protege, vt quibuſcumque rebus vel domi vel belli poterit, de Repub. bene mereatur. Pro tanto in Apollinis alumnum beneficio, immortales clariſſimo nomini tuo gratiæ habebuntur. Regi noſtro, tibi ac nobis viue diu fœlix. Vale Pariſiis, Calend. Martij, anno 1619.

* *
*

N. ABRA-

N. ABRAHAMI
FRAMBESARII
MEDICI REGII,

AMBROSIOPOEÆ ADVMBRATIO.

AMbrosiopoea nobis dicitur ars ambrosiarum ritè præparandarum, ad morborum curationem citò, tutò & iucundè moliendam. *Quid ambrosiopœa.*

Ambrosiam vocamus puram medicamenti essentiam, naturę cœlestis æmulam spiritus instar è corporea concretione, relicto crassamento elementari extractam, tanta elaboratam industria, vt exigua mole plurimum polleat, citraq; fastidium, necnon & citra noxam exhiberi queat. *Quid Ambrosia.*

Ex eo suam sortitur appellationem, q̃ mortales à morte vindicet. *Vnde dicta Ambrosia*

Ambrosia molli consistentia, melli analoga paratur, vt instar sapæ in bolo capiatur è cochleari. *mollis.*

Interdum tamen solidior fit diuturniori humiditatis euaporatione, vt catapotij forma deuoretur, vel tragematis specie manducetur. *Solida.*

Nonnunquam liquidior redditur Nectaris admixtione, vt in potu sumatur. adeò vt Ambrosia modo esculenta sit, modo poculenta. *Liquida.*

Ambrosia est vniuersalis, vel particularis. Illa toti corpori dicata, hæc cuiq; corporis parti propria. *Vniuersalis Particularis.*

Ambrosia vniuersalis est aphæretica, vel prosthetica Ambrosia aphæretica, quæ superuacaneos humores è corpore detrahit, est cathartica, vel emetica, vel diuretica, aut diaphoretica. Prima per aluum, altera per vomitum, tertia per vrinas, postrema per sudores, corpus euacuat. Ambrosia cathartica, est cholagoga vel melanogoga, vel phlegmagoga, hydragogaue, aut panchymagoga, quæ alias panacea dicitur. *Aphæretica.*

Ambrosia prosthetica, quę imbecillo corpori robur addit, est stiptica, vel analeptica, aut alexipharmaca, vel paregorica. Prima astringẽdo, altera reficiẽdo, tertia tuẽdo, postrema alterando, corp⁹ corroborat. *Prosthetica*

Ambrosia particularis, aphæretica est & prosthetica simul. Siquidem noxios è parte humores detrahit, eidemque vires adiicit. Ambrosia particularis octuplex celebratur, cephalica, thoracica, cardiaca, stomachica, hepatica, splenica, nephritica & hysterica. *Elegantes sequuntur præparationes Ambrosiarum Catharticarũ, Cholagogon, Melanogogon,* *Mixta.*

Plegmagogō, Hydragogon, Panchymagogon, Emeticarum, Diureticarum, Diaphoreticarum. Expositis omnib. Ambrosiæ aphæreticæ generibus, Ambrosia prosthetica supereſt, quæ corporis vires conſeruat, firmatq;, vtilium humorum profluuia ſiſtendo, exolutos ſpiritus reſarciendo, vitæ principia defendendo.

Elegantes ſequuntur præparationes Ambroſiarum Stypticarum, Analepticarum, Alexipharmacarum, Paregoricarū. Hactenus vniuerſales Ambroſiæ, quæ noxios humores è toto corpore per aluum, aut vomitum, vel per vrinas aut ſudores euacuant, &quæ vtiles humores profluentes retinēt, exhauſtos ſpiritus inſtaurāt, oppugnatas facultates ꝓtegunt, acerboſq; dolores mitigant p̄ſcriptæ ſunt: particulares deinceps deſcribendæ, q̄ euacuationis vniuerſæ reliquias è ſingulis partibus, p̄ſertim è cerebro, è thorace, è corde, è ſtomacho, è iecore, è liene, è renibus, atq; ex vtero detrahunt, eaſq; partes omni illuuie prorſus expurgatas corroborant.

Elegantes ſequuntur præparationes Ambroſiarum Cephalicarum, Thoracicarum, Cardiacarum, Stomachicarum, Hepaticarum, Splenicarū, Nephriticarū Hyſtericarū. Ambroſiopœam placuit appellare principē Pharmacopœæ partem, q̄ nobiliorē præparat medicamentorū eſſentiam, cui Ambroſię nomen, immortalitatis ſymbolū aptè quadrare videtur, tam q̄ mortales à morte vindicet, q̄ quod è corruptibiliū elementorum concurſu ſegregata, ad cœleſtē naturā incorruptibilem accedat. Æthereus quippe ſpiritus eſt ex elemētari mixtione extractus, ad animā diuinam in corpore humano diu conſeruandā. Myſtica namq; Ambroſia ad æthereæ naturæ puritatem exaltatur, totius ſubſtantiæ vires in ſubtili reconditaque materiæ parte vehens. *Hinc appellari ſolet quinta eſſentia, & cœleſtis* ſubſtantia, tāquam eſſet defluuium ætheris, vel radius firmamenti voce Creatoris per ima diſperſus. In corruptionibus naturalibus, ſpiritus ille cœleſtis vel ad ætherem ſubuolat, vel aliam ſubſtantiam ex putrefacta producit. Itaq; nequaquam dubitādum, quin æterna ſit natura. Idcirco Ambroſia Deorum cibus, quo immortalem vitam degunt, ab antiquitate perhibetur. Vnde Poëta Martialis.

Iuppiter Ambroſia ſatur eſt, & Nectare viuit.

Cum igitur Reges, Principes & Heroes, Dij terreni merito habeantur, ad eorum vitam quam diutiſſime fieri poteſt prorogandam, Ambroſia nihil aptius. Quamobrem hic adumbratam, poſthac in Academia noſtra perfecte expreſſam Ambroſiopœam tradere decreui.

INDEX

INDEX TITVLORVM DISTINCTIONVMQVE CANONVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM.

LIBRI PRIMI.

TITVLVS. I. *De recta medendi ratione* pag. 1
Distinct. I. *de dignoscendi ratione.* ibid.
II. *de præsagiendi ratione.* 18
III. *de curandi ratione.* 33

LIBRI SECVNDI.

Lib.1.T.3. TIT. I. *de Phrenitide* 51
Dist. I. *de phrenitidis diagnosi.* ibid.
II. *de Phrenitidis Prognosi.* 52
III. *de Phrenitidis therapia.* 53
CONSVLTAT. I. *de Phrenitide Phlegmonade.* ibid.
II. *de Phrenitidis Erysipelatode.* 54
4. TIT. II. *De Mania.* 57
Dist. I. *de Maniæ diagnosi.* ibid.
II. *de Maniæ prognosi.* ibid.
III. *de Maniæ Therapia.* 58.
CONSVLT. I. *de Mania.* ibid.
II. *de Mania ex feruente sanguine cerebrum petente.* 60
5. TIT. III. *de Melancholia.* 61
Dist. I. *de Melancholiæ Diagnosi.* ibid.
II. *de Melancholiæ Prognosi.* 62
III. *de Melancholiæ Therapia.* 63
CONSVLT. I. *de Melancholia primaria.* 64
II. *de Melancholia ex totius corporis consortio.* 65
III. *de Melancholia Hypochõdriaca.* 68
Epistola Frambesariana ad R. Vallisclaræ Abbatem, iam diu tentatum Morbo Melancholico. 70
TIT. IV. *de Lethargo.* 74 Lib.1.Tit.6.
Dist. I. *de Lethargi dignotione.* ibid.
II. *de Lethargi Præsagitione.* ibid.
III. *de Lethargi curatione.* 75
CONSVLT. I. *de Lethargo.* ibid.
II. *de Lethargico affectu.* 77
TIT. V. *de Vertigine & Incubo.* 78 7.
Dist. I. *Vtriusq; diagnosim complexa.* ib.
II. *de Vertiginis & Incubi præsagio.* 80
III. *de Vertiginis & Incubi curatione.* ibid.
CONSVLT. I. *de Vertigine idiopathica.* 81
II. *de Vertigine Sympathica.* 82
III. *de Vertigine tenebricosa intermissionis experta.* 83

IV. de Incubo. 84
TIT. VI. de Conuulsione. 85
Dist. I. de Conuulsionis diagnosi. ibid.
II. de Conuulsionis prognosi. 88
III. de conuulsionis therapia. 92
CONSVLT. I. De conuulsione ex repletione. 95
II. de Spasmo ex inanitione. 96
III. de Tetano. ibid.
IV. de Tremore. 97
Lib. 1. Tit. 8. TIT. VIII. de Epilepsia. 99
Dist. I. de Epilepsiæ diagnosi. ibid.
II. de Epilepsiæ prognosi. 100
III. de Epilepsiæ therapia. 101
CONSVLT. I. de Epilepsia. 102
II. de Epilepsiæ sympathica. 105
9. TIT. VIII. de Apoplexia & paralysi. 109
Dist. I. Vtriusque diagnosim complexa. ibidem.
II. de Apoplexia & Paralyseos prognosi. 112
III. de Apoplexia & Paralyseos therapia. 113
CONSVLT. I. De Apoplexia. 114
II. de Paralysi. 116
10. TIT. IX. De Catarrho. 119
Dist. I. de Catarrhi diagnosi ibid.
II. de Catarrhi prognosi. 120
III. de Catarrhi curatione. 121
CONSVLT. I. De Catarrho in pulmones decumbente. 123
II. pro Iuuene æstiuo tempore catarrho laborante. 126
III. pro sene frigido catarrho laborante. 129
IV. pro iuuene calida distillatione laborante. 130
TIT. X. De medendis doloribus capitis. 132 Lib. 1. T. 2
Dist. I. de dignoscendis doloribus capitis. ibidem.
II. de dolorum capitis præsagitione. 135.
III. de curandis doloribus capitis. 137
CONSVLT. I. De dolore capitis ex nuda intemperie calida orto. 141
II. de dolore capitis ex nuda intemperie frigida contracto. 142
III. de Cephalalgia sanguinea. 143
IV. de Cephalalgia biliosa. 145
V. de Cephalalgia melancholica 147
VI. de Cephalagia pituitosa. 148
VII. de dolore capitis à flatu. 150
VIII. de dolore capitis à calido vini generosi vapore genito. 152
IX. de cephalæa. 153
X. de Hemicrania. 154

LIBRI TERTII.

TIT. I. De Ophthalmia. 156 Lib. 1. T. 11
Dist. I. De Ophthalmiæ diagnosi. ibid.
II. de Ophthalmiæ prognosi. 158
III. de Ophthalmiæ therapia. ibid.
CONSVLT. I. De Ophthalmia. 159
TIT. II. De Amaurosi & Amblyopia. 161 12.
Dist. I. Vtriusque diagnosim complexa. ibid.
II. de Amauroseos & Amblyopiæ proprognosi. 162
III. de vtriusque curatione. ibid.
CONSVL. I. de Amaurosi. 163

TIT.

Lib.1.T.13. TIT. III. De cataracta, & affectibus illi consentaneis. 164
Dist. I. qua continentur diagnostici canones. ibid.
II. qua continentur prognostici canones. 165
III. qua continentur Therapeutici canones. 166
CONSVLT. De cataracta. 167
14. TIT. IV. De surditate & graui auditu. 169
Dist. I. qua continentur diagnostici canones. ibid.
II. qua continentur prognostici canones. 170
III. qua continentur Therapeutici canones. 171
CONSVLT. I. De Hypocophosi. ibid.
II. περὶ βαρυκοΐας à Bilosis humoribus ortæ. 173
15. TIT. V. De Hæmorrhagia. 174
Dist. I. de Hæmorrhagiæ diagnosi. ibid.
II. de Hæmorrhagiæ prognosi. 175
III. de Hæmorrhagiæ therapia. 176
CONSVLT. I. De Hæmorrhagia, quæ adolescenti æstate superuenit. 177
II. pro iuuene Hæmorrhagia laborante. 180
TIT. VI. De olfactus symptomatis. 182
Dist. I. qua continentur diagnostici canones, ibid.
II. vbi prognostici canones. 183
III. vbi Therapeutici canones. 184
CONSVLT. De Narium fœtore. ibid.
16. TIT. VII. De Angina. 186
Dist. I. de anginæ diagnosi. ibid.
II. de anginæ prognosi. 187
III. de anginæ Therapia. 190
CONSVLT. I. de angina. 191

LIBRI QVARTI.

TIT. I. De febribus. 194 Lib. 2. Tit. 7
Dist. I. de febrium diagnosi. ibid.
II. de febrium prognosi 204
III. de febrium therapia. 209
CONSVLT. I. de febre Ephemera. 213
II. de Ephemera notha pro adolescente plethorico. 216
III. de Synocho citra putredinem. 218
IV. de Synocho putri. 220
V. de Synocho putri cum exanthematon eruptione. 222
VI. de febre continua tertiana. 224
VII. de Quartana continua. 227
VIII. de quotidiana continua. 230
IX. de febre ardente. 233
X. de Tertiana intermittente. 236
XI. de tertiana notha. 240
XII. de quartana intermittente. 242
XIII. de quartana notha. 245
XIV. de quotidiana intermittēte. 246
XV. de febre Hectica. 249
XVI. de febre hectica marasmode. 251
XVII. de febre symptomatica. 252
TIT. II. De Dispnæa, Asthmate & Orthopnæa. 255 Lib. 2. Tit. 3
Dist. I. qua continentur diagnostici canones. ibid.
II. qua continentur prognostici canones. 256
III. qua continentur Therapeutici canones. 257
CONSVLT. I. De Asthmate.

TIT.

Lib. 2. Tit. 4. TIT. III. De Peripneumonia. 261
Dist. I. de Peripneumoniæ diagnosi. ibid.
II. de Peripneumoniæ Prognosi. 262
III. de Peripneumoniæ therapia. 264
CONSVLT. De peripneumonia. 265
5. TIT. IV. De Hæmoptysi. 266
Dist. I. de Hæmoptyseos diagnosi. ibid.
II. de Hæmoptyseos prognosi. 268
III. de Hæmoptyseos therapia. 270
CONSVLT. De Hæmoptysi. 272
6. TIT. V. De Phthisi. 274
Dist. I. de Phthiseos diagnosi. ibid.
II. de Phthiseos prognosi. 276
III. de Tabis curatione. 278
CONSVLT. de Phthisi. 279
Lib. 2. Tit. 1. TIT. VI. de pleuritide. 281
Dist. I. de pleuritidis diagnosi. ibid.
II. de pleuritidis prognosi. 284
III. de pleuritidis curatione. 286
CONSVLT. I. de vera pleuritide. 288
II. de pleuritide notha. 290
2. TIT. VII. de Empyemate. 291
Dist. I. de Empyematis diagnosi. ibid.
II. de Empyematis prognosi. 292
III. de Empyematis curatione. 293
CONSVLT. I. De Empyemate. 294

LIBRI QVINTI.

Lib. 3. Tit. 6. TIT. I. de Hydrope. 297
Dist. I. de Hydropis diagnosi. ibid.
II. de Hydropis prognosi. 301
III. de Hydropis curatione. 304
CONSVLT. I. de Leucophlegmatia. 305
II. de Hydrope Ascyte. 308
III. de Tympanite. 310
7. TIT. II. de Ictero. 312
Dist. I. de Icteri dignotione. ibid.
II. de Icteri prænotione. 314
III. de Icteri curatione. 315
CONSVLT. de Ictero. 316
TIT. III. de choleræ affectione. 318 Lib. 3. Tit. 1.
Dist. I. de choleræ diagnosi. ibid.
II. de choleræ prognosi. 319
III. de choleræ therapia. 320
CONSVLT. De cholerica affectione. ibid.
TIT. IV. De Alui profluuiis. 324 2.
Dist. I. qua continentur diagnostici canones. ibid.
II. qua continentur prognostici canones. 329
III. qua continentur Therapeutici canones. 332
CONSVLT. I. de Coliaca affectione. 337
II. de Lienteria, ab imbecillitate retentricis orta. 338
III. de Lienteria ob irritationem expultricis ab acri humore nata. 340
IV. de Diarrhæa biliosa. 341
V. de Diarrhæa Malancholica. 343
VI. de Diarrhæa pituitosa. 344
VII. de Dysenteria biliosa. 345
VIII. de Dysenteria atrabilaria. ibid.
IX. de Dysenteria pituitosa. 351
X. de Dysenteria à variis humoribus orta. 353
TIT. V. de colico dolore. 354 3.
Dist. I. De colici doloris diagnosi. ibid.
II. de colici doloris prognosi. 355
III. de colici doloris curatione. ibid.
CONSVL. I. de colico dolore flatulẽto. 357
II. de colico dolore à crassa lentaque pituita orto. 359

III. de

III. de colica affectione ab acri bilioso-
que humore orta. 361
Lib.3.T.4. TIT. VI. de Iliacc passione. 365
Dist. I. de Iliaca passionis diagnosi. ibid.
II. de Iliacæ passionis prognosi. 364
III. de Ilei curatione. 365
CONSVLT. I. de Iliaca passione, ab ente-
rocele profecta. ibid.
II. de Ileo ab inflammatione orto. 366
5. TIT. VII. De Hæmorrhoidibus. 367
Dist. I. de Hæmorrhoidum diagnosi. ibid.
II. de Hæmorrhoidum prognosi. 368
III. de Hæmorrhoidum curatione. 370
CONSVLT. De Hæmorrhoidibus. 371
8. TIT. VIII. de Lienis tumore. 374
Dist. I. qua continentur diagnostici ca-
nones. ibid.
II. qua continentur prognostici cano-
nes. 375
III. qua continentur Therapeutici ca-
nones. 376
CONSVLT. De Scirrhoso lienis tumo-
re. 377
9. TIT. IX. de Nephritide & Lithiosi. 379
Dist. I. de dignoscendo renum & vesicæ
calculo. ibid.
II. de calculi præsagio. 382
III. de calculi curatione ac præcautio-
ne. 383
CONSVLT. I. De Nephritide. 386
10. TIT. X. de Ischuria, dysuria & stranguria. 390
Dist. I. qua continentur diagnostici ca-
nones. ibid.
II. qua continentur prognostici cano-
nes. 392
III. qua continentur Therapeutici ca-
nones. ibid.
CONSVLT. I. De stranguria. 393
TIT. XI. de Gonorrhœa. 394 Lib. 3. Tit. 11.
Dist. I. De Gonorrhœæ diagnosi. ibid.
II. de Gonorrhœæ prognosi. 396
III. de Gonorhœæ therapia. 397
CONSVLT. I. de Gonorrhœa. 398
II. de Onirogmo, pro quodam Mona-
cho. ibid.
III. de Gonorrhœa virulenta. 399
TIT. XII. De immodicis vteri fluoribus. 12.
402
Dist. I. Qua continentur diagnostici ca-
nones. ibid.
II. Qua continentur prognostici ca-
nones. 404
III. Qua continentur Therapeutici ca-
nones. ibid.
CONSVLT. I. De immoderata mensium
purgatione. 405
II. de fluore Muliebri. 407
TIT. XIII. de Mensium suppressione. 409 13.
Dist. I. qua continentur diagnostici ca-
nones. ibid.
II. qua continentur prognostici cano-
nes. 410
III. qua continentur Therapeutici ca-
nones. 411
CONSVL. de Mensium suppressione. 412
TIT. XIV. De Hysterica suffocatione. 414 14.
Dist. I. de vteri suffocationis diagnosi. ibid.
II. de vteri suffocationis prognosi. 415
III. de vteri suffocationis curatione.
416.
CONSVLT. de Hysterica suffocatione. ib.

INDEX.

LIBRI SEXTI.

TIT. VI. De Arthritide. 419
Dist. I. de Arthritidis diagnosi. ibid.
II. de Arthritidis prognosi. 432
III. de Arthritidis therapia. 439
CONSVLT. I. de Arthritide sanguinea. 448.
II. de Chiragra biliosa. 451
III. de Podagra Melancholica. 454
IV. de Gonagra pituitosa. 455
V. de Ischiade. 457
VI. de Arthritide à frigida cerebri distillatione orta. 458
Medicamenta ad Arthritidem à veteribus ac recētioribus cōmendata. 462

LIBRI SEPTIMI.

De Tumoribus contra Naturam. 476
De euentibus horum Tumorum. 492
Ad curationem Tumorum. 498

LIBRI OCTAVI.

De Vulneribus & vlceribus 529
De euentibus vulnerum & vlcerum. 540
Ad rectè persanandum vulnus & vlcus. 552

LIBRI NONI.

Ad rectè ac Methodice curandas fracturas ossium, & luxationes iunctur arum. 618

APOLOGIÆ

Qua innocentia Medicorum Chymicorum asseritur aduersus falsas quorundam accusationes. 629

FRAMBESARII ACAdemiæ

Idaa. 637

FRAMBESARII AMbrosiopœæ

Adumbratio. 641

FINIS.

BIBLIOTEKA LITEWSKA
Biblioteka Uniwersytecka Starodruki w Toruniu